DE CLERICORVM INSTITVTO,

ET DE OPTIMA EDVCATIONE, ELECTIONE, ET INSTITVTIONE

Libri Quatuor.

AD SANCTISSIMVM D. N. PAVLVM QVINTVM P. M.

Adiungitur Epitome Catechiſmi, Concilj Tridentini Decreto editi, & Inſtructionis Sacerdotum, Illuſtriſſimi Cardinalis Toleti, ad commoditatem ordinandorum.

Cum Indice Librorum, & Capitum.

Auctore IOANNE PALOMEQVE Presbitero Cæſarauguſtano Theologo doctore.

Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt. Malachiæ 2.

CVM LICENTIA SVPERIORVM, ET PRIVILEGIO.



VENETIIS, *Apud Iacobum SarZinam.* M.DC XVI.

Expenſis Vincentij Caſtellani, Bibliopolę Romani.

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PAVLO QVINTO, PONTIFICI MAXIMO.

OPVS de Eccleſiaſtica diſciplina, Sedi Apoſtolicæ, iure optimo debetur, Beatiſſime Pater. Quia ſanctiſſimorum ſummorum Pontificum ſanctitatis veſtræ prædeceſſorum ſanctionibus fulcitur, ac roboratur. Tum quia a Beatiſſimis Apoſtolis Petro, & Paulo accepta, & poſt a Clemente Papa (Canonibus Apoſtolorum in vnum congeſtis) litteris mandata, & in Eccleſia ſacriſque Concilijs explicata, & renouata, nouiſſime vero in Tridentino ad vſum reuocata eſt; etiamſi in deſuetudinem aliqua abierint; conſuetudinibus quibuſcunque contrarijs è medio ſublatis. Sed maxime, quia quanto ex ea populi Chriſtiani bonum pendet, tanto ſumma indiget defenſione, atque protectione, ob nequitiam ruentis ad deteriora ſæculi, qua à licentioſis hominibus impugnatur. Cum autem felix Eccleſiæ ſtatus Beatitudini veſtræ ſummopere cordi ſit, nulli ita conuenienter potuit

tuit Tractatus, iſte dedicari eiuſque defenſio tribui, atque Sanctitati veſtræ. Et quamuis auctoris exiguitas retrahat à dedicando opere celſitudini veſtræ; vires tamen, & animum addit benignitas, & humanitas Saluatoris Noſtri Dei, cuius in terris vices geris, qui puſilli Zachei hoſpitium, & duo minuta vetulæ in Gazophilacium miſſa, propter affectus præſtantiam, prætulit amplis muneribus potentiorum diuitum. Igitur Beatiſſime Pater poſt beatorum pedum oſcula, accipe humilis ſerui exiguum munuſculum, tamen multorum annorum labore partum, & in gratiam ſæcularium Clericorum editum; tanquam ſignum fidei, & deuotionis in Sanctam Sedem Apoſtolicam, cui omnia mea perpetuo ſubijcio.

Dat. Romæ die 14. *Aprilis.* 1616.

ECCLE-

ECCLESIASTICIS OMNIBVS DEI MINISTRIS.

POST Theologica ſtudia, Colendiſſimi Patres, cum ad ſuſcipiendos ſacros ordines Dei munere perueniſſem, ſollicite cogitare cępi, quæ eſſet Eccleſiaſtica viuendi Regula, quæ videbatur non minus præſcribenda, quam religioſis, religioſa. Nam quæ communiter circumferri ſolent quamuis optima, ampliorem expoſitionem poſtulant. Quam cum progreſſu temporis, ex lectione excellentium virorum Eccleſiæ percepiſſem, in ſtuporem maximum incidi, intuens ex vna parte Inſtitutum, adeo perfectum, & exactam vitæ formam ſacratorum hominum, tot oraculis ſtabilitam, firmatam, atq; commendatam, formidoloſis ſententijs vitia illorum damnantem; vt nihil magis Sacri Canones Concilia, & Sancti Patres deſideraſſe videantur; Ex altera vero, conſiderans ignauiam, inſcitiam, incogitantiam, atque negligentiam noſtram. Quapropter ea in vnum breuiter congeſta (non abſque conſilio virorum præſtantium) ad communem Eccleſiaſticorum vtilitatem in lucem edenda, & in publicum euulganda; eo quod non omnibus ſint peruia; poſt bonæ educationis, atque electionis præcepta, penæ neceſſarium exiſtimaui; vt Clerici ſuum inſtitutum ante ſuſceptionem ſacrorum ordinum, & poſt attentiſſime conſiderent, ardentiſſime exoptent, & à patre miſericordiarum aſſidue inſtanterque poſtulent, atque operibus complere ſatagant. Obſecro (lector optime,) vt ſi quæ in hoc opere non ita decore, aut apte ſcripta reperiantur, cōceptæ exiſtimationi de Eccleſiaſticorum ſublimitate, nullo autem modo animo quemquam lædendi, aut colendiſſimis Eccleſiæ viris minus deferendi tribuatur.

Die 22. Nouembris 1615.
Venetijs.

CODex, inſcriptus de Clericorum inſtituto, & de optima educatione, electione, & inſtituto libri quatuor, Auctore Ioanne Palomeque Presbyt. Cæſaraug. Theolog. Doctore, a me perlectus de mandato admodum Reu. Pat. Inquiſitoris, nihil continet, niſi conſonum fidei catholicæ, bonis moribus, ac Principum iuribus; propterea imprimi poſſe cenſeo.

D. Antonius Naldus Cler. Regul.

Viſa ſupradicta approbatione. Admittitur impreſſioni, &c.

Frater Io. Dom. Vignutius Sac. Theol. Doctor Inquiſitor Generalis Venetiarum.

INSTITVTIONIS
CLERI NECESSITAS.

MVLTA, ac varia egregie conſcripta lucent his temporibus in eccleſia Dei; Tum contra hæreſes, tũ ad Sanctarum ſcripturarum expoſitionem, tum ad formandas ſacras conciones, tum ad caſus conſcientiæ diſcernendos; Denique & ad eccleſiaſticas hiſtorias dilucidandas. Sed hoc opus de inſtituto Clericorum non minus utile, ac neceſſarium Chriſtianæ Reipublicæ iure exiſtimari poteſt: cum non ſine magno noſtro malo didicerimus pluribus melius conſultum, ſi honeſto coniugio, militiæ, aut mercaturæ, aut rei ruſticæ operam dediſſent, vel vtcunque in ſæculo permanſiſſent, quam cum tanta honoris eccleſiaſtici iactura, tam excelſo muneri aſcribi. Hoc malorum omnium Chriſtiani populi caput, quod D Greg. plangit his verbis. Nullum puto maius præiudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla prauitatis cernit, quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus; Nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra ſtudia quotidie vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus. Et quia eo ipſo quo cæteris prælati ſumus ad agenda qualibet maiorem licentiam habemus, ſuſceptæ benedictionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum, Dei cauſas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. Non inficiamur eſſe exemplares, & excellentes viros in eccleſia; in omni tamen conditione, & gradu, inquit D. Hiero optimis mixta ſunt peſſima: In epiſtola ad Nepotianum arguit vitia illorum temporum quę noſtro ſæculo haud dubie, plus vigent. Nonnulli, ait, ſunt ditiores monachi, quam fuerant Sæculares, & Clerici, qui poſſidet opes ſub Chriſto paupere, quas ſub fallace, & locuplete Diabolo non habuerant, vt ſuſpiret eos eccleſia diuites quos mundus tenuit ante mendicos. Et inferius natus in paupere domo, & in Tugurio ruſticano, qui vix millio, & cibario pane rugientem ſaturare ventrem poteram, nunc ſimilam, & mella faſtidio. Noui, & genera, & nomina piſcium, in quo littore concha lecta ſit calleo, ſaporibus auium diſcerno Prouincias, & ciborum me raritas, ac nouiſſime damna ipſa delectant. Et paulo poſt: Multi ædificant parietes, & columnas eccleſiæ ſubſtruunt, marmora nitent, auro ſplendent laquearia, gemmis altare diſtinguitur, & miniſtrorum Chriſti

Hom. 17. in Luca.

D. Hiero ad Nepo.

nulla

nulla eſt electio. Quid dixiſſet eximius vir, & ſanctus, ſi licentiam iſtorũ temporum vidiſſet? Dolent pij viri hodie impuram ſacramentorum adminiſtrationem eorundemque indignis collationem, negligentiam in adhortando populum, voluntatis Dei ignorationem, & plura alia flenda potius, quam dicenda, quæ cum manifeſta ſint, medelę neceſſitatem abunde ſatis oſtendunt. Ad remedia veniamus: Igitur hæc mala ex ignorantia, & cęcitate orta, aut ex prauo affectu, vel inueterata conſuetudine certum eſt doctrina huius operis tanquam Antidoto indigere. Conſpicitur enim eius lectione, quid aſſumpſerint Clerici, quid polliciti ſint: Item vtilitates, & bona, & ex aduerſo damna: Et hac via diuina gratia iuuante ad meliorem mentem reditur. Humanum namque ingenium rationibus, & ſuaſionibus regitur, a malo retrahitur, & ad bonum ducitur. Eſt etiam neceſſarium populo, opus, quoniam eo reformantur exẽplaria corrupta, & vitiata quę imitatur populus, cuius ruinę cauſa ſunt, ſicut incuria paſtoris, & nautę, & ſomnus ſpeculatoris ſunt cauſa ruinę gregis, nauis, & exercitus. Non parum lucis attulere congregationes Clericorum hac ætate inſtitutę; Sed parum remedij præſtat medicamentum, ſi iterum, atque iterum morbis paretur via; hoc eſt niſi incommodis obuietur, optima promotione eorum, qui ad clericatum apti ſunt, illis omnino reiectis, qui ad hæc munera ſunt inepti. Aliter fruſtra optimum Chriſtiani populi ſtatum promittimus. Neſcio quibus verbis depingi poſſit prauum eorum conſilium quo deterioris conditionis efficitur eccleſiæ munus mechanicis artibus: Artifices enim mechanici non exponuntur plebi, niſi probe nouerint vti arte: At magno noſtro malo diſpenſatores myſteriorũ Dei inepti, & ignari tolerantur quod Cæleſt. Papa merito reprehendit, d. 59. ſolum ſacerdotium, inquit, inter iſta vilius eſt, quod facilius tribuitur cum difficilius impleatur. Precibus enim, muneribus, aut prauis conſilijs ordinantur exponunturq́; ſæcularium oculis conſpiciendi, qui ędificationi inſeruire debuerant, cum tamen paſſim inſeruiant riſui, vel irriſioni. Ideoque patres Trident. Synodi Spiritu ſancto afflati hæc omnia conſiderãtes, ab iſto tanquam a principali capite initium ſumpſerunt, vt eccleſiam Chriſti ſponſam decori, & priſtinę pulchritudini reſtituerent. In hoc negotio plurimum inſudarunt, mala radicitus euellentes. Hinc ortę reformationes Prælatorum, Eccleſiarum, Cathedralium, Parochialiũ, & aliarum omnium præſcripti mores, & viuendi forma; quæ in Prouincijs in quibus ſeruantur bona plurima inde ſecuta noſcuntur; è contrario mala plurima, ac manifeſta vbi contemnuntur. Ideo etiam ordinarunt ſeminaria extrui optimę educationi Clericorum deſtinata, vt a teneris annis edocta eccleſiaſtica diſciplina facilius conſeruetur. Verba Concilij ſtatim ſeſs. 6. hæc ſunt; Sancta Synodus ad reſtituendam collapſam admodum eccleſiaſticã diſciplinam, deprauatoſq́; in Clero, & Chriſtiano populo mores emendandos ſe accingere volens ab ijs, qui maioribus eccleſijs præſunt initium cenſuit eſſe ſumendum. Et ſeſſ. 22. Nihil eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita, & exemplũ, qui ſe diuino miniſterio dedicarunt; cum enim a rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur in eos tan-

Pet. Sot. de inſtit. ſa. lect. 1.

In decre. diſtinct. 59. c. ordinatos.

Trident. ſeſſ. 6 refor.

Seſſ. 22. c. 1. refor.

quam

quam in ſpeculum reliqui oculos conijciũt ex iiſque ſumunt, quod imitentur. Quapropter ſic decet omnino Clericos in ſortem Domini vocatos vitam moreſque ſuos omnes componere, vt habitu, inceſſu, geſtu, ſermone, alijſque omnibus rebus, nil niſi graue, moderatum, ac religione plenum præſeferant. Leuia etiam delicta quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Cum igitur quo maiore in eccleſia, & vtilitate, & ornamento hæc ſunt, ita etiam diligentius ſint obſeruanda: ſtatuit Sancta Synodus, vt quæ alias a ſummis Pontificibus, & ſacris Concilijs de Clericorum vita, & honeſtate cultu doctrinaque retinenda, ac ſimul de luxu, commeſſationibus, Choreis, Aleis, luſibus, ac quibuſcumque criminibus; necnon ſæcularibus negotijs fugiendis copioſè, ac ſalubriter ſancita fuerunt, eadem in poſterum iiſdem pœnis, vel maioribus obſeruentur. Et ſi quæ in deſuetudinem abierunt, ea quam primum in vſum reuocentur ab ordinarijs, & ab omnibus accurate cuſtodiri ſtudeant; non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque, ne ſubditorum neglectæ emendationis, ipſi condignas Deo vindice pœnas perſoluant.

QVOD vtile ſit opus facile dignoſcitur, ex eo quod cuilibet Artifici artis præcepta in memoriam reuocare vtiliſſimum eſt. Tum quia ſi fuit vtile, & oportuit ſcribere Regulam S. Auguſtini, S. Benedicti, S. Franciſci, & aliorum, vt aperte uideant ſectatores illorum inſtitutorũ, quid profiteantur, quid agere debeant; Cur non erit pluſquam vtile, & magni momenti, eccleſiaſticis Regulam ſui ſtatus apoſtolicam deſuetudine ſopitam excitare, & in priſtinum ſtatum reſtituere, vbi viuendi modum uideant, & quid ab illis exigat Deus, quæ ſint fugienda, quibus frangatur Regula eccleſiaſtica? cum non minus indigeat celſitudo huius ſtatus regulis, & conſtitutionibus, propter difficultatem, & ſublimitatem finis, ac mediorum? Maxime cũ in pluribus pagis immo, & oppidis non ignobilibus, multi vix ſciant recitare officium, & Miſſam celebrare, de cæteris, quæ ad perfectionẽ, attinent fere nihil, immo operibus, & verbis à ſæcularibus nihil differre videantur vtile etiã erit alijs non paucis, qui optimam uiuendi rationem eccleſiaſticam noſſe deſiderant, & ad Sanctorum Patrum lectionem facile peruenire non poſſunt.

FVNDAMENTVM omnium, quæ de eccleſiaſtica doctrina tradenda ſunt, uidetur eſſe electio, & ordinatio duodecim Apoſtolorum, & ſeptuaginta duorum diſcipulorum à Chriſto Domino, ſi recte perpendantur; iniunctumque officium, poteſtaſq; prædicandi Euangeliũ, baptizandi, conſecrandi, & peccata remittẽdi; cum inſtructione qua eſſe ſal terræ iubetur, lumen mundi, ciuitas ſupra montẽ poſita, & operarij meſſis Domini. Vos, inquit Dominus, Euangelizate pacem, & Regnum Cœlorũ, curate infirmos, orationi, ieiunio, & operibus miſericordiæ intenti eſtote, lucendo alijs, fide, charitate, boniſque operibus, expectantes Aduentum Domini, freti diuina prouidentia non pecunijs onerati, neque ſæcularibus curis uos implicantes. Poſt hæc eſt huius doctrinæ principium ſupponendum Apoſtoli Epiſtola, ſiue inſtructio, tam ad Timotheum,

quam

quam ad Titum vitam officiumque Epiſcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum uerborum pondere deſcribens; nempè; Oportet Epiſcopum irreprehenſilem eſſe, ſobrium, prudentem, non percuſſorem, non uinolentũ non iracundum, non ſuperbum, ſed hoſpitalem benignum, modeſtum, ſanctum, &c. quam ſententiam regulam Apoſtolicam miniſtrorum Dei, Sancti Patres appellant, ex qua ſummi Pontifices Concilia, & Doctores deducunt optima conſecutione uniuerſa quę ad Eccleſiaſticum ordinem inſtituendum conueniunt, &c Qualia ſunt quæ Gratianus per centum fere diſtinctiones DECRETI *collegit, & quæ in reliquis Titulis iuris Canonici de uita, & honeſtate Clericorum, eorum officijs annexiſque continentur. Vbi iuxta temporum negotiorumque exigentiam ſummi Pontifices innumera dubia ad Sanctam ſedem Apoſtolicam delata, ad ſtatum Eccleſiaſticorum ſpectãtia, declararunt; ita ut nihil eorum, quæ ad Cleri informationem pertinent intactum reliquiſſe uideantur. Quæ in Tridentina Synodo eiuſque Catechiſmo renouata ſunt. Plura etiam Sancti Patres preſertim Ambroſius, & Gregor. docuerunt. Elegantes etiam ſunt ſex libri D. Io. Chryſ. de Sacerdotio, & D. Auguſt. ſermones de uita, & moribus Clericorũ. Aurea eſt Epiſtola D. Hierony. ad Nepotianum, & plura alia ſparſa in diuerſis locis ſuorum operum. Dionyſ. Cartuſianus pie etiam ſcripſit opuſcula, de uita Epiſcoporum, Archidiaconorum, Canonicorũ, Curatorum. Docti, & pij ſunt libri Pet. de Soto, de inſtitutione Sacerdotum, licet ſtrictior uideatur tractatus.*

Magiſter Auila. In Epiſt. & exhor 14.

Quædam ſcripſit inſignis uir Magiſter Auila reformationi clericorum excitandę natus, momentum huius negotij recte perpendens. Quæ omnia doctis ſatis eſſe fateor, non tamen indoctis; quia ſunt ſparſa in uarijs libris & per uniuerſum corpus iuris Canonici, quod quidẽ Theologis non ſolet eſſe peruium, Canoniſtis uero forenſes tituli ſunt magis in uſu; & pauci dexteritate praſtant, ad tot uolumina euoluenda. Ideoque in unum eſſent colligenda. Tum quia ampliori expoſitione indigent, & magis in ſpeciali. Deſideratur etiam praxis, & media quibus tãquam gradibus quibuſdam perueniri poſſit ad faſtigium perfecti Clerici. Nam ſermones generales non ſunt adeo utiles in rebus moralibus ſicut ſpeciales, qui quaſi oculis, & manibus rem attingunt. Cui deſiderio tertius lib. huius operis reſpondet, & titulo quem poterit euoluere ſtudioſus inſtituti eccleſiaſtici omiſſis prioribus lib. de educatione, & preparatione ad ordines. Nam uaſa pretioſa prius igne ferro, labore formantur, & expoliuntur, ut regię menſę inſeruire poſſint, & in alto poſita luceant, & delectent aſpicientes: Ita Clerici repetitis ignibus (ut Zozimus Papa dixit) probantur, & formantur. Tum quia de educatione Clericorũ nihil, uel pauca dixerunt, quod tantopere commendatum eſt in Concil. Trident. ſeſſ 23. ubi ſtatuitur, ut in omnibus Epiſcopatibus erigantur ſeminaria Clericorum, ut a fundamentis ędificij eccleſiaſtici fabrica initium ſumat. Non diſſimiliter, atque ille, qui de perfecto oratore ſcribens illum ab incunabulis accipit, ducens per uarias exercitationes quæ ad facultatem oratoriam conducere poſſint. Quoniam, abſque dubio, educationi reſpondet uitæ ſequentis conuerſatio, quia difficile eſt aſſueta relinquere. Adoleſcentes (inquit Sancta Synodus) à teneris annis ad pietatem,

In Decreto d. 59. c 18 de reform.

& re-

& religionem informandi ſunt, antequam vitiorum habitus totum hominem poſſideat, quod niſi fiat, nunquam perfecte, ac ſine maximo, & ſingulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in diſciplina Eccleſiaſtica perſeuerant. *Quod iam ante Patres Concil. Tolet. ſanxerunt. Mancipati (aiunt) officio Clericatus à primis infantię annis in domo eccleſię erudiantur detonſi, vel miniſterio lectorum traditi, & 1.2.q.1. Cum omnis ætas ab adoleſcentia in malum prona ſit impuberes, vel adoleſcentes Clerici in vno conclaui atrij commaneant, deputati probatiſſimo ſeniori, vt non in luxuria, ſed in eccleſiaſticis diſciplinis agant.*

Porro ſermo iſte de optima educatione Clericorum, non ſolum prodeſt ijs, qui in ſeminarijs, aut Collegijs educantur, cum iſti præfectos habeant, & leges prouide curantes de neceſſarijs animæ, & corpori miniſtrandis, vt primus locus detur ſacro, ſacramentis, & concionibus, poſtea exercitationibus literarijs, temporibus præfixis, conſtitutis ad hoc ſpeculatoribus, excitatoribuſque ſollicitis, qui tempus abſque profectu elabi non patiantur; ſed etiam alijs quamplurimis, qui in domibus parentum educantur, ad eccleſiam aſpirantes (quibus ſeruiret hoc opus) vt ipſi, & eorum curatores intelligant quibus ſtudijs, & moribus præparari debeant ad excelſum eccleſiæ ſtatum. Imò, & qua ratione laborum, & ſumptuum fructus non pęnitendos metere poſſint ad Dei laudem: eccleſiæ bonum & animæ ſalutem. Non contemnenda res eſt iſta (ſtudioſe lector) quæ cum eruditiſſimis, diu agitata eſt. Nam, vt dolens dicebat Magiſter Mantius, inſignis Theologus Dominicanus (& primariæ Cathedræ Salmantinæ vniuerſitatis præfectus) & Villauincentius in præfatione ſtudij Theologici, in ſcholis non docetur, qua ratione ſtudendum ſit, ob hanc cauſam multi Epiſcopi oleum, & operam perdunt, & quod peius eſt, ſpem perdiſcendi. Quia vident tantam rerum profunditatem, opinionum uarietatem, argumentorum difficultatem, atque multitudinem, librorum prolixitatem, terminorum obſcuritatem rebus difficillimis additam: Ex altera parte temporis anguſtiam, & vitæ occupationes; At inuadere tot abyſſus difficultatum, abſque duce temerarium eſt quod ſi tentetur magis confunduntur, & obſcurantur ingenia, & odium generatur talium facultatum; quo fit vt relictis magis neceſſarijs diſciplinis, tranſeant ad minus vtiles, vel penitus ſtudia deſerantur. Igitur, cum ſtudere, ſicut & alia humana opera, bene & male fieri poſſit, & multa ſint grauiſſima quę facile dijudicari nequeunt magiſtro ſtudendiq; præceptis eorum, qui hoc vaſtum pelagus feliciter nauigarunt (tanquam periti Naucleri) opus eſt. Nam ars dux certior eſt quam natura. De qua re ſcripſit Hugo de Sancto Victo. tractatum cui titulus eſt Didaſcalon, quod inſtructionem ſignificat, & Villauincentius quatuor edidit elegantes libros de formando ſtudio Theologico incipiens ab humanioribus literis, quouſque perueniatur ad perfectionem Theologi, vt in diuerſis muneribus Eccleſiæ Sanctæ inſeruire poſſit; licet loquantur forte ſtylo altiore, quam captus ſcholarium patiatur, Dionyſ. Cartuſ. etiam breuiter, & in genere documenta ſcholaſticorum ſcripſit. Ex quibus breuia, facilia, & accommodata eligenda ſunt, ſu-

M. Mantius.

Villauincentius.

De formã ſtudio. Thc.

Hugo de Sãcto Victo. in didaſca.

perſluis

Dioniſ. Carthuſ. in opuſc. *perfluis reſecatis; ſic enim aiebat Magiſter Mantius, libros eſſe conſcribendos, nempe abſque prolixitate; tum ad melius intelligendum; tum etiam, vt alienis laboribus frui poſſimus, quibus fraudamur, quia ars longa vita breuis, & illa infinitis impedimentis implicata. Fructus iuuentutis rectè inſtitutæ paucis explicari nequeunt, illud ſatis ſit in præſenti, ex illis monaſteria impleri, Iuriſconſultos prodire, alios ad gubernationem reipublicæ alios ad eccleſias aſſumi. Igitur ſi non bene inſtituantur diſciplinis, & moribus, qua ratione in altioribus recte ſe gerere poſſunt? Potius verum illud fiet, paruus error in principio, magnus eſt in fine, quod malum per totum Chriſtianæ reipublicæ corpus diffundi neceſſe eſt. Tria igitur ſunt huius operis præcipua, & ſumma capita. Primum, de optima Clericorum educatione, & præparatione ad ordines. Secundum de illorum electione, & ordinatione. Poſtremum de illorum inſtitutione ſiue de optimo vſu ordinum. Optaſſem magnopere hoc integrum opus a viro aliquo eximio in lucem editum; verum quia id conceſſum non eſt, permittant nobis viri docti, diuina fauente gratia, quæ ad directionem eccleſiaſticorum accommodata ſunt, ex varijs Auctoribus in vnum colligere. Et quamuis labor noſter, maioribus ingenijs, tantummodo inſeruiat tanquam occaſio meliora inueniendi, & dicendi, non erit inutilis, qui ad Dei Opt. Max. laudem, & Eccleſiaſtici ſtatus bonum ſuſceptus eſt. Fugiamus illud, quod* *Ad dom nionem.* *Diu. Hierony. dixit; optima quæque malunt contemnere plerique, quam diſcere.*

DE

DE OPTIMA CLERICORVM EDVCATIONE.

Liber Primus.

OPTIMA Eccleſiaſtici ęducatio, de qua in Primo Libro dicendum eſt tria poſtulat; Primum vocationem, & finem optimum in Ingreſſu ante oculos propoſitum, quæ Exordia Clericorum appellari poſſunt (vt verbis D. Leonis vtamur) Alterum optimam ſtudendi; & tandem bene viuendi, rationem.

EXORDIA CLERICORVM.

Prima Libri Pars.

DE VOCATIONE AD Clericatum.

DICTVRVS, merito poſſet quis admirari humanæ conditionis inſtabilitatem, quę cito degenerat, & facile deuiat a recto itinere, quo cœpit pergere. Quod perſpicuum fiet ſi initia naſcentis Eccleſiæ, & Clericorum illius ſæculi, & jacentē poſtmodum ſtatum ipſum, præſertim huius ętatis inſpiciamus. Quid enim magis dolendum eſſe poteſt, quam genus electum perſonarum, deuotioni, & diuinarum rerum Tractationi, fideliumque ędificationi dicatum, adeo iacere, vt nihil minus cogitet, immo tales vel ludibrio ſint, vel ad religioſos meditatio diuinorum procul abigatur; quaſi ad nos non pertineat, ſed vitam in otio, venationibus, luſibus, murmurationibus, iocis, & alijs huiuſcemodi ineptijs, aut flagitijs tranſigere; corpore tantum in templo aſſiſtere; ambitionibus, & lucris inhærere, patrimonia Eccleſiarum in

Dion. de arc. via. ſalu. c. 32.

litibus conſumere. Væ nobis ad quos Phariſçorum vitia tranſierunt (inquit Hiero.) Tam ingentia mala ex duplici capite oriuntur, partim ex praua, & imprudenti ſtatus Eccleſiaſtici aſſumptione, ſiue intruſione, abſq; legitima vocatione, partim ex prępoſtero fine, relicta proprij ſcopi inſpectione: in quibus duobus principijs periculoſe erratur; quę poſtea ex ſuperueniente malitia, magna incrementa ſuſcipiunt. Principio, non prius prudenti examine inquiritur, an tales habeāt vocationem ad Eccleſiæ ſtatum, hoc eſt, an ad hoc videantur nati, an ſint apti ad hoc genus vitæ; Nam ſęculares, etiam ruſtici dicere ſolent (eſte no es bueno para Clerigo.)

De Sacerd. Recte Catechiſmus ait, *Huius tanti officii onus nemini temere imponendum eſt, Sed iis tantum qui illud vitæ ſanctitate, doctrina, fide, prudentia ſuſtinere poſſint; nec quiſquam ſumat ſibi honorem dixit Apoſtolus, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron.*

Magiſter Auila. Vbi prudenter vſus eſt verbo illo imponendi onus metaphora ſumpta a laborioſis hominibus qui de portādis oneribus tractant; hi enim nunquam ſibi, aut beſtijs, onera ſupra vires imponunt; nam eſſet ſtultū. Atqui negotium Eccleſię onus eſt magni ponderis; ergo contra rationem agunt ſibi, vel alijs huiuſmodi onus imponentes, quod non poſſunt ſuſtinere, & hoc eſt non eſſe vocatos. Oportet prius ſedere ad inſtar ędificare volentis, qui prius computat ſumptus neceſſarios ad perficiendum ędificium, huiuſmodi ſunt primo loco vocati a Deo. Nam ad ſtatus perfectiores vocantur homines, & eliguntur inter multos a Deo, ſuumque ſpiritum illis impartitur, & ſignis antea præmonſtrat. Non exigimus vocationem diuina reuelatione firmatam, qualis fuit Apoſtolorum qui vocati ſunt a Chriſto. Neque de vocatione ad gratiam loquimur, qua quos ab æterno prædeſtinauit, vocat in tempore; ſed vocationis nomine intelligimus ſigna, & argumenta à puerilibus exordijs, (vt ait D. Leo Papa) quibus miniſtri *Decre. L. 61.* Eccleſiæ, & parentes probabiliter iudicare poſſint, idoneum Chriſti miniſtrum futurum. *Vocari dicuntur*; inquit Catechiſmus, *qui a legitimis Eccleſiæ miniſtris vocantur.* *De Sacramento ord.* *Nam qui in hoc miniſterium ſeipſos arroganter inferunt, atque intrudunt, illi ſunt, de quibus Dominus dixit, non mittebam Prophetas, & ipſi currebant; quo quidem hominum genere nihil infelicius, ac miſerius, nihil Eccleſiæ Dei calamitoſius eſſe poteſt.* Igitur prudenter ſunt examinanda ingenia. Nec mirum videri debet: Nam in omnibus Artibus, niſi natura incipiat, vix quidquam efficitur. Sunt in pueris inclinationes varię, & relucent nōnunquam quædam futuræ vitæ prognoſtica, vt de Athanaſio, legimus luſitando Epiſcopi munus obijſſe, & baptizaſſe; Cyrus puer in tenēra ætate, videbatur fungi iudicis, & Regis dignitate, quæ poſtea in ipſo Perſarum Regnum moderante emicuit. *Euſeb. libr. 10. c. 14. de prep. Euangelica.* Alios videas per luſum ementes, vendentes; alios hortulos, & agros colentes; alios ædificantes, alios litigantes, rixantes; alios Hymnos canentes, docentes, ſacrum facientes. Parentes ergo ſagaces, & oculati ex ijs coniecturis quid de liberis polliceri debeant, colligunt. Nam ea, ad quæ a natura inclinātur; celeriter præſtare ſatagunt. Ad hunc modum ex quibuſdam ſignis morum, & doctrinę poſſunt parentes adhibito alicuius boni Eccleſiaſtici iudicio, diſcernere, an ad hoc vitę genus ſit vocatus. Species quædam Eccleſiaſticæ vocationis, & ſigna in puero, ſunt:

deſi-

deſiderium, vel inclinatio etiam non ſatis explicata Cœlibatus, & Eccleſiaſticæ vitæ, & nullo modo ſęcularis: Item alacriter templa adire: quæ illic, geruntur attente inſpicere: pię doctrinæ documenta repetere: ſcholas libenter adire: lectioni librorum aſſiduè incumbere: optimis, & modeſtis ſe adiungere: improborum familiaritatem, & impudicitiam fugere; in quibus elucet quandoque ingenita grauitas cum ſuauitate iuncta, morum candor, ac manſuetudo, & piorum operum aſſuefactio. Hæc ſunt ordinaria, vſitata, ac legitima diuinæ vocationis argumenta ad Eccleſiam; ex quibus certum, & indubitatum iudicium de vero Eccleſiaſtico futuro peti poteſt. Cauendum è contrario ne vocatos exiſtimemus eos, qui a prima ætate impudicitia lætantur, vel cum improbis familiariter conuerſantur, & aſſueſcunt praue agere. Idem dicendum de Monialibus efficiendis, quod ſine vocatione aggredi abuſus eſt. Eo quod Inſtituta regularia vocationem præuiam requirunt, ſine qua modicus profectus ſperari poteſt. Hoc punctum eleganter proſequitur Vilani.

Ll. 1. de for. ſtud. c. 1.

DE FINE IN CLERVM recipiendi.

Pet. Solo lec. 3.

CLERICVM fieri propter vitæ commoditates, honores, diuitias, delitias, ſplendidamque vitam ſine labore, vel ad conſanguineos ditandos paternamque domum augendam, eſt alter error non minus periculoſus. Quod vtinam non fieret, ſed rei euentus oſtendit talem eſſe finem plurimorum; quia de ſplendida menſa, veſtitu, apparatu cura eſt; at in operibus Dei negligentes ſunt. Quod merito Catechiſmus reprehendit; *Cum oratio ſit mentis aſcenſus ad Deum, ſi in orando animus peregrinatur, & nullo ſtudio nulla adhibita pietate, temere precationis verba funduntur, quomodo inanem huius orationis ſonitum Chriſtianam precationem eſſe dicemus.* Hoc animo ordinari, non video qua ratione ad ſalutem animæ valeat. Nam Chriſtus Dominus pro nobis egenus factus, cum eſſet diues, primos Clericos ad diuitias congerendas non inſtituit: cum legamus: deſignauit Dominus alios ſeptuaginta duos, & miſit, illos ſine pera, ſine pecunia in omnem ciuitatem, & locum. Immo neque Religiones militares ad diuitias coaceruandas inſtitutæ ſunt, ſed ad labores in fidei defenſionem; ergo multo minus Clerici ad diuitias, ſed potius ad contemptum diuitiarum, & Deo ſeruiẽdum vocati ſunt; cum nemo poſſit ſeruire Deo, & iniquo mammonę. Ordinari vero ad conſanguineos augendos nõ licet, ideoque prohibitum eſt, quia Eccleſiarum, & pauperum bona ſunt, vt habetur d. 86. & 1. q. 2. c. Clericos. & in Conc. Trid. ſeſſ. 25. cautum eſt, Ne Clerici conſanguineos ex bonis Eccleſię augeant, immo quã maxime poteſt monet, vt hunc carnis affectum erga propinquos penitus deponant, quia multorum malorum in Eccleſia ſeminarium eſt. Neque ad otium, & vitam ſine labore vocantur quod ratio ſuadet; Nam virtus eſt circa difficile, vt Philoſophus docet, ſed Clerici vita virtus eſt, & cum virtute coniuncta, ergo ardua eſt, & laborioſa, operoſa, orationi, lectioni, cõtemplationi dedita, & non otioſa, vt quidam falſo exiſtimant. Vnde Teleſphorus Papa ſeptem hebdomadas Clericis ante ſanctum Paſcha ordinauit ieiunandas: cuius Summi Pontificis ra-

De oratione.

Luc. 10. et 22. et Matth. 10.

Trid. de reform. c. 1.

d. 4. Dro

tio maxime Clericos tangit, quia (inquit) vita Clericorum diſcreta eſſe debet a laicorum conuerſatione, ieiunent a carne, & delitijs, & *Tolet. infra.* Hymnis Vigilijs & orationibus, Domino die, & nocte inhæreant. Tum quia ſtola in vtroque humero ſacerdotis, ad vitam actiuam, & contemplatiuam teneri ſignificat. Denique neque ad delitias aut voluptates vocati ſunt; nam ſi Apoſtolos clamat, *Ad Tit. 2.]* Apparuit gratia Dei Saluatoris Noſtri, erudiens nos vt abnegantes impietatem, & ſæcularia deſideria, ſobrie, iuſte, & pie viuamus, expectantes Aduentum gloriæ magni Dei, ſi abneganda ſunt ſæcularia deſideria, & vita Chriſtiana eſt expectatio Aduentus Dei ad iudicium; Cur miniſter Chriſti ſibi perſuadeat, ad ſplendide epulandum, & iocis vacandum ordinari, aut hoc ſibi licere? Cum tremendus ille iudex expectandus ſit cum timore, & tremore, vt D. Petrus monet? Deinde quia Chriſtus Dominus de expectatione vltimi diei totam Eccleſiam in Apoſtolis ſuis erudiens (inquit) *Luc. 21.* Cauete ne grauentur corda veſtra crapulas & ebrietate, & cogitationibus ſæcularibus. Quare omnem hominem conuenit præparari ad Dei Aduentum, ne quempiam, aut ventri deditum, aut curis ſæcularibus inueniat implicatum (ait D. Leo) Præterea qua ratione poſſunt ſenſuales delitiæ ſtare cum exilio, & lachrymis? Nam Eccleſia vallem lachrymarum, & exilium vocat vitam noſtram? Rurſus quo pacto conuenire poſſunt delitiæ, & riſus, cum fletu, quem ſacerdos poſtulat cum induitur? Merear Domine portare manipulum fletus, & doloris, vt cum exultatione recipiam mercedem laboris? Eſt etiam magnum argumentum quod Clerici in ſacris tenentur ad Cœlibatum; medium autem ad hoc neceſſarium eſt parſimonia, & oratio, occaſionumque, & vanæ lætitiæ fuga, aliter periclitatur caſtitas vt Concilia docent. Audiamus D. Hieron. quid de voluptuoſis Clericis ſentiat. *d. 35. Decr.* Principes Eccleſiæ qui delitijs affluunt, & inter epulas, atque laſciuias pudicitiã ſeruare ſe credunt, eijciendi ſunt in tenebras exteriores; quia confuſio, & ignominia eſt Ieſum Crucifixum magiſtrum pauperem, atque eſurientem fartis prædicare corporibus, ieiuniorumque doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre. Toto ergo errant cælo Clerici, qui voluptates, & ſæculum fugere non cogitant. Quare non omnino diſſimile eſſe debet propoſitum ingreſſus Eccleſiaſtici, atque Monachi, nam ſicut eo ipſo quo quis Monachatum ſuſcipit (ſi recta via incedit) ſibi perſuadet mundanam vitã fugere, & religioſam, deuotam, pœnitentem, & pauperem amplecti; ita etiam ſimilis eſt ianua intrandi in Eccleſiam, & qui per hoc oſtium non intrat ſed aliunde, fur eſt; ſalubriuſque ei eſſet in ſæculo manere. *Ex D. Ber.* Reſpondebunt forte, manifeſtũ eſſe Dei ſeruitium eſſe finem præcipuum; Sed re vera non eſt, vt exitus (ſtultorum magiſter) aperte monſtrat; ideſt, talium vita Epicurea potius quam Chriſtiana, inimicorum crucis Chriſti, quorum Deus venter eſt. Tum quia perfectum agens propter finem non habet pro fine, quem neque cogitat, neque dirigit media ad illum; Nam agere propter finem, eſt propter finem præcognitum conſequendum operari. Quanta autem ſit peruerſitas aliorum, qui grandiores effecti, & Arte de pane lucrando imbuti, quaſi neutrales, quam viam aggrediantur, in duos Scopos tendunt proponentes ſi poſſunt pingue beneficium arripere, bonis Eccle-

cleſiæ frui; ſin autem, amplam dotem quęrere, & Aduocatum agere: illud facile demonſtrat; quod in huiuſmodi non eſt Eccleſiaſticæ vitæ deſiderium; ſed opum, & bonorum; eamque proinde viam aggrediuntur, qua propoſitum finem certius conſequantur; ita vt lucrum ſit illorum finis, ſicut mercatorum, quæ ab hoc ſacro Inſtituto quam longiſſime diſtant. *Monendi ſunt initiari volentes* (inquit Catechiſmus) *ut nihil tanto munere indignum ſibi proponant, & optimum finem ſibi quiſque conſtituat, quo poſito recte omnia conſequuntur. Quod diligenter tractandum eſt. quo grauius hoc tempore fideles peccare ſolent in hac re. Alij enim eo conſilio ad hanc uiuendi rationem ſe conuertunt ut quæ ad uictum ueſtitumque neceſſaria ſunt, parēt, ita ut præter quæſtum nihil aliud in ſacerdotio quærant quod uulgo cæteri omnes in quouis ſordidi artificij genere ſpectare uideantur. Quamuis enim ex Apoſtoli ſententia natura, & lex diuina iubeat, ut qui Altari ſeruit ex Altari uiuat; tamen quæſtus et lucri cauſa ad Altare accedere maximum ſacrilegium eſt. Alios bonorum cupiditas, et ambitio ad ſacerdotalem ordinem ducit. Alij uero, ut diuitijs affluant initiari uolunt, cuius rei illud argumentum eſt, quod niſi opulentum aliquod Eccleſiaſticum beneficium ijs deferatur, nullam ſacri ordinis cogitationem habent. Hi ſunt quos Saluator mercenarios appellat, et Ezechiel ſeipſos non oues paſcentes. Quorum turpitudo, & improbitas non ſolum ſacerdotali ordini magnas tenebras offudit, ita ut iam nihil fere a fideli populo haberi poſſit contemptius, & abiectius: uerum etiam efficit, ut ipſi nihil amplius ex ſacerdotio conſequantur quam Iudas ex Apoſtolatus munere, quod illi ſempiternum exitium attulit. Illi autem in Eccleſiā introire merito dicantur, qui a Deo legitime uocati Eccleſiaſtica munera eius unius rei cauſa ſuſcipiunt, ut Dei honori inſeruiant.*

De Sacramento ord.

Quæ duo exordia Clericatus, vocationem, & finem, optimum Sancta Synodus Triden. ita exigit vt præcipiat; Ne prima tonſura initientur, niſi illi, de quibus proba bilis coniectura ſit eos, non ſecularis Iudicij fugiendi fraude, ſed vt Deo fidelem cultum præſtent, hoc vitæ genus elegiſſe. Et in ijs qui educantur in Seminarijs, poſtulat ſigna, qualia ſunt bona indoles, & voluntas, quæ ſpem afferant præceptoribus perpetuo in Eccleſiaſticis miniſterijs inſeruituros. Confirmatur etiam ex Conc. Tolet. vt habetur d. 23. Qui ad Eccleſiaſticos gradus eſt aſcenſurus, promittat fidem Catholicam deuote cuſtodire, iuſte & pie viuere, debitam reuerentiam, & obſequium præeminenti ſibi impendere; Et ex Grego. Innocen. & Concil. Tolet. Nullus eſt conſtituendus Subdiaconus, Diaconus, nec Presbyter, niſi profeſſionem faciant, & promittant Epiſcopo ſuo, caſte & pure viuere ſub Dei timore, quia ipſi templum Domini, & vaſa, & ſacrarium Spiritus ſancti eſſe debent, & ita indignum eſt immunditijs deſeruire. Concludamus ergo finem Clericorum ante oculos proponendum eſſe miniſteria diuina, orationem, vitiorum fugam, temporalium contemptum, puritatem vitæ. Hæc autem vt ad praxim deducantur, parentes, & clericandus conſulere debent Eccleſiaſticos probos, & doctos, animum promouendi explicando, mores, circunſtantias omnes ac deſideria, quæ ſi rectè conſiderata laudauerint; tanquam Eccleſiaſtico muneri accommodata, laudetur Deus pro tanto bono; & vlterius progrediantur, vt purum finē ſibi proponat totis viribus exoptandum

Tri. ſeſ. 23. c. 4.

Eadem ſeſ. c. 18.

d. 23 Decr.

d. 28.

tandum

candum,& quęrendum:hoc eſt velle Clericum fieri, vt ſalutem animæ melius conſequi poſſit, per arctam viam, vt (Canones dicunt) laqueos mundi fugiendo, & amplectendo vitam a populo ſegregatam, attendentem diuinis laudibus lectioni,& meditationi diuinarum rerum, ſacramentorum frequentiæ, præeundo coram populo Dei in obſeruatione diuinorum mandatorum, iuſte, caſte, & moderate viuendo ad Dei honorem,& Eccleſiæ ſanctæ ædificationem. Quibus peractis vtile admodum erit peccata confiteri Sacerdoti, & ſacro aſſiſtere, illudq; excellentiſſimum ſacrificium, & gratiſſimum cum clericandi perſona Deo offerre: ſummiſque precibus ab immenſa eius bonitate per Chriſti merita petere gratiam,& in ſancto propoſito perſeuerantiam; vt ad exoptatum finem faciat peruenire. Quod Dominus concedet ſi ea pietate & religione offeratur qua Samuelem filium obtulit pia mater Anna, quem a Deo precibus impetrauerat;vt maneat (inquit) ibi iugiter, hoc eſt in templo ſemper a contubernio fratrum, & a paterna domo ſegregatus. Hac ratione res cum conſilio, & bona intentione inchoata, imploratoque diuino auxilio bonum exitum expectare poteſt. Cum pronior ſit Deus ad miſerendum, & noſtris bonis conſilijs præſto ſit vt perficiat. Nam prope eſt Dominus omnibus inuocantibus eum in veritate; immo ipſe dat velle, & perficere.

1. Reg. c. 1.

DE PRIMIS LITERIS.

POst prefata exordia litterarijs exercitationibus, & pulchris moribus clericandus expoliendus eſt, atque exornandus. Concilium enim Trident. bonum teſtimonium Magiſtri ſcholæ, vbi educatur requirit ad minores ordines. Ergo (incipiendo a minoribus ſtudijs,)oportet vt primis literis imbuatur, Alphabetum latinum ei proponendo, in cuius initio Crux Chriſti (omnium fons benedictionum) laudabiliter apponitur; vt ſciat recte legere latinam, & vulgarem linguam, non ſolum Typis expreſſa, ſed etiam manuſcripta, & abbreuiaturas, quibus pleni ſunt libri Philoſophorum, & Theologorum. Præcipue curandum vt legat Chriſtianam doctrinam,& Textum eius bene recitare ſciat; & cum ætate creſcat eius cognitio, ac declaratio, vt diſcurſu temporis poſſit illam docere. Cuius declarationem ſcripſit admodum pie,& docte Illuſtriſs. Card. Bellarm. vulgari ſermone a Clem. VIII. Sum. Pont. commendatam omnibus Prelatis Eccleſiæ, vt per eam quæ omnino cum Catechiſmo Conc. conuenit) inſtituantur pueri, & ſimplices. Cui ſimilem antea Hiſpano ſermone cõſcripſerat Magiſter Dom. Soto, continentem Textum doctrinæ eiuſque declarationem. Quod confirmatur auctoritate Conc. Trid. ſeſſ. 23. vbi ad primam Tonſuram expoſcit, vt ſciat fidei rudimenta in ſortem Domini aſſumendus. Item conuenit Symbolum, & orationes doctrinæ flexis genibus coram Chriſti imagine, vel Deiparæ Virg. quotidie recitare, tam mane cum ſurgit, quam noctu ante dormitionem. Debent etiam curare parentes iuxta diſpoſitionem Concil. ſeſſ. 23. (quia commune eſt omnibus promouendis) vt a tenera ætate poſtquam recte legere nouerint, frequenter vitas, ac flores ſanctorum, deuotioniſque libros perlegant, quia via eſt accommodatiſſima ad Chriſtianam pietatem

Triden. ſeſſ. 23. ca. 5. & 11.

Doctrina Chriſtiana Cardini Bellar.

ſeſſ. 23. c. 4.

cap. 18.

tem, quam in ijs efflagitamus. Quales ſunt epiſtolæ D. Hierony. ſoliloquia D. Aug. libri Ludo. Granaten. Kempis de contemptu mundi, Ludou. Bloſius Philippus Meneſius de luce animæ, & Stella de vanitate mundi, & alij ſimiles.

Decet etiam promouendum, legere ſcientem, diſcere modum iuuandi ſacerdotem ſacrum facientem, vt apte Miſſæ inſeruire poſſit, ſicut fit laudabiliter etiam a pluribus ſęcularibus in Alma Vrbe, exhortantibus ad hoc, & ſuo exemplo monentibus (ſicut S. Th. Aquinas faciebat) Patribus congregationis Oratorij; in quibus Clericalis vita iuxta Sacrorum Canonum mentem relucet, cum doctrina, & deuotione ſpontanea, nullo voto cogente, ſatis conſona ei, quam in præſenti opere tradere intendimus. Videntur enim antiquam renouaſſe viuendi formā Eccleſiaſticam qua Clerici viuebāt in communi, vt habetur 12. q. 1. & Eugenius II. & Leo IV. ſtatuerunt clauſtra conſtitui iuxta Eccleſias in quibus Clerici Eccleſiaſticis diſciplinis vacarent; ita vt vnum eſſet omnibus Refectorium, & Domitoriū, & cæteræ officinæ ad vſus Clericorum. Et poſt, titulo de vita & hone. Cle. Grego. 7. ſtatuit vt inſpectis facultatibus quarundam Eccleſiarum, poneretur certus numerus Clericorum, ita vt bona eorum venirent in communi: vt in vna inquit domo veſcantur, & ſub vno tecto dormiant, ac quieſcant. Cuius vitæ veſtigia videntur in Alma Vrbe. Quibus adiunxerunt Patres iſti pręclarum aſſumptum exhortādi quotidie ad bonum, ad orationem, ad audiendū Dei verbū, ad Sacramentorū operumque miſericordiæ frequentiam, cū ingenti fructu populi, ex quibus merito Illuſtriſs. Card. Prelati, inſigneſque viri prodierūt.

Iuxta illud; verbū Chriſti habitet in vobis abundanter docētes, & com

Mox ſequitur vt bene ſcribere diſcat, & ſupputandi rationem, laicis communia, ſed magis a futuro ſacerdote poſcenda qui vere ſapiens eſſe debet, de quo Thema noſtrum dicit, labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam. Ideoque in Conc. Trid. ſeſſ. 23. præcipitur ne prima tonſura initientur neſcientes ſcribere & legere.

monētes. Coloſ. 3.

ſeſſ. 23. c. 4.

IN LATINA LINGVA, & Rhetorica.

DEINDE exercendus eſt (vſque ad ſecundum ſeptenniū vt plurimum) quia ad ſcientias capeſſendas latino ſermone conſcriptas neceſſaria ſunt.

LATINVS ſermo tria continet, voces ſimplices, Tum congruā vocum, & partium orationis compoſitionem, Tertio ornatum? Quod attinet ad vocem ex Dictionarijs, vt Calepino (qui neceſſarius liber eſt) & frequenti magiſtrorum interrogatione informari poteſt, a quibus ſæpiſſime quærere debet, quæ voces latinæ vulgaribus ſingulis reſpondeant. Item quadruplici genere exercitationum; Primo lectione, & auditione latinorum librorum eorumque expoſitione, vt familiarium epiſtolarum, Hiſtoricorum, Poetarum, & Oratorum. Secundo verſione Tractatuum vulgarium in latinam linguam, & e conuerſo latinorum in vulgarem traductione, frequentique conſcriptione Epiſtolarum. Tertio vſu loquendi latine, & orandi in publico de laudibus rerum, geſtorum, perſonarum, vel in commendationem virtutum. Quarto vſu mandandi memoria plura, & recitandi tam priuatim, quam cum Magiſtris, & socijs. Ad congruam partium orationis conſtru-

Emmanuel Aluarus. ſtructione Romæ probatur Emmanuelis Aluari Grammatica; qui ſtatim in Præfatione commendat, aſſuefaciendos adoleſcentes, optimæ pronuntiationi litterarum vocaliũ, & conſonantium, vt detur propria vis & ſonus cuilibet literæ; relegandoſq; procul abuſus nationum deturpantium huius linguæ puritatẽ, addendo, vel detrahendo de propria vi literarum. Immo & ſcribendum eſſet ſicut loquimur. Nam ſicut voces ſunt ſigna conceptuum, ita ſcripturę ſigna, vocum quæ proferuntur; ex literis ſyllabæ, ex ſyllabis dictiones, ex dictionibus oratio tam perfecta, quam imperfecta conſtituitur. Perfecta duabus partibus (vt minimum conſtat) nomine & verbo, quibus iuxta Ariſtot. in lib. de Interpretatione verum, vel falſum ſignificatur. Eſt etiam ſimul e- *Manut.* xercendus puer in bona phraſi, & modis loquendi latinæ linguæ, vt elegantijs Manutij. His adiungi poteſt laudabilis conſuetudo Almæ Vrbis cum Grammatica ſimul addiſcendi ſententias Catonis Cenſoris, Oratoriſque excellentis Romani. Nam cum memoriæ ſint mandandi varij Tractatus ad loquendum, ſcribendum, orandum, legendum, & exemplorum gratia; profecto illæ ſententiæ propter breuitatem, & propter vitæ vſum, & quia ex Morali Philoſophia ſunt deprompta, merentur tanquam aureæ memoria retineri; & clericandum diſponent ad Eccleſiaſticam ſapientiam. Quales ſunt quæ ſequũtur, in laudem virtutum & vituperationem vitiorum.

Deum cole.

Cum bonis ambula.

Saluta libenter.

Verecundiam ſerua.

Libros lege.

Nihil temere credideris.

Virtutem primam eſſe puta compeſcere linguam.

Sermo hominum mores celat, & indicat idem.

Exigua tribuenda fides, ijs qui multa loquuntur.

Sermo datur cunctis, animi ſapientia paucis.

Qui ſua conſumunt, cum deeſt aliena ſequuntur.

Morbi cauſa mali eſt homini quandoque voluptas.

Impedit ira animum, ne poſſit cernere verum.

Diuturna quies vitijs alimenta miniſtrat.

Quod nimium eſt fugito.

Sine doctrina vita eſt quaſi mortis imago.

Nemo ſine crimine viuit.

RHETHORICA ornatum docet. Nam eſt Ars bene, & ornate dicendi ad perſuadendum; neceſſaria Clerico, ad munus concionandi recte præſtandum, in qua Sancti Patres diligentiſſime ſunt exercitati: & ſacri libri ſchematibus, & Tropis ſcatent. Quæ in tribus conſiſtit, in Inſtrumento, Materia, & Officio Oratoris. INSTRVMENTVM quo vtitur orator ad perſuadendum eſt oratio, cuius partes ſunt, Exordium, Narratio, Propoſitio, Confirmatio, Refutatio, & Epilogus. Quia ordo naturalis bene loquendi humano ingenio a Deo inditus eſt, primo loco præparare animos Auditorum ad audiendum, deinde exponere factum circa quod loquendum eſt. Tertio proponere capita pertractanda vnum, vel plura. Quarto ſententiam quam intendimus confirmare, & aduerſam refutare. Tandem concludere. Quæ partes actu, vel virtute continetur in locutione vnius, vel multorum de aliqua re confabulãtium. Exordium breue eſſe debet, ſimiliter propoſitio, & narratio, in qui

qua nihil perturbate dicendum, ſed ſeruato temporis ordine, proprijs & vſitatis verbis. In propoſitione dicendum eſt de quibus ſit loquẽdum & quo ordine. Confirmatio, & refutatio ſunt præcipuæ partes, quibus orator ſententiam dicit, & probat, Tum expoſitione, Tum argumentis. Argumenta ſumuntur ex locis Rhetoricis, quorum alij ſunt interni, alij externi. Interni rei, vt cauſæ, effectus, antecedentia, conſequentia, oppoſita, ſimilia, & rei coniũcta. Quæ omnia ſi conſiderẽtur in re pertractanda, ſimul cum circumſtantijs, Quis, Quid, Quibus auxilijs: Vbi, Cur, Quomodo, Quando; inuenientur argumenta ad perſuadendum. Externi, vt Auctoritas diuina, & humana, Hiſtoriarum, & Philoſophorum intentum confirmãtia, ſunt etiam alia ſpecialia argumenta cuiuſque cauſæ propria. MATERIA Oratoris eſt quæſtio generalis, vel particularis. Generalis quæ vocatur Theſis, ſine locis, temporibus, & circumſtantijs; aut pertinet ad cognitionem, & eſt triplex: An ſit, Quid ſit, Qualis ſit; aut ad actionem, vt An fieri poſſit, & quomodo. Particularis vocatur Hypotheſis, ſiue cauſa, quæ triplex eſt, Demonſtratiua, deliberatiua, Iudicialis. Demonſtratiua laudantur, vel vituperantur, Perſonæ, Res, dicta, aut facta, vt in Concionibus ſanctorum fit. Ad quam propria argumenta ſunt honeſtum, & vtile; nam talia laudem merentur. Deliberatiua ſuadetur aliquid agẽdum, vel diſſuadetur, In qua duo pertractantur. An fieri debeat, & An liceat, vel an expediat. Propria huius argumenta ſunt, vtile, honeſtum, poſſibile, neceſſarium, Nam talia recte deliberantur agenda. Iudiciali accuſatur, aut defenditur aliquis de crimine. In qua aut quæſtio eſt de facto, vel

Villaui. lib. 3. de formam, c. 7.

Semperi. in Rhet.

An iure ſit factum. Ad factum argumenta ſunt voluntas, & facultas. Ad facti iudicium, lex, natura, conſuetudo, æquitas, & iſta quæſtio omnes partes perfectæ orationis requirit. OFFICIA Oratoris, ſunt inuentio, diſpoſitio, elocutio, memoria, & pronunciatio: Nam inuenienda eſt, & excogitanda oratio, ac debito ordine diſponenda, & elegantibus verbis, & ſententijs exornanda, tum memoriæ mandanda tandem decore pronuntianda. Bona diſpoſitio, tam partium orationis, quam argumentorum, aut eſt naturalis, aut prudentiæ, qua receditur ab arte propter aliquam cauſam. Elocutio (propria Oratorum) eſt electio idoneorum verborum, & ſententiarum, ad explicandum, & ſuadendum, iuxta triplex dicendi genus quo vti poteſt; Humile, Mediocre, & ſublime, ad docendum, delectandum, & mouendum. Humile purum continet ſermonem, & parce vtitur figuris. Mediocri vtuntur Hiſtorici, in quo non ſunt infima, aut peruulgata verba; ſublime conſtat verbis grauibus, & amplis, & compoſitione ornata. Ad elocutionem tria requiruntur. Elegantia, compoſitio, & dignitas. Elegantia conſiſtit in verbis proprijs fugiendo Barbariſmum, & Solæciſmum. Compoſitio in ſuaui orationis curſu, perfectis periodis ſententijſque cum inciſis membris, ac numero ſyllabarum, quæ longe eſſe debent in fine periodi: dignitas eſt qua pulchra redditur oratio quaſi coloribus depicta. Quod fit Tropis, & ſchematibus Tropus eſt mutatio dictionis, vel totius ſententiæ propter ſimilitudinem, vt Metaphora, Metonimia, Antonomaſia, Ironia, Periphraſis, Hyperbole. Schema velut geſtus, & figura orationis ſine mutatione ſignificationis, triplex

Cornel. Vale.

eſt, vnum dictionum, vt repetitio vocis; Alterum totius orationis, vt Exclamatio, Interrogatio, Apoſtrophe. Tertium genus eſt amplificantium orationem, quæ ſimul ſunt exornationes, & argumenta. Potiſſima ſunt deſumpta a loco definitionis, vt Auxeſis, Expolitio, definitio per differentiam. A loco diuiſionis, vt diſtributio, Dilemma, diſſolutum, enumeratio, incrementum. A cauſis, vt Gradatio. A contrarijs, vt Amplificatio per cōtentionem, comparationem, & exemplum. Ex loco generis, vt Epiphonema. Ex circunſtantijs educitur deſcriptio, vt naufragij, ciuitatis captę. Quarum figurarum copia, & affectatio vitanda eſt. Ad elocutionem cōſequendam iuuat aſſidue legere eloquentes viros, vt M. Tulij familiares Epiſtolas, officia, de amicitia, de ſenectute, Paradoxa, Tuſculanas quæſtiones; De natura deorū, Partitiones; Ad Herennium, & ſimiles. Memoriam iuuant moderatus, victus, exercitatio corporis, ſed maxime vſus legendi, cogitandi, & lecta, vel audita repetendi. Nocent autem curæ, & perturbationes Optima pronunciatio conſiſtit in voce accommodata, & debito motu corporis. Vox non debet eſſe effeminata, neque impertinens vociferatio, neque inepta cantillatio, neque fractæ vocis tremor, ſed accommodata rebus, quæ ſecundum earum exigentiam intendi debet, & remitti; ita vt grandia proferantur grauiter, mediocria temperate, parua leuiter, atrocia vehementer. Geſtus corporis immoderatus vitandus eſt, furioſaque brachiorum iactatio, nam debet eſſe honeſtus, modeſtus, & orationi congruens. Quia ita docet facultas apte, decore, prudenterque loquendi. Hæc de Exordijs, & minoribus ſtudijs clericorum.

DE RATIONE BENE VIVENDI SCHOLARIVM.

Secunda Pars.

Poſt minora ſtudia, antequam ad maiora facultatū, veniamus oportet viuendi normam, iuuentuti bonæ expectationis, præſcribere: ſapiētia enim in maleuolam animam non intrat, neque in corpore ſubdito peccatis. In quo media via inter extrema incedendum eſt; vt neque nimio rigore, ætas florida, & læta, efficiatur tetrica, & nimis melancholica, nec curſus naturæ ad debitam corporis magnitudinem, nimia recluſione, & continuatione feriarum actionum impediatur. Immo neque nimiæ deuotiones ſcholaribus expediunt, quia ſtudium totum hominē requirit. Aliud extremum cauendū eſt, ne licentia quidlibet audendi concedatur, lapſibuſque peccatorū & vitijs, quam intendimus ad ſapientiā, via occludatur. Vnde cautio in hac parte ſummopere neceſſaria eſt, quia iuuentus ſolet modum egredi, inquit S. Ambr. & promptior eſſe ad lapſum. Quare fræno opus eſt Magiſtro, ac monitore perpetuo. In genere optima viuēdi formula ſcho-

larium,

larium, tam in ſeminarijs, quam extra erit, vt de conueniento temporis partitione exercitationumque, & de bono Animæ, & corporis habeatur cura, & ſuum cuique reddatur; interponanturque etiam gaudia, & recreationes, inter curas ſtudiorũ, & virtutum. Item boni ſocij, amicique eligantur.

Temporis, conueniens partitio, in diebus lectionum, ea eſſe poteſt, vt ſummo mane cum luce diei exurgente ſurgat, pręſertim hyeme in terris frigidis, niſi gratius ſit ante lucem, & commode poſſit à nimio frigore defendi, vt lectioni, aut orationi vacet, à qua incipiendũ eſt etiam ſe induendo, & corpuſculum componendo, iuxta conſilium B. Baſilij. Quatuorque præſtanda ſunt; Primo ſacro ſigno Crucis ſe munire, & commendare ſe, & omnia ſua Sanctiſſimæ Trinitati, & Beatiſſimæ Dei matri, ſanctiſque Io. Baptiſtæ, Petro, & Paulo, & Angelo cuſtodi, & ſancto Patrono. Secundo gratiæ agendæ pro nocte, cum ſalute transacta, & pro omnibus beneficijs a Deo acceptis. Tertio petat a diuina miſericordia per Chriſti merita, vt ab omni peccato, & malo liberetur. Quarto proponat firmiter cum diuina gratia in nullo Deum offendere, ſed ei ſeruire; Et dicat Pater noſter, Aue Maria, Credo, Iam lucis orto ſydere; vel, Te Deũ laudamus, aut, Ieſu noſtra redẽptio, vt in Aſcenſione, cum oratione, Domine Deus omnipotẽs, qui ad principium huius diei nos peruenire feciſti, &c. Eſt autem conueniens ab oratione incipere, quia omne datum optimum de ſurſum eſt. Deinde audiendum eſt ſacrum, & nunquam omittendũ, vt ſolet in Vniuerſitatibus bene Inſtitutis, ſiue ante lectiones, ſiue poſt, aut medio tempore, iuxta pręſcriptũ Conc. Trid. ſeſſ. 23. Vbi commendatur Epiſcopis, vt ſingulis diebus pueri, qui in Seminarijs educãtur Miſſæ ſacrificio interſint, confiteantur, & communicent ſingulis menſibus. Et in feſtis Cathedrali, & alijs Eccleſijs inſeruiant. Quæ communia ſunt ſcholaribus clericandis, tum ad propriam ſalutem, tum quia officia ſunt Clericorum quo tendunt.

D. Baſil. In S. Iulitam, & Chryſoſ. hom. 10. in Gene.

ſeſſ. 23. c. 18.

Missa attente audienda, aliquid conſiderando eorum quę ibi geruntur. Poſſunt tria fieri, gratiarum actio, oblatio, & petitio. Gratiæ agẽdæ pro cręatione Animæ ad beatitudinem cum integritate corporis. Et pro ineffabili beneficio Redemptionis, & vocationis, quo Deus naſci voluit, mori in Cruce pro nobis peccatoribus, reſurgere, in Cælum aſcendere, Eccleſiam inſtituere fide, ſacramentis, & lege amoris, qua filij Dei nominemur, & ſumus, ad q̃ nos vocauit, ſine meritis noſtris. Pro quibus dicat fidei Symbolum. Item ſacrificium illud offerẽdũ eſt Deo, & excellentiſſima Chriſti merita ad eius honorem; atque etiam ſuam voluntatem, proponendo ei perpetuo ſeruire cum eius gratia. Quæ tandem, petenda eſt cum peccatorum remiſſione, & ne permittat in mortale cadere, & ſi lapſus fuerit pœnitentiæ donum cõcedat. Poſtulanda eſt etiam mentis illuſtratio ad proficiendum in doctrina; nam ſi quis indiget ſapientia poſtulet a Deo (ait D. Iacobus) qui dat omnibus affluenter. Et recitetur ter Pater noſter, & Aue Maria. His peractis bono animo ad lectiones audiendas ſe conferat; In ſchola ſigno Crucis ſe muniat dicẽdo illam orationem, ſaltem mente; Actiones noſtras quæſumus Domine aſpirando præueni, &c. Et omnibus alijs cogitationibus depoſitis duo agenda. Primum attente audire, quæ a Lectore proponuntur, & quid ſit tenen-

dum tanquam verum. Secundo poſt lectiones interrogare debet Magiſtrum, vel condiſcipulos, quomodo lecta intelligenda ſint, & propter quam rationem. Et hæc Regula ſūmopere obſeruanda eſt ad proficiēdum in ſcientijs, quamuis non ſe offerat argumentum in forma, nihilominus ſemper interrogare, quę ſit ratio dictorum. Nam aſſerere aliquid abſque auctoritate, vel ratione, ſimilitudine, vel exemplo, leuitatis eſt. Saltem audiendi ſunt, alij interrogantes, & dubitantes. Domum rediens cōſideranda ex auditis præcipua, aut ſocij interrogandi de illis. In domo hora conſueta de prandio cogitandum, vt ſuo tempore ad ſcholas redire poſſit. In menſa, benedictio dicenda, vt in fine Breuiarij; Benedic Domine nos, & hæc dona tuæ largitatis. Poſt gratiæ agendæ, vt Ius Canonicum, Clericis pręcipit. Finito prandio per aliquod tēporis ſpatium placide conuerſandū cum ſocijs de Vniuerſitate, de lectoribus, de modo procedendi, de doctrina, aut de alijs Vniuerſitatibus, & eminentibus viris Catholicæ Eccleſiæ. Cubiculum adeat ad paranda neceſſaria, vt ante ſonitum horæ ſit in ſcholis. Poteſtque præueniri lectio materiæ interpretandæ; quæ ſimiliter audienda eſt, & interrogandum; vel impugnandam ſunt, quæ dicuntur. ELAPSO die ſuccedente nocte, luce accenſa, quaſi per tres horas iuxta laudabilem Salmantinæ Vniuerſitatis conſuetudinem, lectiones diei repetendæ ſunt, facta prius oratione, vt illa D. Thomæ; Creator ineffabilis, qui de theſauris ſapientiæ tuæ tres Angelorum Hierarchias condidiſti, & eas ſupra Cęlum Empyreum miro ordine collocaſti, atque elegantiſſime partes Vniuerſi diſtribuiſti, &c. Infundere digneris ſuper intellectus mei tenebras tuæ radium claritatis, remouēs peccatum, & ignorantiam. Da mihi intelligēndi acumen, retinendi capacitatem, interpretandi ſubtilitatē, addiſcendi facilitatem, loquēdi gratiam copioſam &c. Quod ſi ſtudiū ſit Sacræ Scripturæ dici poteſt illa D. Chryſoſtomi. Domine Ieſu Chriſte aperi oculos meos, & aures cordis mei, vt audiam, & intelligam eloquia tua, & faciam ſemper voluntatem tuam. Deinde aggrediendum eſt ſtudium, quod duas habet partes, lectionem, & meditationem; prius eſt legendus liber, aut ſcriptū, & poſtea meditandum. Quod ſi nō ſtatim intelligas, non pigeat ea aliquoties repetere, & perlegere, accuratiuſque ſcrutari, nam dies diem, & momentum momentum docet. Neque deſperandum etiam ſi non intelligas, & minus liber de manibus abijciendus. Nam ſi terrena nō percipimus niſi longo labore; non mirum ſi res diuinas non continuo intelligamus. Lectiones illæ dumtaxat ſtudendæ ſunt, quæ viro docto Magiſtro Mantio duę in Theologia ſufficere, videbantur quę ſi per ſpatium quattuor annorum fructuoſe repetantur, ingens profectus ſperari poteſt. Sequitur cœna, & collocutio honeſta ſociorum. ANTE ſomnum examen conſcientiæ diligenter faciendum eſt, quod in tribus, aut quatuor conſiſtit. Primo Deo, & Beatiſſimæ Virgini ſe commendet, & Angelo cuſtodi, agendo gratias pro die præterito, & pro omnibus beneficijs. Secundo, petenda eſt gratia ad peccata cognoſcenda, & venia; item ad dolendum, & emendationem. Tertio ad memoriam reuocanda ſunt cogitationes, verba, & opera, contra Deum, Proximum, & ſeipſum, quorum recordabitur; inſpiciendo perſonas, loca, & negotia pertractanda. Quarto pro quolibet

Villaui. li. 3. c. 5.

Villaui. li. 2. c. 2.

Catech. de Sacr. Penit.

peccato dicat Pater noſter, & Aue Maria, flexis genibus, dolendo, & proponendo confiteri, & amplius non peccare cum Dei gratia; quoniam peccatum eſt ſummum malorum omnium, quod odio hēt Deus, & punit ſeueriſſime. Mox ſalua nos Domine vigilantes, cuſtodi nos dormientes &c. Et ſub tuum præſidium cõfugimus, ſancta Dei genitrix &c. cum. Salue Regina, vtendumque aqua benedicta, & ſigno Crucis. Et dum aptat ſe ſomno, vtile erit, latius cogitare, ſi quid imprudenter dictũ, aut factum ſit, & qua ratione ſint corrigenda. *Si iterum occurrant, vel certe aliqua lectionum difficultas penſanda.*

In feſtis facta oratione Matutina, ſupra tradita, recitandum eſt Officium paruum Beatæ Mariæ, quod certe decens eſſet quotidie a ſcholaribus recitari, quia Oratio paſtus eſt animæ, & medium ad mentis illuſtrationem, quamuis omittatur aliquando propter impedimentum; poſſetque commode recitari partim in Miſſa, partim ante ſomnum, aut pro opportunitate temporis. Deinde legendus eſt liber ſpiritualis, eritque Memoriale Chriſtianę vitę, Ludo. Granaten. quem optarem Scholaribus, Clericiſque omnibus eſſe commendatiſſimum, tanquam familiarem amicum, conſultorem, & deuotionarium. Nam propter doctrinæ præſtantiam, & vtilitatem, hoc ordinarunt pij Epiſcopi in Hiſpania ſuis Parochis. Quem tempore procedente ſimul cum Catheciſmo Conc. oportet nocturna verſare manu, verſare diurna. Tũ ad Miſsã, & concionem alicuius, inſignis viri properet: &, ſi placet, puncta præcipua concionis in charta adhoc deſtinata in domo ſcribat. Poſt prãdium ſi diſputatio habeatur publica in vniuerſitate nunquam relinquatur, quia ijs firmius veritates percipiuntur attentius, & melius aliquando, quam lectionibus. Quare aliqua deambulatiuncula interpoſita illò perueniat, & omnes aſſertiones perlegat, an noua aliqua opinio defendatur, & in quo fundetur. Si non ſit diſputatio, viſitet Sanctiſſimum Sacramentum, & dicat veſperas Beatiſſimæ Virg. Tamen in maioribus feſtiuitatibus, omnino expedit diuinis Officijs intereſſe. Poſt cœnam confabulandum eſt de neceſſarijs vitæ prouidendis pro ſequenti hebdomada, *ne iſtorum cura impediat animum tempore lectionum, quem liberum deſiderant ſtudia.* In die aſſueto vacantiæ, iuxta Salmantinem conſuetudinem, audita Miſſa, a ſtudio ceſſare poteſt, & cum amicis recreationem interponere, vt ludo aliquo Clericis non prohibito, vel deambulatione longiore, aut placida conuerſatione vti, niſi diſputatio publica habeatur, quæ nunquam eſt relinquenda. Hæc intermiſſio initiũ habuit ex experientia prudentium virorum, qua didicerunt exercitationes mentis, vt durare poſſint, debere interrũpi quibuſdam interpoſitis gaudijs. Interpone tuis interdũ gaudia curis, dixit ſapiens ille Romanus. Deficiunt ingenij humani vires continuo labore; contingitque multoties impediri curſum ſtudiorum. Tum ætas velociter tranſit, ad ſtudia, & labores aptior; & facultates parentum exhauriũtur ad ſuppeditandos neceſſarios ſumptus. Quo fit propter morbum inter ſtudia exortum defectuoſos aliques, & mancos remanſiſſe in informatione facultatum. *Vnde a morbo cauendum eſt, quia ex eo multa incommoda ſequuntur.* Qvando in Æſtate ab Vniuerſitate diſcedere cogitur, maxime curandum eſt, vt id tẽpus non in otio conſumatur, nec lucra

Villaui. li. 1. c. 1.

Memoriale Chriſtianæ vitæ. Granata

Blan. Cõpoſt. Archiep.

Caluci. de Sar. Paul.

Cato Cenſo.

cra

cra facta deperdantur in paterna domo, quin potius quantum fieri poſſit, eodem modo tranſigendum, in oratione, Miſſa, & lectione facultatis, quam cœpit ſtudere, vel certe audita repetenda. Et quia tunc locus datur, quotidie Officium Beatæ Mariæ recitet, vt a periculis diſtractionum liberetur. Auctorem facultatem ſcribentem totum euoluat, quamuis aliqua non intelligat, ſingulis diebus partem aliquam percurrendo; quia lectionis aſſiduitas eſt medium ad ſcientias comparandas, & alia ex alijs intelliguntur; ſi deambulandum ſit ſecum portet librum. Si interdiu animum applicare non poſſit ad exacta ſtudia, legat aliquid ex humanis litteris, vt in Philoſophiæ curriculo M. Tulliũ de vniuerſo, & alia eius opera, Laertiũ de vitis Philoſophorũ, Comitis Mirãdulani Epiſtolas, & opera Petri Mexiæ Dialogos Philoſophicos, vel Hiſtorias: At in curriculo Theologiæ conciones Granaten. vel, eius opera vulgari ſermone, epiſtolas D. Hieron. Collationes Caſſiani, Ludouici Viues de veritate fidei, vel alios Tractatus ſpirituales, aut ſi placet Hiſtorias Eccleſiæ, Pontificum, & Imperatorum. Ex quibus diſcet plurima humanæ vitæ vtiliſſima. Poſſet etiã in declamationibus exerceri, vel in lectionibus, & colloquijs de locis communibus, cum amicis, ſtudioſis, aut in domeſticis exercitationibus Epiſtolarum, & Epitomatum, vt quinto libro dicemus.

Animae cura præcipue habenda eſt; nam quid prodeſt homini vniuerſum mundum lucrari, & omnem ſcientiam Theologorum, & Philoſophorum habere, ſi animæ detrimentum patiatur? Huiuſmodi cura in ſolo vno conſiſtit, de quo dicitur. Porro vnum eſt neceſſarium, hoc eſt Dei gratia, & amicitia, ad quam medium eſt obſeruatio diuinæ legis. Quæ in duobus præceptis charitatis Dei, & proximi continetur, quæ eſt optima viuendi ratio. Deus fide, & charitate credendus, adorandus, & amandus eſt, & ab eo omnia bona ſperanda. Proximus etiam eſt diligendus, vt eius vitæ, honori, & bonis nullo modo noceamus, immo benefaciamus; ſuperioribus exhibeatur obedientia, & ſic iuſte, pie, & ſobrie viuamus. Ad melius legem ſeruandam valent conſilia, vt examen conſciẽtiæ, ſolitudo, opera miſericordiæ, lectio librorũ, ſacramentorum frequentia, oratio, ieiunium. Vnde laudabilis eſt Salmantina conſuetudo ſcholarium ieiunantium in ſextis ferijs accepta ex Conc. Trid. ſeſſ. 2. & ex Conc. Tolet. In Paraſceue autem ſatis eſſet pane, & aqua refici (vt aliqui Prælati, & Eccleſiæ) veſtitumque dormire, vt Chriſto Domino compatiamur. In feſtis largiatur aliquam eleemoſynã, vt aſſueſcat miſereri, quod Eccleſiaſticorum maxime propriũ eſt. Confeſſionem frequentare dẽt ſingulis menſibus, & Communionẽ iuxta Confeſſarij iudicium, ex præſcripto Conc. Trid. ſeſſ. 23. & propter ſalutem propriam, & aliorum, quia non poterũt Clerici Sacramentorum frequentiam populo perſuadere, niſi prius hanc pietatem a pueritia ipſi didicerint, & proprio experimento, difficultatibus aliorum occurrere nouerint. Confeſſarius eligendus eſt vir pius, & doctus, vt dirigatur circa Dei ſeruitutem. Si in mẽſe cadat feſtum Chriſti Domini, aut Matris eius, communio ad illũ diẽ differatur, cum Orationibus ante communionem, & poſt, vt in Memoriali Granaten. Oratio eſt principale Chriſtianorum exercitium, in qua quotidie ſcholaris exercitandus eſt, tanquam aſpirans ad eius per-

Triden. ſeſſ. 2.

ſeſſ. 23. c. 18.

perfectionem, quæ in Clerico tanquam interceſſore inter Deum, & homines debet elucere. De qua tam mentali, quam vocali; ſcripſit Granata in Memoriali, quod Scholatibus ſufficit. Quæ cõtinet lectionem, Præparationem, Meditationẽ, Gratiarum actionem, & Petitionem gratiæ virtutum, & omnium bonorum, cum oblatione, & propoſito Deo in omnibus placendi, peccatorumque dolore. Vniuerſa autem materia meditanda triplex eſt. Prima conſideratio Mortis; & miſeriæ humanæ, Iudicij, Inferni, & Gloriæ. Secunda beneficiorum Dei, præcipuè redemptionis, & vitæ Chriſti, & mortis, quæ in exemplum, & redemptionẽ noſtram exhibita eſt. Tertia diuinarum perfectionum, vt Sapientiæ, Bonitatis, Prouidentiæ, Omnipotentiæ, Pulchritudinis, Iuſtitiæ. Quibus addit duas regulas alteram faciliorem bene viuendi, ad vitanda peccata mortifera, & modum exercendi Contritionem, rectè confitendi, & cõmunicandi. Alteram perfectiorem ſpiritualis vitæ, & virtutum. Quare in feſtis lectioni huius libri, & orationi vacare debet Scholaris, ſummo mane, aut noctu tempore ſtudij, vt ſupra inſinuauimus. Verum quoniam Adoleſcentia cæca ætas eſt, & humana vita varijs tentationibus agitatur (quia militia eſt vita hominis) oportet, vt in promptu habeat remedia, quibus illas vincere poſſit, quæ adducuntur à Dioniſio Cartuſiano. Primum cum ſentis te ſollicitari ad peccandum, inuoca Deum, & Dei matrem, & Angelum cuſtodem, & confide in ſolo Deo, qui non deſerit ſperantem in ſe. Secundum diligenter attende mortẽ, & amariſſimas pœnas Inferni, Iudicium finale, & ineffabilia gaudia regni cœleſtis. Nam memorare nouiſſima, & in æternum non peccabis. Et D. Hiero. ait facile contemnit omnia, qui ſemper cogitat ſe eſſe moriturum. Tertio valet amoroſa recordatio Paſſionis Chriſti. Quarto conſideratio diuinæ præſentiæ, nam milites in præſentia Regum ſuorum fortiſſime pugnant. Quinto quod hoſtes noſtri ſunt crudeliſſimi, & fraudulentiſſimi, intendunt nos ſeparare a Deo, & priuare gratia Dei, & æternæ damnationi tradere; ideò ſtultiſſimus eſt, qui eorũ ſuaſionibus acquieſcit. Sexto conſiderare quot mala incurrat homo tẽtationibus conſentiendo, & quanta bona ſequantur viriliter reſiſtendo. Septimo eſt illud D. Hieron. Ama ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis. Demum, ad curã honeſtatis pertinet ne fœmina ſeruiens in domo ſcholarium noctu maneat, iuxta Statuta Salmantinæ Vniuerſitatis, quæ prudenter voluit aſſuefacere adoleſcentes Clericali vitæ, & honeſtæ.

Tridẽt. ſeſſ. 2. *Ad Nepotianum.* *Ad Ruſti.*

Cvra corporis moderata eſt etiam neceſſaria, & ſtudio ſeruit, è contrario immoderatus cibus, ſomnus, & delitiæ nocent, iuxta illam Græcorum ſententiam venter pinguis non gignit mentem tenuem. In primis decet ſcholares habitu clericali vti, iuxta morem Salmantinũ, qui conſonat cum Conc. Trid. ſeſſ. 23. vbi ſtatuitur, vt pueri qui in ſeminarijs educatur tonſura, & habitu Clericali ſemper vtantur. Quod maxime congruit dignitati, & honeſtati Theologiæ. Immo etiam hoc habet indumentum Eccleſiaſticum, quod refrænat, ac retardat ne quid committatur inhoneſtum, quod appareat contrarium ornamento. Pro alijs, qui non ita commodè poſſunt, introductus eſt honeſtus vſus tunicæ, quæ genua cooperiat (Hiſpane foranilla vocatur) & mantelli breuis. Lectulũ habeat in quo dormiat ſolus,

ſeſſ. 23. c. 18. *ſeſſ. 23. c. 18.*

ſolus,vt in ſeminarijs fit,nam inconuenientia non parua ſequuntur, ſi plures in eodem lecto dormiant.
Menſa cum libris, ſella, & Arca pro veſtibus, & lineis ſeruandis, & lucerna neceſſaria ſunt,& Atramentarium cum calamis,& charta ſemper parata. De munditie in cubiculo, veſtibus, & cæteris curandum eſt,quia placet omnibus,& ſaluti ſeruit,& decet. Linteolo mundo vtatur pro facie,& manibus abluendis. Cibus decoctus, & aloqui fractus, aut ſimilia, videtur communis, ac vulgaris menſa, ac proinde neceſſaria; ſi vino vtatur ſit bene dilutum Quia opottet Eccleſiaſticos ſuperflua reſecare, temperantia enim illis propria eſt. Recte dixit ille neceſſaria pauca ſunt,ſuperflua infinita, Et natura humana paucis eſt contenta. Rurſum cubiculi habitatio, & in eo aſſidua legendi, & orandi conſuetudo, ad conſeruandam vitæ puritatem valet plurimum, ideo ad id hortatur D. Thomas illis elegantibus verſibus. *Ludo. Viue.*

Pax eſt in Cella, foris autem plurima bella.

Hic legas, hic ores, mediteris, & crimina plangas,

Item ditiores ſcholaſtici, poſſunt habere famulum, & qui ampliores habent facultates plures, tamen ſcholares, cum quibus officia charitatis exercere poſſint, curam gerendo illorum, ne neceſſaria deſint, & ſuas audiant lectiones,& hoc modo mutuis auxilijs, ad inuicem iuuari poterunt.

Bona amicorum, & ſociorum electio, etiam ad mores pertinet; Nam corrumpunt bonos mores colloquia mala. Parum,aut nihil proſunt præcepta, atque conſilia ſi vitioſorum familiaritatem nō fugias; Memento illius ſententiæ, Cum bonis ambula. Immo etiam fugiendi ſunt ij, qui ad Eccleſiam non aſpirant,aut obſcena loquuntur, vel tempus turpiter conſumunt; Poſt ſonitum Angelicæ Salutationis nullo modo a domo exeundum, niſi propter inexcuſabilem neceſſitatem; Nam illud eſt tempus ſtudij non minus neceſſarium, quam audire lectiones. Neque cordatorum hominum eſt noctu vagari, quia plura pericula accidere ſolent impertinentibus aut vagationibus, & periculoſis, nullo modo in hoc opere locus dari poteſt. Eſſet enim inepta Inſtructio, contra finem Clericorum, qui tanquam exemplaria virtutum,& immaculatæ vitæ forma, mundo conſpicienda proponuntur. Hæc de viuendi forma; ſequuntur maiora ſtudia. *1. Cor. 15.*

DE STVDIIS PHILOSOPHIAE, ac Theologiæ, & diſciplinarum inferiorum.

Tertia Pars.

HÆc materia eſt magni momenti, & non minima noſtri laboris pars, cuius exacta cognitio difficilis eſt, & diu ſcriptores cruciauit. Eius neceſſitatem docuit experientia inconuenientium, quæ ex lectionibus plurium Philoſophorū, & Theologorum ſequuntur. Quia ſi recte examinentur, videbuntur

potius

potius congeries diuerſarum rerum confuſa, quam ſcientiarum expoſitiones. Alij quamuis docte, & ordinate omnia proſequantur non ſe accommodant captui, & neceſſitati auditorum. Quo fit vt nihil fere ſuo loco tradatur. Hinc plura ſtudiorũ mala, vt obſcuriorem reddere facultatem, & in ſpatio quatuor annorũ vix tres, aut quatuor materias Theologiæ explicare; quibus ſolis coguntur auditores Scholas deſerere; cum tamen ſit illa imperfecta informatio facultatis; atque homo ſine capite, manibus, & pedibus, qui horrẽdum potius monſtrum, quam homo eſſet. Tales ſunt multi qui Theologi vocantur. Hæc incommoda ex lectorum imperitia proficiſcuntur, qui forte ad oſtentationem, aut ſine prudenti conſilio, implent chartas impertinentibus Tractatibus, & ſuã inſcitiam aperte produnt: neſcientes diſtinguere generalia à ſpecialibus, propria ab extraneis, certa a controuerſis, communes opiniones a ſingularibus, Philoſophica à Theologicis, & vnam materiam ab altera. Igitur vt ijs abſurdis obuietur, Tria in hoc libro præſtanda ſunt. Primo qua ratione recte audire oporteat ſcholarem. Secundo quomodo recte arguere, & reſpondere poſſit. Tertio qua ratione audita repetere, ac ſtudere debeat, diſcedens à ſcholis.

1. Cor. 15.

AD BENE AVDIENDVM.

TRIA requiruntur lector, doctrina quæ legitur, & auditur, & modus audiendi conueniens.

PRIMVM eligendus eſt optimus lector, & Magiſter qui vt plurimum talis exiſtimari poteſt, qui a Catholicis Magiſtratibus ad Cathedram in Vniuerſitatibus ſubuectus eſt, & plures habet auditores. Secundo eligendus eſt lector timens Deum, & verſatus in antiquis, & modernis ſcriptoribus, & ſollicitus de profectu diſcipulorum; Nam parum boni ſperari poteſt ab ijs, qui cum bonam partem temporis conſumpſerint in negotijs, aut conuerſationibus, celeriter cum veſtibus induuntur, lectionem parant. Pudor eſt (dixit ille) Nihil diſcere velle, neq; proficere ſicut præclariſſimi viri fecerunt, addendo ſemel elaboratis, vel mutando ſententiam, quam Iuniores ſecuti fuerant, vt D. Augu. & D. Thomas.

Villalul. lib. 1. in init.

DOCTRINA integra non autẽ dimidiata, tam in Philoſophia, quã in Theologia neceſſaria eſt. Philoſophia quatuor ſcientias naturales complectitur præcipuas, in quibus Philoſophi plurimum laborarunt, Logica, Phyſica, Metaphyſica, & Moralis ad vitam bene gubernandã neceſſariæ. Nam indiget homo modo recte ratiocinandi ſine errore, cognitione Rectoris mundi, & totius machinæ Vniuerſi cauſarumq; & principiorum Vniuerſalium, ſed magis modo bene viuendi. Et propterea Salmantina Vniuerſitas exigit audientiam prædictarum facultatum ad lauream Philoſophiæ prędictam. Et conſequenter imperitia lectorum eſt (non ſine præiudicio iuuentutis) ex Logica tantum Prædicabilia, & Prædicamenta, & initium Perihermeniarum (vt de verbo mentis loquantur) initiumque Poſteriorum Analyticorum legere. Ex Phyſica vix quatuor libros, & initium lib. de generatione, & tertium de Anima. Naturalis artium curſus truncatus, & imperfectus eſt, tanquã membris orbatus, & cognitio monſtroſa, ad contentionem potius, vel iactantiam, quam vtilis ad vſum humanarum operationum. Vnde fit

tales neſcire ſuas operationes per illam dirigere. Igitur quærendus eſt ſcriptor totam facultatem explicās, (non multi, quia potius confunderent Nouitios Philoſophos.) Qualis eſt Textum Ariſto. eiuſque examen recte ſcribens, quæ ſolent in ſcholis perlegi. Quod in lectionibus oppoſitionum Salmantinæ eſt in vſu, in quibus adducitur Textus cum expoſitionibus Grecorum, & Latinorum ſingula verba defendendo, deinde examen per quæſtiones. Ad Textum vtendum eſt expoſitoribus, mentem Ariſto. vere exponentibus, abſque mixtione extraneorum, qualis videtur Logica Louaniæ. Commentaria D. Thom. & alia huiuſmodi pro examine, Dilucidatio Nyphi, Iauelli, Suarij, & Coimbricenſium, quęſtionibus, aut Toleti. Sed cum non omnia dicenda ſint, quę in libris leguntur, ſed dumtaxat ſelecta. (qua prudēti electione, niſi polleat lector potiora colligens, relictis non neceſſarijs potius confundet Auditores quā erudiet, placet conſilium eorum, qui Philoſophiam explicant, primo breuiter, & compendioſe, quod à Summuliſtis factum eſt in Logica, & à Nunneſio Valentino in Phyſica, deinde iterum copioſè, adducēdo Textus ſententias abſque prolixitate, illarumque examen, quæ perfectior eſt cognitio; nam ſolus Textus, non ſufficit perfectū Philoſophum efficere, quia ibi ſolum eſt ſermo quid Auctor dicat non autem an verum dicat. Quod humani ingenij conditio poſtulat, qui non ſtatim rem exacte percipit, ſed prius rudi, & imperfecta notitia, quæ poſtea perficitur iuxta Philoſophum initio Phyſicæ auſcultationis dicentem, inſita à natura nobis eſt via, vt a notioribus nobis ad ignota a generalibus ad ſpecialia a confuſis ad diſtincta procedamus. Poſſet etiam ex Textu, & quæſtionibus Tractatus componi, vbi breuiter adducatur ſententia Ariſto. cum ſuis fundamentis, ſicut ille facit recenſens veterum Philoſophorum placita, & mox à Modernis addita; concludendo quid tenendum ſit tanquam verum, & quid cōtrarijs reſpondendum ſit; Et hoc modo multa expediuntur a curſu Conimbricenſium. Cvrsv artiū abſoluto oportet graduandos illum repetere, nec differre ad ſequentem annum; ne Theologiæ ſtudium retardetur, ſed intra ſex menſes iuxta Complutenſis Vniuerſitatis morem. Accurate tamen, vt recepta, & communia Philoſophorum dogmata teneantur, cum præcipuis fundamentis, & inſuper elaborandum, vt contraria argumenta, & communia proponi ſolita, in qualibet materia poſſit ſoluere probabiliter.

Avditor Theologiæ ſcientiarum omnium Reginæ, & Dominæ, cui ſeruiunt aliæ tanquam ancillæ, eiſdem documētis vti debet quibus auditor Philoſophiæ; ſed primo præparatione opus eſt, Tum cum cōſilio docti viri conſtituere ſibi Materias audiendas in toto quadriennio ad audiendum determinato, vt in fine illius maneat Tractatibus Theologorum imbutus. Præparatio ante acceſſum ad ſcholas Theologiæ exoptanda, eſſet peccatorum, Confeſſio, & communio, præcedentibus cōſiderationibus viæ purgatiuæ. Quia doctrinæ excellentia, puram animā deſiderat, & fas non eſt illotis (vt aiunt) manibus, pedibuſque accedere. Valet etiam ad memoriam reuocare Chriſtianam doctrinam, quam a pueritia didicit, & Catechiſmum Conci. euoluere, aut Magiſtrum ſententiarum, vel Compendium Alberti magni, quod aliqui tribuunt D. Bonauentura, in quibus tanquam in ſumma quædam abſque argumen-

torum ſtrepitu, poterit veritate fidei Chriſtianæ deguſtare. De ijs enim agitur, non de Logicis, aut Metaphy ficis. Diſponet etiam lectio D.Tho. contra gentes, vel Symbolum fidei Granatæ, quia adducunt varia argumenta ad fidei defenſionem, erroreſque, & ſectas contrarias confutandas. Sequitur auditio quotidiana quatuor lectionum de materijs, quæ videntur audiendæ ad integritatem doctrinæ. Nam decanum facultatis Theologicæ Salmantinum, diſtribuere Cathedraticis materias legendas in toto quadriennio, iuxta ſtatuta Vniuerſitatis ordinantia, vt legantur in quolibet quadriennio omnes Tractatus contenti in quatuor lib. ſententiarum; Item vt primaria Cathedra teneatur legere in ſpatio quatuor annorum primam partem, & primam, ſecundæ S.Thomæ. Et ſtatuere ad primam lauream Theologiæ audientiam quatuor curſuum, ſiue annorum ſcholaſticæ, & duorũ Bibliæ ſimul, probatam teſtibus oculatis, & iuratis; & vſus religioſorum audiendi primariam cathedram, & veſpertinam, & alias lectiones in ſuis Monaſterijs. Similiter vſus ſæcularium audiendi præter prædictas Cathedram Durandi (magnæ exiſtimationis poſt Proprietarias) &, præterea lectionem ſcripturæ, hæc omnia eo conſilio fiunt, vt poſſint imbui principalibus materijs. Nulla enim Ars, abſque Magiſtro diſcitur, ait D.Hiero. Et multo minus Theologia. Atqui quatuor lectionibus antedictis, omnes fere materiæ poſſunt legi, & audiri, quantum ſatis eſt ſcholaribus; Quod ſuadetur. Quia primo anno in prædicta Cathedra audiri poſſunt, quæſtiones proœmiales Theologiæ, & de Dei Vnitate, Bonitate, Aeternitate, Prouidentia, Scientia, Potentia, Prædeſtinatione, Trinitate, & Creatione. Quæ fieri poſſunt commode. Nam illa lectio durat per horam, & dimidiam, a die Sancti Lucæ, vſque ad Natiuitatis Mariæ Beatiſſimæ feſtum. Secunda lectio erit ſacræ Scripturæ, vt de Sancti Matthæi Euangelio. Tertia lectio erit de Incarnatione in Cathedra Durandi. Quarta lectio erit Cathedræ Veſpertinæ de fide, & ſic finietur audientia primi anni. In ſecundo, prima lectio erit de Angelis, & de anima, atque ſtatu primi hominis ante peccatum, & poſt. Secunda de veteri Teſtamento, vt de ſacra Geneſi, vel Exodo. Tertia de Sacramen. in genere, & Baptiſmo, & Cõfirmatione, & ſi fieri poſſit de Euchariſtia. Quarta de ſpe, & charitate. In tertio anno, prima lectio de beatitudine. Actibus humanis Habitibus, & virtutibus. Secunda de Epiſtola D.Pauli ad Romanos. Tertia de Sacramento Pænitentiæ. Quarta de Iure, & Iuſtitia, & de Reſtitutione, vel de emptione, & venditione. In quarto anno prima lectio eſſe poteſt de peccatis, de legibus, & de gratia. Secunda de aliquo Propheta, vel de Pſalmis. Tertia finiet materiam de Pænitentia, & clauibus. Quarta de voto, & iuramento, vel de vſura, & ſimonia. Igitur quatuor lectiones videntur neceſſariæ, ad hunc, vel ſimilem modum, aliter non erit integra informatio facultatis, ſed truncata, vt antea dicebamus. Audire autem omnes lectiones facultatis (quæ propter neceſſitatem multorum leguntur,) videtur aliud extremum, eſt enim nimium defatigare animũ; quo fit, vt nullam poſſint ſtudere. Quæ omnia non ita dicimus neceſſario ſeruanda, vt materiæ finiantur, nam interdum contingunt impedimenta, ſed eo tendunt, vt principales ſaltem materię exacte audiantur, & explicentur, minus præcipuę, & faciliores ſummatim, & compen-

Symbolum fidei Granat.

Ita aiebat Magiſter Medina

dioſe expediantur, vt tota facultas ab Auditore percipiatur. Quod ſi in prioribus annis depræhendantur prolixi lectores ieiunumque eſſe dimittendum Auditorem in multis, tunc in poſtremis annis poterit audire aliam lectionem ante meridiẽ, & aliam poſt meridiem de materijs magis neceſſarijs.

Modvs audiendi conueniens, tria poſtulat, attentionem viuæ voci, Interrogationes, & repetitionem lectionis. Attentio debet eſſe ad ſubiectum de quo agitur, ad ordinem Materiarum; deinde ad ſingulas propoſitiones ad auctoritateſque, & rationes quibus confirmantur, itẽ ad definitionem rei de qua agitur. Si patiatur vagationem mentis ſapiẽtiæ diuinæ ſe commendet, ne tempus inutiliter conſumatur. Eſt etiam vtile lectiones ſcribere, quia ſcripturæ ſunt rerum memorabilium cõſeruationes, inquit Villaui. *Villaui. 2.li.c.1.* Finita lectione interrogationibus vtendũ eſt, Magiſtrum percontãdo, aut condiſcipulos, aut bene dubitantes audiendo. Nam hoc modo percipitur, quod non recte auditum eſt, aut cõcipitur melius, vel certe iterum auditur, & firmius hæret memoriæ. Tardiores, & qui non audent in publicũ prodire poſſunt ſeorſum Magiſtrum, aut ſtudioſum interrogare cum quo liberius agant, vt declarent ea quæ non poſſunt ſibi perſuadere. Et hoc documẽtum eſt maxime obſeruandum tanquam valde vtile, dubitare ſemper, & dubitationem in medium proponere, quamuis nõ videatur ad propoſitum; nec quieſcere donec, rem bene apprehendat, & rationem propter quam ita tenendum ſit, cum exemplo familiari. E contrario ſtupidorum eſt, & iudicio carentium, nunquam dubitare; ſed omnia approbare lectoris dicta tanquam è Cœlo allata. Conuenientiſſimum autem cuncta examinare prudenter, & modeſte, cur hoc, aut illud dictum ſit, *Et li. 2. c. 22.* & rationem dubitãdi dicere primum de ſingulis verbis, tum de concluſione, & ratione; vt quod ratio Magiſtri non concludat, vel quod non ſit ſufficiẽter ſolutum tale argumentum, aut quod oppoſita veriſimilior appareat. Hæc fiunt, (vt Villaui. ait) in Illuſtriſſimis Hiſpaniæ *lib. 2. c. 23.* Vniuerſitatibus Salmanticenſi, & Compluteñſi. Vbi abſoluta lectione lector ſtat tantiſper præ foribus Gymnaſij dum ingenioſi Auditores ipſum rogaturi, & redarguturi accedunt, quibus non ſatisfecerit hilares, & alacres dimittit. Quia eſt veritatem indagantis placida pugna efficere, vt obſcura pateant, & implicata explicentur ad plenam veritatis intelligentiam conſequendam. Magiſter Bartolomæus Medina referebat Magiſtrum Canũ inſignẽ Theologum habuiſſe quendam ſocium ſtudiorum, cũ quo Materias Theologię tractare conſtituerat, qui omnia ei negabat, niſi bona ratione probaſſet, aut ſatis nota eſſent; & hoc magnæ vtilitatis illi fuiſſe; quia fuit occaſio exercendi ingenium, & conatum faciendi, ad omnia probanda ignota per notiora, & clariora vſque ad prima principia. Sequitur Repetitio, quæ fieri poteſt cum alijs, vel ſolitarie; In ſcholis, & Collegijs fit cum alijs, reparationeſque appellãtur, in quibus vnus repetit lecta, præcipua alij audiunt, & cõtra arguunt, vel interrogant; Solitarie fit ab ijs, *Villaui. li.3.c.1.* qui cũ alijs conuenire non poſſunt.

His Studium adiungendum eſt, quo poteſt corrigi, tam auditio, quã Repetitio defectuoſa. Quod ab omnibus magnopere commendatur, præſertim ab Hugone, & Dionifio ad ſcientias comparandas, ſtudium quant humilitas, & fugere laudem; Item temperantia, & virtutes; immo pau-

pau-

pauppertas, & terra aliena; reſerare ſolent, nonnulla obſcura legenti (ait ille.) E contrario delitiæ, & nimia corporis cura impediũt, & ſæpe etiã amici; ideoque Philoſophi peregrinabantur. In communi optimum præceptum ſtudendi eſt illud Hugo.

Hugo de S. Victo. re in Didaſcalo.

INITIVM SCIENTIAE EST IN LECTIONE,

CONSVMMATIO IN MEDITATIONE.

lib. 2. c. 23.

Vnde duæ ſunt ſtudij partes lectio Auctoris ſcribentis facultatem, deinde lecta meditanda quieta conſideratione abſque verborum ſtrepitu. Hoc fiet reducendo, quæ leguntur, ad propoſitiones, & contemplando rationes earum, ſignificationes vocabulorum, & definitiones rerum. Vnde ſæpe inſpiciendus eſt quæſtionis Titulus, mox quid reſpondeat ſcriptum lectoris, & Auctor quem ſequeris, Tum ſubiectum, & prædicatum, ſeu vocabula tituli, quid in rigore ſignificent. Poſtea rationes, & fundamenta; Et quando ſunt plures opiniones poſſunt ad tres reduci, vna quæ affirmet, altera neget, tertia diſtinguat partim affirmet, partim neget: Sed maxime ponderandum quæ ſit verior, & tenenda, examinando fundamenta. Item ex ea inferenda ſunt Conſectaria, quæ ex illa ſequuntur. Poſtremo ſciendum eſt, quid ſit reſpondendum ad fortia argumenta contrariarum opinionum, quæ communiter pauca ſunt vt M. Manſius dicebat.

Cano. li. 12. de loc.

Villaui. li. 3. c. 4.

Villaui. li. 3. c. 1.

MODVS RECTE ARGVENDI, & reſpondendi.

NON eſt facilis, immò difficilis, quantum pugna literaria vtilis. Nam ingenium auget linguam erudit, memoriam confirmat, & multa non ſolum diſputando diſcimus, ſed quæ ſic diſcimus melius ſcimus aptius eloquimur, & firmius recordamur. Vnde ad profectum in doctrina, nõ ſufficit audire, neque ſtudere, niſi in publicis diſputationibus arguendo, & reſpõdendo ſtudioſus exerceatur, vt Villaui. commendat. Quare nunquam abeſſe debet a publicis diſputationibus ſcholæ, ſiue ad inſigniendum laureandum, ſiue ad exercitationem, quarum multas habet Salmantica ex vna materia deſumptas, more ſcholæ Louanienſis, ex quibus quæ durant per totum diem Actus maiores vocantur. In quibus materiæ agitantur, & opiniones non ſatis ſecuræ reijciuntur, moduſque defendendi dogmata, approbatur, vel improbatur. Quatuor ergo dicenda ſunt in præſenti; finis arguendi, materia, & forma, & qua ratione argumenta ſint proponenda, & proſequenda. Tamen ſi præſtantiora ingenia alia habeant meliora ad hoc propoſitum, id erit nobis gratiſſimum, Exactiſſimus tamen exiſtimatur in hac parte Ariſto. in Analyticis, & Topicis.

Villaui. li. 3. c. 6.

FINIS non debet eſſe laudem, aut exiſtimationem aucupare, quia vanitas eſt excęcans, & multa pariẽs incommoda; Sed veritatẽ ſcire, aut clarius cognoſcere, quod diſputãdo ſolet euenire, nam plura niſi per longos diſcurſus, non manifeſtantur nobis. Vel tentare doctrinam defendentis; & examinare exercitationis gratia, aut alia de cauſa honeſta quã vis verum impugnetur. Eſt autem præceptum Ariſto. in Topicis. Ne tempus inutiliter conſumatur in manifeſtis veris, aut falſis: Nam diſputatio de dubijs eſt, non de indubitatis, & certis.

Villaui. li. 3. c. 6.

MATERIA ſunt argumenta. Et illa bona cenſenda ſunt, quæ ſunt com-

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

communia inter doctores; Nam pro ſecto tot tantaque ingenia penetrarunt (quantum conceditur hominibus) quæ difficultatem faciunt in qualibet materia. Magiſter Manſius dicebat S. Tho. adducere præcipua argumẽta in qualibet materia. Quare ijs poterit ſtudioſus vti, quamuis ad vitandum faſtidium ex frequenti repetitione natum, prudenter mutentur termini, aut modus, & ordo, vi argumenti immota manente. Poteſt etiam deſumi argumentum ex difficultate, quam intellectus arguẽtis inuenit ob quam non poteſt rem ſibi perſuadere ita eſſe. In ſpecie duo argumẽtorum genera quęri poſſunt, vnum neceſſarium, alterum probabile. Neceſſario vtendum in materia neceſſaria. ideſt, ex certis per neceſſariam illationem quaſi demonſtrando; probabili vero in his quæ neque euidenter vera ſunt, neque falſa, ſed dubia, vt quæ per coniecturas, & ſigna tantum ſciri poſſunt, cuiuſmodi plura ſunt in qualibet facultate. Quæ dubia vocantur ab Ariſt. quæſtiones quas reducit ad quatuor genera, nempe ad quæſtionem generis, definitionis, Proprij, & Accidẽtis. Quia omnis quæſtio, aut eſt de prædicato ſuperior, aut de inferiori, vel de ęquali. Igitur ad inueniendа argumenta inſpiciendum eſt prædicatum quæſtionis, quodnam ſit ex prædictis, nã pro quolibet aſſignat Ariſto. argumenta pro qualibet parte, tam affirmatiua, quam negatiua, quibus arguens vti poteſt. *Tole. in. tro. Log.* Aduertenda ſunt etiam tria locorum dialecticorum genera in quibus argumenta tanquã abſcondita latent, inde in lucem eruenda, qui vocantur loci intrinſeci, extrinſeci, & medij. Intrinſeci ſunt locus a deffinitione, vel deſcriptione, à cauſis, ab effectis, a circumſtantijs. Extrinſeci ſunt oppoſita rei, Maiora, Minora, Æqualia, ſimilia Proportio, & Auctoritas. Medij ſunt coniugata, Caſus, Comparatio. In quibus locis includuntur, Maximæ quædam ab omnibus probatæ, quæ, poſſunt poni in argumento, vel certe roborant argumenta inde deducta. Vocanturque maxima eo, quod ſunt propoſitiones generales quibus non ſunt aliæ maiores, neque notiores, quibus probari poſſint, immo cognitis terminis iudicantur veræ, & plures illarum ſunt neceſſariæ, & ad plures concluſiones applicari poſſunt. Exempli gratia, In loco deffinitionis includitur iſta maxima, cui conuenit deffinitio conuenit definitum, & econtrario. In loco cauſarum, & effectuum, continentur iſtę, poſita cauſa ponitur effectus. Et ſublata cauſa tollitur effectus, Item effectus in actu requirit cauſã in actu. Et quod eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati. Et primum in intentione eſt vltimum in executione. In loco cõtrariorum ſunt iſtę; Contraria ſunt circa idem. Contrariorum eadem eſt diſciplina, & contrariæ cauſæ, & contraria ratio. In Cõtradicentibus intelligitur. Nihil ſimul eſt, & non eſt. Vel de quolibet alterum contradictoriorũ, de nullo ſimul ambo. Et ſi affirmatio eſt cauſa affirmationis, negatio erit cauſa negationis. In relatis ęſt illa, Relata ſunt ſimul natura, & intellectu. In ſimilibus eſt illa; ſimilia, in aliquo conueniunt. In maiori, & minori eſt illa. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Et ſi quod magis videtur ineſſe, nõ ineſt, neque quod minus videtur ineſſe in erit. Similes maximę reperiuntur in diuiſione, & argumentatione. Vbi ſunt illa principia dici de omni, & dici de nullo, quæ robur conferunt multis argumentis. Igitur inſpicere debet arguens in re de qua diſputatur prædictos locos, qui inſunt intrinſece, vel extrinſece, hoc eſt anteceden-

cedentia conſequentia repugnantia rei, & maximas. Item argumenta a ſcriptoribus tradita, quæ ex aliquo loco illorum ſunt petita, & hoc modo inueniet rationes, & media ad arguendum. Manſius laudabat argumentum per locum intrinſecum. Poteſt etiam argumentum deſumi ab eo quod ſit contrarium alicui veritati, id quod defenditur.

FORMA argumenti poteſt eſſe Syllogiſtica vt primæ figuræ, quæ eſt perfectiſſima. Cuius formæ poteſt confici. Secundum argumentum oſtenſiuum, quod eſt optimum omnium, & ducens ad impoſſibile. Et quando iſto vtimur aſſertio reſpondentis ponenda eſt loco maioris, cui addenda eſt minor, & concluſio. Exempli gratia, ſi hoc eſſet verum ſequeretur hoc, atqui hoc eſt inconueniens falſum, aut impoſſibile ergo, & illud ex quo ſequitur tu defendis. Poteſt etiam argumentari Enthymemate, quod eſt aptius ad capiendum aduerſarium. Quia infert ex vna celando maiorem, qua poſtea probatur bonitas conſequẽtiæ. Tertio poteſt arguere per dilemma, quod eſt argumentum a diuiſione, vel enumeratione. Vt ſi hoc eſſet verum, aut hoc modo, aut illo, ſed neutrum dici poteſt ergo non eſt verum, denique ſolent aliqui argumentari, more Mathematicorum ſupponendo quædã, quæ a reſpondente concedantur, & ex illis conficitur argumentum quod vocatur argumentum ad hominem, eo quod habet vim ex conceſſis.

Inuento, & diſpoſito argumento ſcribendum eſt claritatis gratia, cum probatione maioris, & minoris, & conſequutione vſque ad prima principia clara, quæ aliquo exemplo poſſint ab arguente manifeſtari. Et quãdo in diſputatione ad per ſe nota peruentum fuerit ſiſtendum eſt, quia non ſunt alia priora, per quæ probari poſſint, quia illa ſunt prima, & contra negantes principia, non eſt diſputandum ſecũdum Philoſophũ

Sequitur proponendum, & proſequẽdum. Quod fiet primo a Deo petendo ſaltem mente, vt ſit ad eius laudem. Tum oportet obſeruare modũ reſpondendi, an bene, vel male videatur reſpondere. In particulari attendendum eſt ad formam, & materiam: ſi male reſpondet, aut eſt, quia non percipit argumentum, aut quia negat concedenda, aut non reſpondet in forma, aut quia obijcit leuem inſtantiam, aut deſpicit argumentũ, ſi non percipit arguendus eſt, dicendo obſecro percipias argumentum meum, argumentum ſic ſe habet. Si omnia negat arguendus eſt, dicendo cõueniamus obſecro in aliquo principio, & tunc conſtituendum eſt pũctum quæſtionis, & controuerſiæ, & poteſt currere argumentum; ſi deſpiciat, non propterea eſt deſiſtendum, cum interdum fiat ex induſtria ad diuertendum, aut decipiendum arguentem, vt cadat animo, & deſiſtat, exiſtimando non habere vim. Nihilominus ſi iudicat veras eſſe præmiſſas, & bonitatem conſequentiæ animumque ſuum non eſſe ſatiſfactum, iterum animoſe illud proponat; contemnendo diuerticulum, dicendo, Domine reſpondens omittamus, quæ ad rem non faciunt: Vel hoc non ſoluit difficultatem, poteſtque argumentum magni facere dicendo, hoc eſt magnum argumẽtũ. Sicut Magiſter Manſius ſolebat, de quibuſdam dicere, hoc eſt violentũ argumentum. Idem dicendum ſi obijciat leuem inſtantiam, vt hoc parum refert, nõ ſoluit difficultatẽ. Et ſi poteſt limitet propoſitionem, vel addat aliquid, quo excludatur inſtantia, & cogatur concedere propoſitionem vniuerſaliter, vt dicere poſſit,

Magiſter Mãſius dicebat eſſe argumẽto dize, lo por bueno, o por malo.

poſſit, hoc negari non poteſt. Si non reſpondetur ad formam arguendus eſt, vt obſecro diſputemus more dialectico, reſponde ad ſingulas propoſitiones. Nam multi, vt Manſius aiebat, & ſi ſciant ſolutionem neſciunt applicare illam ad formam. Si autẽ reſpondet bene, & probabiliter, & loquitur conſequenter, tunc ad arguentem attinet replicare. Quod fit cum claritate repetendo reſponſionem, vt, itaque reſpondet hoc, & hoc; quod eſt vtile, tum claritatis gratia, vt videat quid ſit impugnandum, Tum ad cogitandam, & bene concipiendam replicam, qua concepta inſtandum, vt, Contra, probo eſſe falſum, aut ſibi contradicere, difficile quidem eſt bene replicare, dexteritate opus eſt, & cognitione opinionum, certorumque dogmatum. Nam etiam ſi recte arguatur; Si tamen recte reſpondeatur, deueniendum eſt ad aliquid, quod arguens habet pro inconuenienti, reſpondẽs non; ſed pro conſequente ad ſuam opinionem, vel alter contendit recte inferri, alter non; *& hic ſiſtitur, vel fatendum eſt recte reſpondiſſe, & ſic ſuperſedere*: Ad replicandum ex tempore eiſdem præceptis vtendum eſt, quibus ad arguendum, inſpiciendo definitionem rei, genus, differentiam, ſpecies, partes, & proprietates; nam ex ijs poteſt ſe offerre aliqua ratio in contrarium. Valet etiam antequam ad argumentandũ accedatur, præmeditari ſolutiones communes, illaſque impugnare. Itẽ aduertere an quod negatur ſit certũ, clarum, vel dubium; Nam ſi clarum, vel certum, inſtandum eſt, vt hoc eſt textus, hoc habetur pro conſtanti a Doctoribus ſi ſemper negat, dicendum profecto dicis rem falſiſſimam hactenus a nullo Philoſopho, aut Theologo aſſertam. Nihilominus conetur aliquo ſimili manifeſtare, quo Auditores ita eſſe annuãt. Si neget propoſitionem vniuerſalẽ, aut dictum communiter receptum, petenda eſt inſtantia, aut ratio, nam aliter temere negatur. Si ſit conſequentia poteſt cum admiratione inſiſtere, ſi hoc ita eſt ergo hoc bene ſequitur. Et aſſignanda eſt ſimilis conſequentia: in alia materia approbata. Si ſit dubium difficilius eſt replicare; ſi non ſe offerat ratio bona in contrarium, poteſt vti interrogationibus, vt, quomodo intelligis hoc, quid intelligis per hos terminos, aut propterquam rationem id aſſeris. Quia ex ijs ſe poteſt offerre occaſio arguendi de falſitate, aut leuitate ſine ratione ſufficienti. Aut quod Auctor magnę auctoritatis tenet contrarium, vel aliquo ſimili nitatur oſtẽdere eſſe falſum, vt aliquo modo victus appareat reſpondens. Si autem ſe offerat bona replica, prius eſt bene concipiendus Syllogiſmus cum probatione præmiſſarũ, & exemplo, & inuitandi Auditores ad attentionem. Vt hoc indiget examine, examinemus hoc. Quod ſi impertinenter reſpondeat, & nihil boni ſperatur, melius eſt modeſte deſiſtere. Demum ad modum arguendi ſpectat, fugere extrema in voce, motu, & geſtu corporis, vt nec frigidus videatur, aut remiſſus, neque vociferationibus immodicis, & indecoris geſtibus agat; ſed cum moderatione, & decore, & ſimul cum attentione, & feruore alta voce, cum ponderatione vim, & ardorem verbis adhibendo. Nam hoc modo acuitur ingenium, & circunſtantes, attente audiunt, cum vtilitate, & ſine faſtidio. *Villani. li. 3. c. 6.*

Ad bene reſpondendum, ante omnia oportet bonum finem ſibi proponere vt dictum eſt. Si tamen fiat exploratio ſcientiæ ad Gradum, Cathedram aut beneficium maior

cura

cura adhibenda eſt,propter honorē, & cenſuram quæ expectatur de ijs, quæ temere,aut falſo dicuntur;tunc decens erit initio facta oratione petere a diuina Clementia, vt recte ſe habeat,quo modeſte demonſtrando doctrinam ſtudio comparatam, Deus laudetur, & iuſta fiat à iudicibus ęſtimatio,deinde attente inſpicienda,concedenda, & neganda neceſſario,& quæ certa,quę dubia ſint, conatumque adhibere oportet, vt nihil concedatur, aut affirmetur niſi coactus quaſi neceſſaria veritate, aut conſecutione. Vnde propoſitiones vniuerſales non ſunt facile concedendæ abſolute niſi neceſſariç ſint,certęaut euidentes,vel ex ijs deducantur; præſertim ſi comprehendāt res diuinas, tūc enim dici poteſt, nego vniuerſaliter, aut hoc non eſt neceſſariū; dubia item,quæ non ſunt contra fidem diuinam, rationem, & ſenſum,negari poſſunt ſi oportuerit, quo plus laboris accreſcat argumētandi. Conandum eſt etiā vt aliqua definitio, aut veritas generalis colligatur ex tota aliqua materia, qua omnia argumenta (vt interdum fit) ſoluuntur vno verbo addito,vel ſublato. Item obſeruandum argumenta contra fidem non eſſe demonſtrationes immo ſolui poſſe,vt Theologi docent. Præterea ſecundum Ariſt. 8. Topico. Satis eſſe,ad bene reſpondendum loqui probabiliter, & nihil dicere ſibi repugnans. Item aliquando poſſe reſponderi ad totū argumētum concedo totum, ſed non eſt cōtra meas aſſertiones, quia nō defendo niſi hoc, vel in hoc ſenſu; quod in argumentis intricatis, & importunis, poteſt fieri, nō examinando ſingula. In ſpecie, ſi reſpondendum ſit ad ſingula, Reſponſio duas habet partes, repetitionem,& examinationem, tam materiæ, quam formæ, Repetendum eſt argumentum bis, & in ſecunda vera ſunt, concedenda falſa neganda, dubia diſtinguenda. Sæpe neganda, eſt conſequentia licet concedatur antecedens, vt in argumentis a ſimili, quia eſt diſpar ratio. Et tunc eſt defectus illationis; ſicut etiam negatur quando arguens accipit aſſertionem in alio ſenſu; Nam dici poteſt laboramus in æquiuoco, argumentum bene probat in tali ſenſu, nō tamen in ſenſu, quem defendo. Præcipuum tamē bene reſpondendi præceptum eſt, inſpicere illationem, an videatur bona, an non, ſi non, ad antecedens reſpondendum eſt, tranſeat ſed nego cōſequentiam, hoc eſt, quicquid ſit de antecedenti, nō bene infertur conſequens. Si autem illatio bona videatur, ideſt, neceſſaria aut probabilis, negandum eſt antecedens. Nā in bona conſequentia non poteſt dari antecedens verum concedendū,& conſequens falſum negandum. Quia ex vero non ſequitur falſum. Et quādo antecedens negatur, habens duas prçmiſſas, neganda eſt, quæ prius falſa apparuerit. Si diſtinguatur, vel diſtinguendus eſt terminus plures habens ſignificationes, aut tota prçmiſſa, vel eius pars habens plures ſenſus, & in vno ſenſu conſequens eſt concedendum, in alio negandum. Quod ſi terminus aliquis ſit obſcurus non vſitatus, interrogare poteſt, quid per illum ſignificare velit. Valet etiam obſeruare an ſit in argumento aliquod vitium ex ijs, quæ enumerantur a Philoſopho in Elenchis. Nam tale nihil probat. Itē ſunt vniuerſales propoſitiones interdum limitandç, quæ certo modo verificātur,& non alio. Item ſi arguens eadē repetit,& vlterius non procedit, reſpondendum eſt, hoc tibi eſt impugnandum. Quod ſi in diſcurſo diſputationis forte per inaduertentiam, deueniatur ad aliquod inconueniēs,

dummodo non ſit contra fidem, aut veritatem ita certam (vt in opinionibus) ſi poteſt defendat ſe cum aliquo ſimili apparenti, vel Auctore id aſſerente ne omnino conuictus de falſo videatur. Verum eſt illud; maxima pars eorum, quæ ſcimus eſt minima eorum quæ ignoramus.

DE RATIONE STVDII ſolitarij extra Scholas.

QVOD eſt in vſu Salmanticæ, & merito, quo ſcholares finita auditione facultatum diſcedunt in locum remotum a negocijs, ad legendas, & meditandas materias facultatis, quam ſcire exoptant. Quod propter lectionum, & amicorum frequentiam, & vitæ impedimenta ægre fit in ſcholis, ſolitudo autem multa docet, & anima quieſcendo fit ſapiens. Tum quia audire potius eſt quaſi cibum deglutire quam ruminare. Tũ quia licet veritates concipiantur, magis videntur credi, quam ſciri: Et multa dicuntur, quæ non probe intelliguntur; nam ſunt modi loquendi doctorum aliquando obſcuri. Tum quia omnes materias, aut principales forte, non audierunt, quod tamen neceſſarium eſt. Et quamuis cognitio in ſcholis comparata eſſet ſufficiẽs, perfectior efficitur ſi iterum animus eadem recogitet; Nam ſecundæ meditationes ſapientiores Eſt etiam vtile ad lauream, & ad munus docendi. Denique cum ſcientia in ſcholis acquiſita, multas patiatur imperfectiones, hoc ſtudio ſolitario corrigi poſſunt, ac debent. Ad quod locus ſolitarius, curas relinquere, exercitationum quotidianarum partitio, præcepta recte ſciendi, notitia aliqua omnium facultatum, & præparatio ad gradus ſuſcipiendos, plurimum iuuabunt, de quibus in reliqua parte huius libri dicendum eſt; ſed primum documenta optimi Magiſtri pro repetentibus Theologis, in medium proferam. *Magiſter Bartholom. Medina.*

PRIMO deſiderium ſciendi plurimum iuuat, vt Salomonis dicentis; optaui, & datus eſt mihi ſenſus, deſideraui, & venit in me ſpiritus ſapientiæ. Secundo mentem ſeruare mundam a turpibus vitijs, & ira, quia vehementer perturbant. Quod ſi forte ceciderit; curet confeſtim reſurgere petendo veniam, confitendo, & communicando. Tertio Magiſtri legendi, & ſequendi ſint D. Auguſt. & D. Tho. reliqui ad iſtos intelligendos. *Villalp. li.3 c.1. obſ.1.* Quarto patrocinanda eſt veritas tãquam pupillus ipſam roborando, defendendo ab aduerſarijs pro ipſa reſpondendo. Quinto communicare cum aliquo docto ſtudia. Sexto ſcribere breuiter, & reſolute doctrinam tenendam cum fortiori ratione omiſſa prolixitate. Septimo Materias Theologiæ eo ordine diſcere, & in intellectu ordinare quo eas ordinat D. Thomas. Octauo Non ſe diffundere in multis, neque in argumentis inutilibus immorari, ſed reducere omnia ad certa principia, vt exempli gratia in qualibet difficultate ante omnia inſpiciat quid quæritur, deinde quæ ſint certa, & quæ opiniones doctorum, & ex illis quæ ſit verior. Vltimo quomodo ſoluantur argumenta contraria. Et hæc ſũt memoriæ mandanda cætera relinquenda.

EXERCITATIONVM quotidianarum partitio ea eſſe poteſt, vt maior temporis pars quinq. operibus quotidianis tribuatur, ſcilicet, Officio diuino, aut orationi, Miſſæ, lectioni, & ſtudio, & tandem examini conſcientiæ. Corpori vero neceſſaria nõ ſunt deneganda, vt illa fieri poſſint. In ſtudio præſertim Theologiæ initio,

lectio

Magiſter Bartholom. Medina.

ſectio de tota aliqua materia vtilior eſt, quam de ſolo vno articulo, quia ſæpe ſentitur obſcuritas, & ſiccitas, nec ſatis poteſt intelligi vna ſola veritas niſi ſimul cum alijs. Confuſa autem quædam notitia, ex lectione totius materiæ videtur vtilior, ſi colligantur veritates, quæ communiter circumferuntur, licet neſciātur exactè probationes; poſtea pergendum eſt ad diſtinctam cognitionem. In maioribus difficultatibus immorandum eſt quouſque animo ſatisfiat; Item pauci libri legendi ſunt niſi prouectus ſit; ſatis erit partes Sancti Thomę, & aliquam lecturam famoſam materiæ quam ſtudet, videre. Et ſi placent antiqui D. Bonauen. & Duran. In materijs Moralibus aliquis ex Canoniſtis inſignioribus accipi poteſt, Illud tamen eſt obſeruandum quod licet diligenter euoluantur ſcripta doctorum, memento tamen humana eſſe ſcripta, & errare poſſe, niſi inhæreant ſacris ſcripturis Pontificum, & Conciliorum, decretis, quorum ſententia eſt norma, qua diſcernenda ſunt, quæ a veritate deuiant.

Villani. li.3 n.1. obſ.1.

Villani. li.3.c 1.

PRAECEPTA RECTE *ſciendi.*

CVM nihil magnum, aut paruum abſq; Arte, & præceptis rectè fieri poſſit, vt Cano. 12. lib. de locis Theologicis ait non dubium eſt illis opus eſſe ad bene ſciendum. Vnde quatuor præceptis vtendum ex Peripateticorum, & Scholaſticorum doctorum vſu, ad quamlibet ſcientiam perfectè conſequendam, iuxta tria, quæ in omni ſcientia inueniuntur videlicet, obiectum Partes, & Paſſiones, quæ de ſubiecto demonſtrantur.

PRIMVM ante omnia inſpiciendum eſt, quod ſit obiectum ſcientiæ, illudque in ſuas partes eſt diuidendum, ſiue Tractatus, & Materias, tanquam in ſpecies. Et hoc appellatur. Conſtitutio ſcientiæ, a Methodicis ſcriptoribus. Quæ materiæ ſūt tanquam columnæ in fabrica domus, quę ſuſtinent totum ędificium.

Villani. li.3 c 2. & 3. Nunne. de cōſti. art. logic.

SECVNDVM quælibet materia, ſiue pars ſcientię, aut eſt ſpecies ſubalterna, aut atoma, ſi ſubalterna de ea ſeptem capita ſunt ſcienda, & ex libris eruenda. An ſit, Quid ſit, Quotuplex ſit, hoc eſt ſpecies, aut partes, confutando eos, qui in definiendo, & diuidendo errarunt. Item cauſæ Effectus, vel Paſſiones, & Oppoſita. De quo fuſe Rodolphus Agricola libro de inuentione Dialectica iure a Magiſtro Manſio laudatus, Si ſpecies ſit atoma quatuor quæſtiones ad ſpeculationem pertinentes ſciri debent, An ſit, Quid ſit, An hoc ſit illud, & propter quid illud ſit. Quæ vt in dubium proponuntur vocantur quæſtiones, & quatenus ratiocinatione inferuntur. Concluſiones, & extrema diſciplinarum, vt Cano. ait. Ad praxim vero, & actionē duo ſunt inquirenda. An fieri poſſit, Et quomodo fieri poſſit. Quæ intelligenda ſunt, ſi hæc omnia admittit res de qua agitur, nam aliquando ſatis eſt cauſas, & circumſtantias rei tractare, Aliquando ſatis erit, quæ Doctores dixerunt ſequi, nam omnia eadem methodo non poſſunt pertractari.

Villani. li.3.c.4. & li. 2. c.22.

Rodolp. Agric. li. de inuē. dia.

TERTIVM concluſiones quibus reſpondetur ad quæſtiones. An ſit. Quid ſit, Qualis ſit, inferendæ ſunt ex principijs ſcientiæ per bonā & legitimam argumentationem. Tum ex concluſionibus inferenda ſunt conſectaria.

Can. 12. li. de locis.

QVARTVM poſt bene deductas concluſiones in omni materia breuiter epilogandæ ſunt, vt facile reti-

Villani. li.3.c.4 ſuam in epuſt.

retineatur quidquid ex varijs diſputationibus fuerit collectum. Tum etiam, vt veritates inter ſe facilius conferri poſſint, & aliæ ex alijs cōfirmari, & intelligi. Vltimo videndū eſt cui vſui deſeruire poſſit doctrina illa, maxime ſi ſit Theologica.

Hęc præcepta rationibus, & exēplis illuſtranda ſunt. Primum præceptum probatur. Quia modus intelligendi humanus, menti noſtræ adeo inditus, ac loquēdi, eſt quotieſcumque agendum eſt, primo loco dicere de quibus ſit loquendum præſertim in lōgo aliquo Tractatu. Vnde Scriptores omnes in Pręfationibus ſuorum operum hoc ſeruant, etiam Poetæ, vt ille canere volens, incipit, Arma, virumque cano, &c. Poſt in reliquo Tractatu exponunt quod initio promiſerunt. Sed diligentiſſimus in hac parte fuit D. Thomas, qui conſtituto ſubiecto, illud diuidit perpetuo iuxta Platonis præceptum a Porphyrio traditum (In ſcientijs tradēdis diuidenda eſſe ſubalterna genera vſque ad ſpecies atomas.) Quod etiam vtile eſt ad plura dubia ſoluēda ſi attendant ſcientiarum Tractatores. Vnde in Theologia D. Thomas Deum conſtituit primo obiectū Theologiæ, deinde illud diuidit in tres præcipuas, & ſummas partes, nempe in Deum, vt principium humanæ creaturæ, & omnium rerum, & Deum vt finis eſt hominis, & Deū vt Saluator eſt hominum. Nā Theologia eſt ſcientia viatorum hominū a Deo edocta in ſcriptis, & ab Eccleſia, docens Deum eſſe principium omnium rerum maxime hominis, eiuſque finem amiſſum per peccatū, & reſtituendum in eam felicitatem per Chriſti merita, per Sacramenta ab eo inſtituta, & per fidem, ſpē, charitatem, gratiā, & bona opera virtutū. Rurſus primam partē diuidit in Deum in ſe cognoſcibilem quatenus vnus, & quatenus Trinus, & Deum reſpectu creaturarum, cognoſcibilē, vt Creator, & gubernator mundi. Rurſum ſecundam partem diuidit in finem, & media. Finis eſt beatitudo; Media ad illam in communi ſunt, Actus humani boni procedētes ab habitibus virtutum, & a gratia, conformes legi Dei. E cōtrario peccata ſunt media quibus beatitudo amittitur. Media in ſpecie diuidit in virtutes Theologicas, & Cardinales, & ſtatus Eccleſiæ. Tandem tertiam partem diuidit in Myſterium Incarnationis, & acta, & paſſa a Chriſto Deo incarnato, Sacramenta inſtituēte, quæ conferunt gratiā ad efficiēda media illa ſine meritoria opera, quibus beatitudinem conſequimur. Ecce conſtitutam Theologiam iuxta doctrinā D. Thomę, tanquam exemplum primi præcepti ſupradicti.

Similiter conſtitui poſſunt naturales ſcientiæ, vt Logica, Cuius obiectum eſt Modus ſciendi ignotum. Nam ſcientię ad operationes humanas recte præſtandas ſunt inuentæ, atqui cognoſcere, quę ignorantur eſt operatio hominis neceſſaria nobilis, & frequens ergo datur ſcientia docens hoc. Modus ſciendi diuiditur in modum definiendi, diuidendi, & argumentandi. Nam natura incomplexi ignoti definitione cognoſcitur, partes eius diuiſione, ſi autem ſit complexum per argumentationem. Et hæc ſunt tria inſtrumenta omnibus ſcientijs communia. Præterea modus argumentandi ab Ariſt. traditus tres habet Tractatus, ſcilicet de Vocibus, de Enuntiationibus, & Ratiocinationibus. Voces ſimplices vniuocæ ſunt quinque vniuerſalia, & decem Prædicamenta. Enuntiatio, alia ſimplex, alia compoſita, ſimplex ratione quantitatis, aut eſt vniuerſalis, aut indefinita particularis, vel ſingularis. Ratione oppoſitionis,

aut

aut ſunt contrariæ contradictoriæ, ſub contrariæ, vel ſubalternæ. Inter ratiocinationes præcipuum locum obtinet ſyllogiſmus, quorum vnus eſt neceſſarium, vocaturque demonſtratiuus, alter probabilis, qui vocatur Topicus ſiue dialecticus. Qui cõſtant ex enunciationibus, enunciationes vero ex vocibus, ſeu terminis.

PHISICAE obiectum eſt ens naturale, ſeu mobile, de quo in communi conſiderantur principia, cauſæ, & Paſſiones, nempe motus, locus, & tẽpus quibus entia naturalia ſubiecta ſunt. In ſpeciali ens mobile aliud eſt mobile ad Vbi, & Cœli, & Elementa. aliud mobile ad formam ſubſtantialem, vel accidẽtalem, quæ ſunt generabilia, & corruptibilia, mixta, tam imperfecta, vt Metheora, quam perfecta, vt viuentia; quibus communis eſt anima vegetatiua, aut ſenſitiua, aut Rationalis, & hic eſt vnus Tractatus viuentium in communi. Alter ſpecialis de Animalibus, & plantis.

METAPHISICAE obiectum, eſt ens in quantum ens, de quo contemplatur principia, cauſas, paſſiones, & partes. Principia entis alia incomplexa, alia complexa ad confirmanda principia ſcientiarum ſpecialium, vt illud quodlibet eſt, vel non eſt. Cauſæ aliæ extrinſecæ altiſſimæ, vt prima rerum omnium cauſa, & finis. Aliæ intrinſecæ, vt eſſe, & eſſentia, Actus, & potentia, genus, & differentia. Paſſiones entis, ſiue proprietates ſunt, quinque Tranſcendẽtia, Vnum, Verum, bonum. Aliquid Res. Partes entis ſunt ens reale, & ens rationis. Ens reale aliud ens per accidens quod reijcitur a ſcientijs, aliud ens per ſe. Et hoc, aut eſt ſubſtantia, aut accidens, in quibus prædicamenta continentur. Subſtantia alia corporea quæ, vel eſt materia, forma, vel compoſitum. Aliæ incorporea, vt anima, Angelus, Deus optimus maximus, omnium entium principium.

PHILOSOPHIAE morum, obiectum eſt homo quatenus agens liberum, quod poteſt bene viuendo fœlicitatem obtinere. Cuius finis nõ eſt, vt ſciamus, ſed vrbani efficiamur. Quæ tres habet partes, Ethicã, Economicam, & Politicam; Ethica docet hominis finem, & media ad illum conſequendum. Finis humanæ vitæ eſt fœlicitas hominis. Media ſunt actiones humanæ bonæ procedentes a principijs in genere naturæ, hæc ſunt Intellectus, Voluntas, & appetitus; & a principijs in genere moris, quæ ſunt virtutes. Quarum aliæ ſunt intellectuales, nempe Intellectus principiorum, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars. Aliæ morales, Iuſtitia, Fortitudo, Temperantia, Amicitia, quæ ſunt omnibus hominibus communes, aliæ ſunt heroicæ magnorum virorum. Economica, & Politica inſtituunt honorẽ ad bene viuendum non in ſe, ſed in alijs ad regendam familiam, vel Rempublicam.

Secundum præceptum quoad primam partem probatur ex eo quod res quælibet præter exiſtentiam, & eſſentiam cauſas intrinſecas, & extrinſecas, effectus, & oppoſita nihil præterea habet cognoſcendum ergo ijs ſeptem capitibus de re qualibet cognitis res tota perfecte cognoſcitur. Vnde D. Tho. diſputaturus de fide, agit de obiecto, & habitu quo credimus, & quid ſit, & de actu fidei tanquam effectu. Mox de cauſa efficienti, & materiali, hoc eſt, de ſubiecto fidei. Tum de oppoſitis Hæreſi, Apoſtaſia, Infidelitate. Supponitur fidem eſſe. Item inſtituens diſputationem de Gratia docet. An ſit, hoc eſt. An ſit neceſſaria. Et quid ſit habitus

bitus an actus. Et quotuplex ſit, an gratum faciens, & gratis data. Tum explicat cauſas efficientem, & diſponentem, quæ ſunt Deus, & liberum arbitrium, vltimo effectus ſanantes animam, & meritum quod a gratia procedit. Ariſt. differẽs de anima præſupponit eſſe tãquã per ſe notũ, deinde pergit explicare quid ſit, & quotuplex, & de eius potentijs obiectis, & actibus, in quibus effectus continentur. Secunda pars præcepti probatur ex Ariſt. 2. Poſt. Nam tot ſunt quæ ſciuntur de ſpecie, quot ignorari poſſunt; at quæ ignorantur ſunt quatuor, quia omne prædicatum ſpeciei, aut eſt eſſentiale, aut accidentale, aut quæritur cauſa. Si eſſentiale quæritur per quæſtionem quid ſit, ſi accidentale per quæſtionem, an hoc illud ſit, vel quale ſit. Si quęritur cauſa, vocatur quæſtio propter quid. Sed quoniam non habet ſpecies, quid, neque quale, neque propter quid, niſi ſit ens; primo quęritur an ſit. Quatuor ergo quæſtiones ſciendæ ſunt de ſpecie præcipue, cæteræ ſi quæ ſunt, erunt appendices illarum, vt Cano inquit, in quibus includuntur alię permultæ quę a Doctoribus traduntur maioris explicationis gratia, vel ad perfectionem doctrinæ, vel vnam diuidunt in minutiores. Tum propter hæreticorũ pugnam, quia ijs, aut illis verbis impugnant fidem, opus fuit ſub eiſdẽ verbis diſputare. Verum eſt iſtas quæſtiones eſſe applicandas iuxta cuiuſque rei naturam, nam non poteſt in omnibus fieri eodem modo. In Prohemio Theologiæ tres prohemiales videntur ſufficere An ſit, hoc eſt. An ſit neceſſaria Scholaſtica Theologia. Secunda quid ſit vbi includitur an ſit ſciẽtia, an ſit de Deo, vt obiecto, an ſit argumentatiua, nã hæc ad quidditatem pertinent. Tertia qualis ſit in qua includitur, an ſit ſpeculatiua, an dignior, & certior alijs ſcientijs. De Deo duo diſputat D. Tho. An ſit, & quid ſit, ſed quoniam in hac vita non poſſumus cognoſcere quid ſit, inueſtigat plures perfectiones negatiuas, & affirmatiuas ſpectantes ad qualis ſit, loco quæſtionis quid ſit. De diuinis nominibus quatuor videntur quærenda. An Deo conueniat nomen. An propriè conueniat. Quot ſint &, quid ſignificent, & an aliqua nomina ex tẽpore Deo conueniant. Scientia Dei. Tria habet præcipua. An ſit ſcientia in Deo præſentium præteritorum, & futurorum, & poſſibilium, & hæc fide conſtant. Secunda an ſcientia Dei, vt eſt futurorum ſit certa, & infallibilis. Et cur talis ſit. Tertia qualis ſit, an inuariabilis, an cauſa rerum, an diſcurſiua, & ſic de reliquis.

Tertium præceptum probatur. Ille eſt optimus modus ſciendi qui eſt a natura inſertus, ſed legitime inferre ex principijs notioribus eſt naturale, vt ſupra dictum eſt ex Ariſtot. initio Phyſico. Inſita a natura nobis eſt via, vt a notioribus procedamus. Ergo inferre ex principijs erit rectè ſcire. Tum quia ex vero ſequitur verum, ſed principia vera ſunt ergo ex ijs inferre erit bene ſcire. Et ſi illatio ſit neceſſaria erit ſcientia, ſi probabilis proximè accedit. Inferre eſt ex auctoritate, vel ratione conſtante ex aliquibus propoſitionibus, colligere aliquid diuerſum per orationem conſtantem ex antecedenti, & conſequenti, & nota illationis. Principia alias ſunt dignitates quibus ſtatim aſſentitur intellectus explicatis terminis, quæ ſunt ſemina doctrinarum, vocantur principia, quia prima vera, indemonſtrabilia per alia priora. Alia ſunt portiones, & ſuppoſitiones propriæ cuiuſque ſcientiæ, quæ non probantur, ſed

ſua-

ſuadentur vtcunque vel exponuntur facile exemplo, aut inductione. Vnde notabilia quæ adhibentur ad explicandas quæſtiones, ex doctrina Ariſtot. de præexiſtente cognitione initium ſumpſerunt. Nam præintellectis in quacunque materia quibuſdam communibus conceptionibus, aut veritatibus, ex illis recte concluſiones inferuntur in omni materia.

Exẽplũ ex Ariſ. 3. Phyſ. Quod planum fiet duobus exẽplis: Primum ex Ariſto. 3. Phyſic. vbi diſſerit de motu. Et ſupponit ante omnia ad Phyloſophum naturalem pertinere agere de motu; Quia natura eſt principium motus. Secundo ſupponit, entium quædam ſunt in actu, quædam in potentia, vt potentia calidum, & actu calidum. Quæ actu ſunt, diuiduntur in decem prædicamenta; Nam potentia non multiplicat prædicamenta, ſed actus; quamuis in quolibet inueniatur actus, & potentia. Tertio Relatiuorum quædam fundantur in quantitate quædam in actione, & paſſione. Tandem motus non eſt præter res ad quas eſt motus. Vnde colligit motum non eſſe aliquid cõmune vniuocum, quia non eſt quid diſtinctum a rebus, ad quas eſt motus, ſed motus ad ſubſtantiam quantitatem, qualitatem, & vbi ſunt quatuor generaliſſima primo diuerſa; ergo motus non eſt eis commune vniuocum. Ex his principijs determinat tres quæſtiones, An ſit motus quid ſit, & an ſit in mobili. An ſit eſt per ſe notum ex ſenſu, vt in calefactione. Ad q̃ſtionẽ quid ſit reſpondet, motus eſt actus in potentia ſecundum quod in potentia. Probat, quia illud eſt motus quo poſito aliquid mouetur, & ante quod non mouebatur, neque poſt, ſed actu mobilis res mouetur, & ante non mouebatur, neque poſt. Nam verbi gratia ædificabile nõ ædificatur ante ædificationem, ſed ſolum eſt in potentia, neq; poſtea, quia iam domus eſt facta, & in eſſe quieto, ergo motus ędificij eſt, quando actu ædificatur, & eſt in fieri, ergo motus eſt actus eius, quod eſt in potẽtia. Hoc eſt imperfectus tendens ad perfectiorẽ actum. Ex quo refutat definitiones antiquorum. Ad tertiam reſpondet motus non eſt in mouente, tanquam in ſubiecto. Quia ſequeretur agens, vt agens moueri; quod eſt falſum, cũ detur primum mouens immobile. Eſt igitur inhærenter in mobili. Nã motus habet duo eſt; huius, & ab hoc; hoc eſt; procedit ab vno tanquã a principio, & recipitur in alio tanquam in ſubiecto. Igitur quamuis actus ſit in eo cuius eſt actus, tanquã procedens, & emanans ab eo, non tamen, tanquam in ſubiecto. Ex iſta determinat quæſtionem appendicẽ, An ſit idem actus mouentis, & mobilis. Reſpõdet, quod idem eſt actus, ſed ratione diſtinctus, hoc eſt duplex reſpectus: ſicut idem eſt ſpatiũ quo lapis mouetur ſurſum, & quo mouetur deorſum, & tamen aſcenſio, & deſcẽſio circa idem ſpatium ſunt diuerſa. Ita idem actus quatenus per illum mouens mouet eſt actio, & idẽ vt per illum mobile mouetur paſſio. Quibus addunt Philoſophi moderni, actionem, & paſſionem eſſe eandem rem cum motu. *Tolet. 3. Phyſ.* Quia mouere eſt producere formam ſubſtantialẽ, vel accidentalem, & non ſunt multiplicandæ entitates ſine neceſſitate, ergo motus, & actio eſt idem actus, & forma vt fit, & [illegible] emanat.

Exẽplũ ex D. Tho. ALTERVM exemplũ eſt ex Theologia, de Infinitate Dei. Primo ſupponẽdum Deum eſſe, id quo maius, aut melius cogitari non poteſt, quod eſt per ſe notum. Item eſſe perfectiſſimum omnium entium, & habere omnium entium poſſibilium perfectiones. Nam nemo dat, quod non habet. Secundo infinitum in communi *Val. to. 1.*

muni eſſe, quod caret fine, & termino. Definitio autem Ariſto. eſt Infiniti in quantitate, quatenus abſtrahit ab Infinito actu, & potentia. Nã dicit Infinitum eſt, cuius partem aliquam accipientibus ſemper eſt aliquid accipere extra. Ratio eſt, quia non habet vltimam. His poſitis hæc materia ad quatuor quæſtiones reduci poteſt. An Deus ſit Infinitus. Quid ſit Deum eſſe Infinitum, aut quomodo ſit infinitus. Cur ſit infinitus, & an ſolus Deus ſit infinitus, Ad primam reſpondetur ex fide; Deus eſt Infinitus. Patet, ex illo; magnitudinis eius non eſt finis. Tum quia omnis perfectio ſimpliciter eſt Deo tribuenda, ſed eſſe pelagus infinitũ perfectionum eſt perfectio ſine imperfectione, quam melius eſt habere, quam non habere; ergo Deus proprie eſt infinitus. Ad ſecundam reſpondetur. Deus eſt infinitus ſecundum eſſentiam, & perfectionem. Probatur. Infinitum, aut eſt in potentia, aut actu, & reipſa, & hoc dupliciter, aut quantitate, aut perfectione. Sed in Deo non eſt quantitas, quia Spiritus eſt Deus, & incorporeus, & eſt infinitus ſimpliciter, & actu, non ſecundum quid, & in potentia, vt numerus; ergo eſt infinitus perfectione eſſentiæ. Ad tertiam reſpondetur, Deus eſt infinitus, quia habet, perfectiones omnium entium poſſibilium, quæ ſunt infinitæ. Probatur; infinitũ perfectione eſt, quod caret termino, ſed Deus eſt infinitus perfectione; ergo caret termino, & vltimo. Explicatur terminus, ſiue vltimum perfectionis, eſt certus gradus perfectionis cum præciſione aliorum, hoc eſt ita habere aliquem gradum perfectionis, quod non habeat alios vllo modo; ſed Deus non habet talem gradum, quod non habeat alios; patet; quia nõ poſſet facere infinitas perfectiones, niſi illas haberet aliquo modo formaliter, vel eminenter, quia nemo dat quod nõ habet. At poteſt Deus facere perfectiones infinitas, ita quod quacumque data poteſt aliam, & aliam facere ſine fine, vt docent Theologi in materia de Omnipotentia Dei, ergo Deum eſſe infinitum cognoſcimus ex eo quod habet perfectiones poſſibiles infinitas. Nã a parte rei Deus non habet cauſam, vt Doctores docent, ſed ſolum rationem. Ad quartam reſpondetur ſolus Deus eſt infinitus ſimpliciter, & ſecundum eſſentiam. Quia eſt impoſſibile creaturã habere eſſentiam infinitam. Nam talis, vel eſſet Deus, vel non; ſi non, deeſſet illi infinita Dei perfectio; ergo non eſſet infinite perfecta. Si eſſet Deus; ergo verum eſt, nihil præter Deum eſſe infinitum ſimpliciter. Vnde ſolum poteſt inueniri in creaturis infinitum ſecundum quid, & in potentia. Vt lignum, quod de ſe poteſt infinitas figuras recipere. Et numerus, & diuiſio continui, in quibus non poteſt aſſignari terminus. Infinitum autem actu in quantitate ſecundum probabiliorem ſententiã D. Thom. & Peripateticorum dari non poteſt. Quia magnitudo, & multitudo habent vltimum, & partes actuales finitas, licet partes in potentia, ſint infinitæ. Quartum præceptum de ſe patet.

Ex prædictis præceptis conſtare poteſt ſcientias non eſſe a Deo inacceſſibiles, ſicut Amethodi imaginantur. Nam iſtorum præceptorum vſu ſciri poſſunt præcipua, reliqua, ſi quę ſuperſint, ex ijs pendẽt, Et ſi res quælibet ſuo loco reponatur, & principales controuerſiæ facultatum pertractentur, non erunt tot myriades quæſtionum. Sunt enim quæſtiones multæ, quas malitia mouet, vel imbecillitas ingeniorum (inquit Can.) *Can 12.* Et perturbatus docendi modus, vt *li. de lo.* incul-

inculcare materiam de Trinitate, in materia de Incarnatione, & in duabus quæſtionibus annum conſumere (quod ægre ferebat Magiſter Mãſius) pariunt prolixitatem pene inacceſſibilem. Verum eſt diſcurſu lõgi temporis diſcerni poſſe materias, & errores animaduerti. Sed non eſt æquum tot annorum experientiam expectare, quia retardantur ingenia ſimilibus erroribus, & concipitur odium facultatum.

DE INFERIORIBUS diſciplinis.

ALIQVID dicere viſum eſt in fine huius libri, quo poſſit Theologus, tum laureandus, tum clericandus ſuperioribus iam inſtructus, ſi neceſſitas ſe obtulerit quærere aliquid in ſcriptoribus aliarum facultatum, ad veritatem Theologicam confirmandam, aut explicandam. Non enim debet eſſe adeo exigui ingenij, vel intra fines ſuos ita recluſus, vt interdum non poſſit ad alias ſcientias egredi, maxime cum aliæ ſcientiæ famulentur Theologiæ, immo omnes ſcientiæ ſunt connexæ, & mutuo ſe iuuant, ideoque inter recte ſapientes laudatur Encyclopedia ſcientiarum. *Nau. in Man.* Proderit etiam ad gradus ſuſcipiendos ijs, qui cogitant ad præmia ſtudiorũ aſcendere, ad legendum, vel ad paſtoralia munera. Omnis ſcientia hoc eſt certa notitia rerum naturalium, vel ſupernaturalium, aut eſt ſpeculatiua, aut practica, aut ſimul practica, & ſpeculatiua, qualis eſt Chriſtiana Theologia, cui coniungitur Ius Pontificium; ſpeculatiuæ ſunt Phyſica, Mathematica, Metaphyſica, ſub Phyſica continentur Medicina, & Chirurgia; Mathematicæ ſunt Geometria, Arithmetica perſpectiua, Muſica, Aſtrologia; Metaphyſica eſt naturalis Theologia. Practicę aut ſunt actiuæ, vt Logica, & Moralis, illa eſt ſcientia bene intelligendi, iſta bene volendi, cuius vna pars eſt Politica ſub qua Iuris Ciuilis ſcientia continetur, aut factiuę ad voces externas, vel opera, vt Grammatica, & Rhetorica; quibus Poetica, & Hiſtorica iungi poſſunt, & Mechanicę Artes ſeruiles, vt Agricultura ſartoria, & cæteræ; de liberalibus dictum eſt, nunc breuiter aliquid de vtroque iure, & medendi facultate.

IVS CANONICVM deſcribi poteſt, Canones ſummorum Pontificum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum per Titulos, & materias digeſti ad bonam Eccleſiæ gubernationem, & vſum Eccleſiaſticæ Iuriſdictionis. Vnde cum Eccleſia comprehẽdat Clericos Religioſos, & ſæculares, neceſſarium fuit ſtatuere circa perſonas Eccleſiaſticas, ordinationem, officia, & vitam illorum, vt in Decreto, & Titulis de Pœnitentia, & conſecratione. Secundo circa bona Eccleſiæ. Tertio circa crimina illorum, & Pœnas. Vltimo qua ratione iudicia Eccleſiaſtica ſint exercenda ad dubia decidenda. Circa religioſos oportet etiam ſtatuere, de eorum ſtatu, vita, de bonis, & criminibus. Circa Laicos, qui ad fidem Catholicam mandata Dei, & Sacramenta obligantur opus eſt Titulis de ſumma Trinit. & fide Catholica, de Matrimonio, voto, iureiurando; & de varijs criminibus contra Dei præcepta, vt Hęreſi, Homicidio, Adulterio, Vſura, Simonia. In quolibet Titulo poteſt Theologus quærere definitiones, rationes decidendi, caſuum diuiſiones, & aliquas proprietates, & pœnas, cum Regulis generalibus, & exceptionibus, quibus conſequetur Tituli non contemnendam notitiam, de quorum neceſſita-

te ad Theologiam egit Cano. de locis Theologi. lib.8.& Villaui. lib.4. c.4. de ſtudio Theologiæ.

IVS CIVILE deſcribi poteſt leges Iuriſprudentium Philoſophorũ, & Imperatorum ſecundum rectam rationem ad bonam Reipublicæ gubernationem, & vſum iuriſdictionis ſæcularis, vt lites dirimantur, & tranquillam vitam in pace exterius Ciues conſeruent. Vnde cum Reſpublica ex nobilibus ciuibus, & plebeis, mutuis officijs, artibus, & contractibus, ad vſus vitæ humanę, conſtent, bona gubernatio ſecundum legem naturalem quatuor poſtulat primo venerationẽ Dei, de qua in titulis de ſum. Trinitate, & fide Catholica, & Sacroſanctis Eccleſijs. Secundo principibus honorem, & tributum exhibere. Tertio honeſte viuere, neminem lædere, Ius ſuum vnicuique tribuere. Sed quoniam hoc difficile eſt, propterea leges iuſtum docent in contractibus, tam dominium transferentibus, vt emptio venditio; quam in non transferentibus dominium, vt locatio, conductio, depoſitum, & in criminibus; vt in vſura, adulterio, homicidio, crimine falſi. Vbi ſtatuuntur pœnę delinquentibus, vt deterreantur. Poſtremo opus eſt iudicio quo ius dicatur in dubijs, litigantes audiendo, & ad rectam informationem facti, & iuris vtendo, Notario, Aduocatis, Procuratoribus, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, & ſententia exequutioni mandetur, iuſtæ tamen defenſioni, & appellationi, locum non denegando. In quolibet titulo definitiones, diuiſiones, & rationes decidendi caſuum, quærendæ ſunt. In controuerſijs autem Doctorum ſequendum eſt, quod conforme eſt iure canonico, legi diuinæ, & Euangelio. Regulæ, item iuris cum ſuis exceptionibus maxime obſeruandæ ſunt. De cuius neceſſitate ad Theologiam agit Cano lib. 10. de locis. Nam Theologia Legiſtas debet conſulere interdum, quia ſæpe leges, & conſcientia concordant.

MEDICINA ſani, & ægri ſcientia, poſtulat duo, corporis ſanitatem reſtituere, eiuſdemque conſeruandi rationem. Vnde tria neceſſaria ſunt cognitio partium humani corporis, & vſus illarum, quæ pars naturalis vocatur. Secundo cognitio ęgritudinum, & cauſarum ex quibus oriuntur, ſignorumque quibus dignoſcuntur. Tertio remediorum; tam ſimplicium, quam compoſitorum, vt herbarum, plantarum, animalium, lapidum.

Supereſt Theologum monere, vt ante quam ſolitario ſtudio finem imponat, perficiat cognitionem Sacræ ſcripturæ in Scholis cęptam, vniuerſam ſacram Bibliam legendo flexis genibus, & oratione præcedente, vt ſupradicti faciebant; quia eſt Theſaurus, & literæ cælitus miſſæ ad voluntatem Dei agnoſcendam, vt inquit Conc. Triden. & hæc eſt Theologi ſcientia; Neque ſunt duæ ſcientię Scholaſtica, & ſcriptura ſupradicta immo ſacræ literę ſunt principia ex quibus Scholaſtica infert; Diuiditur autem ſcriptura ſãcta in vetus, & nouum Teſtamentum, & vtrunque in quatuor genera librorum Legales, Hiſtoriales, Prophetales, Sapientiales. Ad intelligendam Geneſim iuuabit videre S. Thom. 1. p. de opere ſex dierum. Ad legales quæ idem 12. de lege veteri diſſeruit. Ad intelligendos Prophetas loco Prohemij, quæ 22. idem docet de Prophetia. In nouo Teſtamento Euangelia pertinent ad legales. Acta Apoſtolorum ad Hiſtoriales. Epiſtolæ canonicæ ad ſapientiales. Apocalypſis ad Prophetales. Tanquã prohemium vtile erit videre, quæ D. Tho. 12. de

Seſ. 5. c. 1.

Dionyſ. Cart. ſuper Pentatate.

12. de lege noua, & comparatione cum veteri docet. Valent etiam plurimum Regulæ ad intelligendas ſacras literas traditæ a Villaui.2. libro de forma ſtudiorũ. Et quæ 1.p.de ſenſibus Sacræ ſcripturæ diſputari ſolent. Et quæ de Chriſto Domino in 3. p. & 3. lib. ſententiarum a Theologis adducuntur. Ex quibus ſaltem Euangelium S. Matthæi in ſenſu literali eſt percurrendum, ad quod iuuabit Paraphraſis Titelmanni, & Concordia Ianſenij.

Stvdiis facultatum finitis ad lauream, & gradus ſtudiorum aſcendere poteſt, vt ſibi, & alijs vtilior eſſe poſſit, cum approbatione vniuerſitatũ. Primus gradus quo inſigniri ſolent ſcholares peractis curſibus audientiæ, non ſufficit, vt plebi exponantur, tanquam Magiſtri, ſed requiritur ſuperior. Quæ prudenter vſus obtinuit, quia honor alit artes, & rigor examinis graduumque differentia iuuant ad ſcientias comparandas, & exploranda ingenia ad munera Eccleſiæ. Difficultas gradus conſiſtit in tribus in Theſibus publicis, in bene legendo, & bene reſpondendo. Theſes duobus modis proponi poſſunt: primo ex vna materia, vt in Louanienſi, & Salmantina Academia fit, ad exercitationem Scholarium, & ad melius tentandã doctrinam graduandi pluribus actibus. Altero modo vnica tentatiua pro pluribus vtendo; & tunc Theſes conuenientius deſumuntur ex præcipuis materijs totius facultatis ſicut fit in Pariſienſi ad oſtentationem, vt tradit Villaui. *Villaui. li.3.c.6.* Lectio erit de aliquo puncto ſorte aſſignato, quam recte præſtabit, qui materias ſtuduerit modo ſupradicto. Ordo erit prius textum eiuſque concluſiones dicere, ſenſumque exponere. Deinde præcipuas ſententias examinare. Modus loquendi debet eſſe decorus modeſtus, cum attentione, & feruore cõiunctus, implorato prius diuino auxilio; Quod ſi punctum propoſitum ſterile fuerit, inueſtiget de eo, an ſit, quid ſit, quotuplex ſit ſiue ſpecies & partes; Item cauſas, effectus, circumſtantias, oppoſita, & ſimilia. Seruanda eſt etiam conſuetudo Ariſtot. procedendi a generalioribus ad ſpecialiora, hoc eſt prius communia dicere quam propria, tranſeundo ab hypoteſi ad Theſim, quod eſt præceptum obſeruatione dignum a Rhetoribus celebratum, ad ſacras conciones, & copiam multarum rerum parandam. *Villaui. li. 3.c.7. & 8.* Item quæ de Themate ſimplici, & compoſito explicando dicemus 3. lib. huius operib.

FINIS LIB. I.

DE CLERICORVM ELECTIONE AD ORDINES ECCLESIAE.

Liber Secundus.

HACTENVS de educatione ſequitur, vt de electione miniſtrorum Dei agamus, de qua duo dicenda ſunt in hoc libro. Alterum indignos, & non aptos, ordinibus Eccleſiaſticis, dimittendos, & nullo modo in Clericorum numerum aſcribendos, Et ad quem pertineat hoc iudicare. Secundum idoneos ordinandos eſſe. Et de proxima præparatione ad ordines.

PRAEPARATO futuro Clerico ſtudijs ſuperius deſcriptis opportune *de ordinatione* cogitari poteſt, tanquam introducens formam, in materiam bene diſpoſitam. *Sunt qui liberos adhuc infantes miniſterio Eccleſiæ dedicarunt* (inquit Catechiſ.) *& ſunt qui ſponte illud vitæ genus ſequi velint*. Deo negotium comendādum eſt, orationibus, ieiunijs, eleemoſynis, alijſque bonis operibus, ab eius immenſa bonitate auxilium petendo, & alicuius prẹſtantis Eccleſiaſtici, conſilio vtendo ad bonam directionem, ſi vera vocationis ſigna ad Eccleſiæ ſtatum perpetuo experiantur. Sed neque hoc ſatis eſt, niſi approbatio Epiſcopi de virtutibus, & ſtudijs (quæ ſunt merita ordinandorum in communi) accedat. Nam ad eum pertinet examinatio, ineptorum reiectio, & idoneorum admiſſio, ad quod vocandi ſunt, ſtatutis maxime ab Eccleſia temporibus. Apoſtolus Tito Epiſcopo ſcribit, Huius rei gratia reliqui te Cretẹ, vt quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates Presbiteros, ſi quis ſine crimine eſt, quod ſine examine, fieri non poteſt. Neque minus neceſſarium eſt hoc tempore licet ſit copia multorum, qui literis operam nauarunt, & in fide ſani ſunt. Quia timendum eſt in tanta multitudine, ne illud vere dici poſſit, Multiplicaſti gentem, ſed non magnificaſti lætitiam. Plures ſunt clericatum ambientes; ſed reſtat videndum an ſint

De Sacr. ord.

Ex Bernardo.

vocati. Timendum, ne plures potius cauſa viuendi ſine labore tale inſtitutum aggrediantur, quam ex deuotione. Et de vocatis an vocationi reſpondeant, an ſint Eccleſiæ vtiles. Vnde Clericorum multitudo Epiſcoporum curam non minuit; ſed auget. Examen autem non propter formam; ſed perfectum eſſe oportet, ad quod aliquod plus ſolito videtur eſſe inueſtigandum, nimirum ingenia, talentaque ſcholarium clericorumque perpendere, quibus vſibus eſſe poſſint, vt poſtea Eccleſijs applicari poſſint. Apoſtolus namque inuento Timotheo apto, eum ſociũ adhibuit, alioſque ſimiles adiutores, ſcriptos in libro vitæ, vt ille inquit ad Philipen. Poſt tempora Apoſtolorũ, non defuerunt Prælati, hoc etiam agentes; Nam Chryſoſtomus inuentus præclari ingenij a paſtore vigilanti Presbiter ordinatus eſt, & iniunctum ei munus prædicandi Euangelium, taleſque eſſe quærendos non obſcure idem ſignificat in libris de Sacerdotio. Similiter in Africa a Valerio Epiſcopo aſſumptus eſt D. Auguſt. clariſſimus doctor, & factus Coadiutor. & Coepiſcopus, vt habetur 7.q.1. Et ratio ſuffragatur; Nam Epiſcopus paſtor eſt, & dux populi ſibi commiſſi; Atqui boni paſtoris eſt vultum pecoris ſui agnoſcere, & qui poſſint viuentibus vita functis gregem cuſtodire, aut quantum curæ cuique committi poſſit. Et boni duces aduerſus hoſtes dimicantes, attente conſiderant pericula vireſq; aduerſariorum, ac ſuas, & ſic inſtruunt exercitum iuxta rerum exigentiam, curaſque, munera, & loca partiuntur, vt comittant defenſionē ijs, a quibus opera eximiæ fortitudinis poſſint expectari; confirmantq; & armant ſuos milites. Quanto magis in Chriſtiana militia (cruenta quidem pugna, non aduerſus carnē, & ſanguinem; ſed aduerſus potentiſſimos, & crudeliſſimos hoſtes, vbi agitur, non de terreno, ac temporali regno; ſed de æterno conſequendo, vel amittendo) oportet Prælatos, duceſque magna, & non pigra ſollicitudine milites ſuos armare, inſtruere, & pro viribus varia munera iniungere, vt animas Chriſti ſanguine redemptas defendant, aduerſus dæmones, varijs fraudibus eas perdere conantes. Scholæ Officinę ſunt in quibus milites iſti armantur, & pugnare docentur; Ideoque curæ principum Eccleſiæ eſt (qui tanquam in ſpecula ſunt conſtituti,) vt recte hoc Academiæ præſtent, quo ſtrenui milites euadant, armati galea ſalutis, lorica iuſtitiæ, ſcuto fidei, & gladio Spiritus, quod eſt verbum Dei. Poſtmodum milites iſti coarmati a ſuis ducibus animandi, confirmandique ſunt, & Eccleſijs varie applicandi iuxta vires, vbi victorię laude dignę poſſint expectari. Sed quid dico applicandi, immo quandoque, & compellendi ſunt, ſicut fecit inſignis pręſul referente Magiſtro Manſio) qui viſitans Diocœſim inuenit aptum virum priuatam vitam agentem ſibi ſoli conſulentem, cui paterna ſolicitudine ſuaſit, vt curam ſuſciperet cuiuſdam Parochialis Eccleſię promittens de commoditate vitæ eius, & honore curaturum; quod cum facere recuſaſſet, tunc optimus præſul poteſtate ſuo loco vſus, interrogauit, tune es talis? ſum reſpondit; rurſus, nonne es doctor Complutenſis? ſum dixit, Item non ne es huius meæ Diocæſis ſubditus? ſum ait: igitur in virtute ſanctæ obedientiæ præcipio tibi, vt curam iſtam ſuſcipias, & me adiuues. Nam in Concilio Carthaginēſi, ſtatutum fuit, vt qui noluerit promoueri ad altiora pro neceſſitate Eccleſiarum non miniſtret in ſuo gradu. Simile habetur c.6. de æta. & quali.

Philip. c.4.

Iuxta Pſa. 47. Circundata Syō & complectimini eam, narrate in turribus eius. Ponite corda ueſtra in virtute eius, & diſtribuite domos eius, vt enarretis

in progenie altera, ſecundum expoſitionē Cardin. Bellar.

ad Eph. 6.

Carra. Tolet. Archiepiſcopus.

d. 74. Decret.

quali præficien. Igitur cum neceſſitates Eccleſiarum variæ ſint, oportet Epiſcopum quos meliores, magiſq; idoneos iudicauerit curatos animarũ conſtituere: immo quo ipſi iuuentur Epiſcopi, iuxta Triden. ſeſſ. 25. & ſeſſ. 24. Alij hortandi, vt ſtudia proſequantur. Alij, vt cantu, & Muſicis diuinis laudibus inſeruiant. Alijs cõmittendæ ſunt procurationes, & negotia Eccleſiarum. Alijs vt Grammaticam doceant; Alijs vt Confeſſiones audiant, & congregentur ad caſus conſcientiæ conferendos: Alijs, vt prædicationi diuini verbi intendant. His alijſque modis, quos neceſſitas, & paterna prudenſq; ſollicitudo monſtrabit, diuinuſque ſpiritus ſemper inuocatus, diuidendi ſunt Clerici tanquam operarij ad laborã dum in diuerſis partibus vineæ Domini (cuius fructus expectat) & illud quod D. Petrus docuit, impleatur, vnuſquiſque ſicut accepit gratiam in alterutrum illam adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei. Verum eſt, hoc eſſe laboribus plenum, nihilominus ad officium Prælati ſpectat, nam Conc. Triden. ſeſſ. 25 c. 1. de reform. docet Epiſcopos ad labores, & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos eſſe. *Non ad propria commoda, diuitias, aut luxum.*

Triden. ſeſſ. 25. ca. 1. & ſeſſ. 24. c. 18.

PERTINET etiam ad Epiſcopos, reijcere ineptos ad ordines, & indignos. Sunt autem tales, irregulares ex defectu animæ, corporis, vel Sacramenti, de quibus lib. 3. latius dicetur, vt non confirmati; Aliqua cenſura ligati; Non examinati: Perſaltum promoti. Imò exiſtentes in peccato mortali indigni ſunt, præſertim ad ſacerdotium. Nam lege illud Apoſtoli conſtitue presbyteros, ſine crimine. Quod Gratianus ex D. Hiero. interpretatur hoc eſt ſine peccato mortali poſt baptiſmum, acceptum, vel ſecũdum Auguſtinũ in eadem d. c. Apoſtolis, crimen eſt peccatum accuſatione digniſſimum, vt furtum, ſacrilegium, immunditia fornicationis. Vnde Gelaſius Papa, d. 55. ſtatuit, vt requiratur vita ante acta eius, qui ad *Clericale munus accedit, ita* vt non ſit aliquo facinore infectus. Zepherinus Papa ſanciuit, vt ad ordines docti, ac ſpectatæ vitæ homines deligerentur. Immo, & in Diaconis Apoſtolus, in prima ad Timoth. pudicitiam, alienoſque eſſe a lucris, & ebrietate, & conſcientiã purã poſtulat. Ratio horum eſt, quia emendatior debet eſſe populo, qui orare debet pro populo. Et quia ordinantur, vt præeant coram populo Dei, & viam ad felicitatem monſtrent verbo, & exemplo vnde ſecundum Cathechiſmum, *Decet, vt qui ſacris addicuntur nihil in ſe habeant, quo ab alijs merito deſpici poſſint, Et in eo, qui ſacerdos creandus eſt oportet primo, vt vitæ, & morum integritas magnopere commendetur, non ſolum, quia ſi cum conſcientia peccati mortiferi ordinatur maximum peccatum committit; ſed quia virtutis, & innocentiæ lumen alijs præferre debet.*

diſt. 81.

M. Aul. la.

Quæ adeo vera ſunt, vt Pet. Soto. afferat, non ſolum mortalia exiſtentia actu, vel reatu impedire, de quibus non eſt acta pœnitentia, verumetiam pronitatem, & peruerſam habilitatem ad peccata, obſtare ſupradictis miniſterijs, & gradibus: quod illa verba Pauli ſignificant, non cupidum, non elatum, non vinolentũ, non percuſſorem, hoc eſt frequenter in ea peccata lapſum, non eſſe ordinandum Epiſcopum presbiterum, aut Diaconum. Quod conſiderandum eſt (inquit prædictus Doctor) in diſcuſſione eorum, qui ordinantur, nec ſine peccato putamus omitti poſſe. Immo, neque ipſi ſi hæc nouerint debent velle promoueri, vtpote

Pet. Sot. lect. 2.

Dien. de arc. via. ſalu. ca. 32.

vtpote de talibus impedimentis Cōſcij.

Item huiuſmodi indignos atque ineptos dimittendos eſſe, & non ordinandos patet, ex eo quod ordinare tales, & non reijcere eſſet grauiter nocere Eccleſiæ, & eſt adeo peſſimum, & tot damna ex eo ſequuntur, vt non ſatis verbis explicari poſſit, ſecundum rei magnitudinem.

D. Amb. ſuper Epiſt. Timoth.

Non ſufficit eſſe ſine crimine.

Melior cæteris debet probari, qui ordinandus eſt.

Si Iudas Machabæus elegit ſacerdotes ſine macula habentes voluntatem in lege Dei; quid in nouo Teſtamento Epiſcopis faciēdum eſt?

Reddēt rationem omnipotēti Deo, in tremendo iudicio Epiſcopi non ſeruantes ſacrorum Canonum, & Cōciliorum decreta in re adeo graui ex qua Chriſtiani populi optimus ſtatus pendet. Sane in admirationē inducit, conſiderare contemptum eorum, quibus cum nullis indigeant habeantque amplos reditus, neque lucrum accreſcat, neque honor, imò dedecus apud doctos, & probos, neque neceſſitas, aut vtilitas Eccleſiarum, nihilominus repugnantibus, & contradicentibus ſupradictis Scripturis, ſacris Canonibus, & Concilijs, & ipſa ratione, forte propter diuitias, aut beneficium, vel iniqua miſeratione, aut importunitate ſtultorum rogantium commoti, audent, idiotas, inquietos, inſanos, & eos, qui ludibrio ſunt in populo, aut certe nullius exempli, ordinare, & ſacratiſſima Eccleſiæ munera conferre. Multum debetur honoris Epiſcopali dignitati, abuſus tamen poteſtatis deteſtandus eſt, propter perniciem fidelium, inde ſubſecutam. Sed hæc non ſunt ita intelligenda, vt multi, qui generalem de vitijs diſputationem in ſuam referunt contumeliam, (vt S. Hieron. inquit) Cur nobis placeat, quod Concilijs, & ſupradictis Patribus diſplicet? *Compertum eſt, inquit ſupradicta Synodus Tridentina*, Seſſ. 21. cap. 2. *Complures pleriſque in locis ad ſacros ordines nullo fere delectu admitti*. Et Seſſ. 23. c. 12. *Sciant Epiſcopi non ſingulos in ætate conſtitutos debere ad maiores ordines aſſumi, ſed dignos dumtaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit.* Audiant Apoſtolum cōminantem. Ne cito manus impoſueris, nec communices peccatis alienis. Nam eſt Deo cæcum, & claudū offerre, quod abominatur Malachiæ 1. Vbi D. Hieron. ait cæcum animal offert, qui ordinat indoctum loco docti, magiſtrumque facit eum, qui vix diſcipulus eſſe poterat. Claudum offert, qui lucra terrena quærentem locat, vtpote pedem in diuerſa ponentem vnum in diuinis; alterum in carnalibus. Quod patentius fiet ſequenti ſimilitudine. Si Prælatus neptem, aut conſanguineam vult coniugio copulare quærit nobilem diuitem virtutibus animæ, & corporis ornatum. Item ſeruitores ſolos admittit, & retinet bene morigeratos cordatos, ornatos, bonorum parentum, & famæ; perditos, autem nullo modo. Igitur bone Deus, quis ferat apud ordinātē deterioris conditionis eſſe Eccleſiā Chriſti ſponſam, quam ſit, conſanguinea, aut domus ſua? Scienter ordinando miniſtros Eccleſiæ, & Dei, perditos, ignorantes, ſtultos, malæ famæ, corpore, & animo vitiatos? qui deſtructioni potius ſeruiunt, quā ædificationi. Audiant D. Grego. Epiſcopis ſcribentem. Eſtote in ordinatione ſolliciti, & ad ſacros ordines niſi prouectiores ætate, & mundos opere nullatenus admittatis, ne forte ſemper eſſe deſinant, quod immature eſſe feſtinant. Eorum vero, qui in ſacro ordine ſunt collocādi prius vitam moreſque diſcutite, & vt dignos adhibere poſſitis, non vobis potentia, aut ſupplicatio quamlibet ſubrepat perſonarum. Ante omnia autem, vt nulla proueniat venalitas. Si quando igitur de his tractare neceſſe ſit graues expertoſque viros conſilijs veſtris adhibete participes.

Habetur d. 40 Decreti.

In Decreto, 1. q. 1. cap. 119.

ticipes, & cum eis communi delibe-ratione penſate. Quæ conſonant cũ ij quæ Zozimus Papa, ponderoſis verbis ſanciuit, reprehendens ordinantium temeritatem. Nullus (inquit) ad Eccleſiæ ſacerdotium aſſumendus, niſi Eccleſiaſticis diſciplinis imbutus, temporum approbatione. Nam ſi officia ſæcularia examinatis per ſingulos gradus dantur, arrogantia, & impudentia eſt in cęleſti militia, quæ ſicut aurum repetitis ignibus exploranda eſt, deſiderare eſſe ducem eum, qui antea non fuit tyro, & prius velle docere quam diſcere. Oportet ergo, vt aſſueſcat primum eſſe lector, deinde Exorciſta Acolythus, poſtea Subdiaconus, Diaconus, & hoc non ſaltu, ſed ſtatutis maiorum ordinatione temporibus. Et ad Presbiterij faſtigium talis accedat, vt nomen ætas impleat, & meritum probitatis ſtipendia ante acta teſtentur. Facit hoc nimia ſacerdotum noſtrorum remiſſio, qui pompam multitudinis quærunt, vt Parochias extendant; vel quia aliud dare non poſſunt, diuinos honores largiũtur. Sed rarum eſt omne quod magnum eſt. Vnde Concil. Trident. ſanctiſſime punit Epiſcopum pęna ſuſpenſionis ordinantem, ſine teſtimonio de probitate, & moribus, Seſs. 23. Et ſeſs. 14. grauiter reprehendit Epiſcopos vagantes, & ordinantes quoſcunque ad ſe venientes, ſine Comendatitijs literis ſuorum Epiſcoporum. *Quia fit plerumq; hoc modo, vt minus idonei rudes, et ignari, & qui a ſuo Epiſcopo, tanquam inhabiles, & indigni reiecti ſunt ordinẽtur, et ordinati, nec diuina officia peragere, nec Eccleſiaſtica ſacramenta recte ualeant adminiſtrare.* Ideo c. 3. ſtatuit, vt poſſit tales, ſine literis, & præcedente examine ſubditos, ordinatos, ſuſpendere, & interdicere *ſi minus capaces, & idoneos repererit ad officia diuina celebranda, uel Eccleſiaſtica ſacramenta adminiſtranda*. Igitur cum res grauis ſit, reijcere, & non ordinare ineptos, magis obligat ordinarios. Ex quibus ſequitur, non idoneos ordinibus Eccleſiæ humaniter eſſe dimittendos, monendoſque, vt aliã viuendi rationem ineant ſaluti ſuæ magis accommodatam. Nam multi legum profeſſione Aduocaria, Procurationis Officio, Medicina, honeſtoque cõiugio, & laicali vita poſſunt ſibi conſulere, non autem Sacerdotio, quod a lucris, & ſæcularibus negotijs abhorret. Illud in ore habendum, bonum eſt tibi cum vno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennã, hoc eſt, melius eſt te coniugatum ſaluari, quam Clericum condemnari. Et maior cautio hodie neceſſaria eſt, quo ad tantam ſtragem deuentum eſt (vt ait Catechiſmus) quod maior pars non ex deuotione, ſed propter temporalia commoda ordinantur, parentibus, & conſanguineis id molientibus, ne cenſum ſuum minuant, & ex bonis Eccleſiæ gaudere, & luxuriari poſſint, vt infra ex ſacris Canonibus dicetur. Illud etiam generale præceptum Conc. Triden. in promptu eſſe debet. Nullum eſſe ordinandum, qui iudicio ſui Epiſcopi, non ſit Eccleſiæ neceſſarius, aut vtilis.

Margin notes (left): diſt. 59. Decret. — Triden. ſeſſ. 23. c. 8. ſeſſ. 14. c. 2. (right): De Sacr. ord. — ſeſſ. 23. c. 18.

DENIQVE pertinet ad Epiſcopos idoneos admittere, & ordinare. Nam tales miniſtros vult Deus, iſtos deſiderat populus, tales expectant Eccleſiæ, ab iſtis damna illa reparantur, hi ſunt boni Epiſcoporum adiutores ſalutem animarum intentam in animo habentes, huiuſmodi ſunt vocati, & per oſtium ingrediuntur. Qui ſint autem idonei in ſpecie declarat ſancta Synod. Triden. ſeſſ. 23. Vbi quatuor poſtulat ad idoneitatẽ in prima tonſura, Quod ſit confirmatus.

Margin note (right): ſeſſ. 23. ca. 4.

matus, Quod ſciat fidei rudimenta, legere, & ſcribere. Et ſigna probabilia præbeat finem propter quem Eccleſiaſticam vitam elegit, non eſſe fugere iudicium ſæculare, ſed Deo ſeruire. Ad minores ordines quinq; poſtulat. Bonum teſtimonium Parochi, & Magiſtri Scholæ vbi educatur. Cognitionem linguæ latinæ. Ordinis ſuſcepti exercitationem, niſi abſit propter ſtudia. Profectum in virtutibus, & doctrina, comprobatum exemplo bonorum morum, reuerentia erga Presbiteros, aſſiduo in Eccleſia miniſterio, & frequentiori communione. Et quod ſit ſpes maioris ſcientiæ, vt maioribus ordinibus ordinari poſſit. Ad maiores ordines alia quinque requiruntur. Publicatio in Eccleſia. Teſtimoniales litteræ Parochi, vel alterius ex commiſſione Epiſcopi, continentes informationem inquiſitionis factæ teſtibus fide dignis, de Natalibus vita moribus, & ætate ordinandi. Et hoc bonum teſtimonium eſt commune maioribus ordinibus. Aetas 22. annorum ad Subdiaconatum, & 23. ad Diaconatum. Tertio in minoribus ordinibus probatio. Quarto inſtructio ad ordinem exercendum. Quinto quod ſperent Deo auctore ſe continere poſſe. Decetque hos cõmunicare in Dominicis, & feſtis ſolemnibus poſtquam miniſtrauerint. Ad presbiteratum exigit alia quinq; bonum Teſtimonium. Aetatem 25. annorum. Quod miniſtrauerint in inferioribus miniſterijs, & in Diaconatu per annum integrum. Quarto probentur in ſcientia idonei, ad docendum neceſſaria omnibus ad ſalutem; Et etiam ad Sacramenta adminiſtranda, diligenti examine præcedente. Quinto quod ſint tanta pietate, & caſtitate morum præditi, vt ab eis præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita poſſint

Eadem ſeſſ. c. 5. & 11.

Eadem c. 12 & 13.

Nau. ca. 25. Manua.

Peccare mortaliter, qui aliter ordinatur.

expectari. Examen vero non debet eſſe quodcumque licentioſorum hominum, ſed diligens, vt modo dicebat Synodus, & eadem ſeſſ. c. 7. Statuit, vt ipſe Epiſcopus ſimul cum Sacerdotibus, & prudentibus viris ordinandorum genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem, mores, doctrinã, & fidem diligenter inueſtiget, & examinet. Epiſcopo autem impedito eſſet committendum examen Sacerdotis, probatiſſimis viris diuino zelo, doctrina, ac religione præſtantibus aliter doctrina de idoneis miniſtris periclitatur, ſi relinquatur laxioribus temerarijſque hominibus, qui iuſtos timores irrident, vel ſtudent plus placere hominibus quam Deo. Recte Pet. Soto ait; Non dubium eſt talem requiri diſcuſſionem, ex qua prudenter, & veraciter iudicare poſſit, qui ordinat ſubditum ſuum, vel permittit ab alio ordinari, Idoneum eſſe illum, qui ordinatur ad huiuſmodi onus officij.

Seſſ. 23. ca. 7.

DE SCIENTIA SACERDOTIS.

SEQVITVR ex prædicto Concilij Decreto non ſufficere ad Presbiteratum ſcientiam, ſolũ celebrandi Miſſam, & Diuina Officia peragendi, vt aliqui exiſtimarunt ſaltem in Monachis. Nam Conci. plus exigit; ait enim; Presbiteri hi ſint, qui ad populum docendum ea, quæ omnibus ſcire neceſſarium eſt ad ſalutem, ac adminiſtranda Sacramenta diligenti examine præcedente idonei comprobentur. Item docet Catech. Conc. In Sacerdote non ſolum ea cognitio requirenda eſt, quæ ad Sacramentorum vſum, & Tractationem pertinet; ſed etiam ſacrarum litterarum ſcientia inſtructum eſſe oportet, vt populo Chriſtiano fidei myſteria, & diuinæ legis

Pet. Sot. lec. 2. Domi. Epiſcopus Brixi. 3. p. rudim.

ſeſſ. 23.

Tũ quia ſecundũ Catech. poteſtas ordinis non ſolũ eſt ad cõſecrãdũ.

 præ-

præcepta ad pietatem, & virtutem incitare a vitijs reuocare fideles poſ ſit; ergo ſcientia ſacrarum litterarū maior, vel minor in omnibus Sacerdotibus requiritur, vt etiam aſſerit Card. Toletus vltimo cap. 1. lib., Inſtru. Sacerdo. maior quidem in Epiſcopis, quam in Parochis, & maior in Parochis, quam in alijs Sacerdotibus non habentibus curam animarum, & in Sacerdote maior, quam in alijs Clericis inferioribus. Idem docet ratio, nam aliter cōtra rationem eſſet, & fruſtra conferre poteſtatem ei, qui neſciat ea vti; atqui Sacerdoti dantur duæ poteſtates, ſcilicet conſecrādi, & peccata remittendi ergo ſcire ea vti neceſſe eſt, ergo non ſufficit ſcientia conſecrandi. Idem patet ex Apoſtolica Regula Presbiterum, inquit, oportet eſſe doctorem. Et ex Ethimologia nominis; quia dicitur ſacerdos, ideſt, ſacra dans, & ab Apoſtolo diſpenſatores myſteriorum Dei appellantur. Immo ex diffinitione Sacerdotis, qua dicitur vir deputatus ad cultum Dei, qui in laudibus, & Sacramentis tractandis, & ſacrificio conſiſtit. Vnde officium Sacerdotis non eſt ſolum ſacrificare; ſed etiam Sacramenta adminiſtrare, & docere populum. Idem confirmatur ex Trident. ſeſſ. 14. vbi conceditur facultas Epiſcopis ſuſpendendi Clericos in ſacris repertos inhabiles ad Sacramenta adminiſtranda. Tum quia quilibet laicus tenetur ſcire neceſſaria ad ſalutē ergo clericus ad plura tenetur. Tum quia Sacerdotes ordinantur pro neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiarum; ſed nihil magis neceſſarium, quam extrema neceſſitas, & nihil vtilius, quam iuuare proprium ſacerdotem, ſæpe impeditum, ad danda Sacramēta neceſſaria, qualia ſunt Baptiſmus, & Pænitentia; ergo tenetur habere ſcientiam ad hoc. Tum quia quilibet tenetur ſcire neceſſaria ad rite exercendos actus ſui ordinis, qui ſine ſcientia fieri non poſſunt, & hoc eſt fundamentum in hac materia. Tandem quia abſurdum videtur, quod Sacerdos non teneatur plura ſcire quam Laicus, & Diaconus, ad quem pertinebat prædicare Euangelium in exordio Eccleſiæ, ergo ſaltem tenetur ſcire veram explicationem Chriſtianæ doctrinæ, ſiue Catechiſmi, vbi neceſſaria omnibus fidelibus communia continentur, quæ a Canoniſtis, vel Caſuiſtis, qui non ſunt Philoſophi, aut propter ætatem, infirmitatem, aut ingenij tarditatem, non ſunt ad reconditas Theologiæ diſputationes apti, capi poteſt. Laudabiliſque eſt conſuetudo ſtudiorum in quibus legitur pro huiuſmodi Sacerdotibus, Expoſitio Decalogi, & Sacramentorum. Nam latinæ linguæ cognitione, & præcipuis, capitibus, catechiſmi apti erūt ad inſtituēdū populū, & Sacramenta miniſtranda; Et ita tenet practica examinatorū vrbis. Sequitur in Catechiſmo (quem ego ſcientiam voco Sacerdotis) eſſe potius examinandos Presbiteros, quam in latinitate obſcura aliquorum Auctorum, quod aliqui Examinatores extra propoſitum moliuntur. Quia cognitio fidei, diuinæ legis Sacramentorum, & orationis eſt neceſſaria, iſta vero ſolum vtilis. Et propterea Canones, d. 23. in examinandis ad ſacros ordines, poſtulant bene eſſe inſtructos in diuina lege. Difficilia vero latinæ linguæ vocabula, & phraſes non tenentur ex tempore ſcire. Nomine enim latinæ linguæ communia, & ſolita orationis vocabula, & compoſitio intelliguntur; Cætera ſtudio acquiri poſſunt.

ſed ad preparādos fidelium animos et idoneos reddendos ad Euchariſtiam.

Azor prepēdet 2 p. libr. 6. c. 6.

Trident. ſeſſ. 14. ca. 3.

d. 23.

ITEM tali ſcientia præditos, alijſque a Sancta Synodo requiſitis, non ordinare, niſi curatos animarū, vi-

Arta. Aug.

videtur alterum extremum, a nonnullis factitatum, quos offendit tanta Clericorum multitudo. Sed profectò non conſiſtit bonum Eccleſiæ in paucitate Clericorum, neque mala orta ſunt ex multitudine, ſed ex ineptitudine; quia illiterati, quia inutiles, quia nullius exempli, quia non vocati, quia negotijs ſæcularibus implicati, quia ſæculariter, & ſcandaloſæ viuunt; quod ſi econtrario literati, & exemplares ſint, tales populus, & Eccleſiæ exoptant. Certe dux non expelleret a ſuo exercitu ſtrenuum militem maxime ſuis ſtipendijs militantem; ergo minus docti, & pij a ſacris ordinibus repellendi ſunt, præſertim illi quibus denegabantur ordines, & concedebatur facultas prædicandi. Vnde ſeſſ. 21. cap. 2. datur facultas Epiſcopis ordinandi abſque beneficio, (dummodo habeant vnde viuere poſſint) propter neceſſitatem, vel vtilitatem Eccleſiarum. Et quia etiam tempore Apoſtolorum multi erant Presbiteri in eadem Eccleſia, vt annotauit D. Hieron. ad Euagrium. Nam diſcedens Paulus Acto 20. a quadam Eccleſia vocauit maiores natu Eccleſiæ hoc eſt Presbiteros, quibus vltimum vale dixit, illis verbis, attendite vobis, & vniuerſo gregi in quo vos Spiritus Sanctus, poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei; certum eſt autem ibi non fuiſſe multos Præſules, ſiue Prælatos, igitur per Epiſcopos, Presbiteros intellexit. Quæ vetus conſuetudo conueniens eſt, ad iuuandos Parochos, ad conſolationem, eorumque confeſſiones audiendas. Vnde in Triden. ſeſſ. 21. ca. 4. de re forma. Datur facultas Epiſcopis conſtituendi plures Sacerdotes, vbi numeroſus eſt populus, & vnus non ſufficit ad cultum diuinum peragendum.

Seſſ. 21. c. 2.

Seſſ. 21. c. 4.

Praeparatio proxima ad ordines (maxime ad Presbiteratum propter Sacerdotij præſtantiam, & dignitatem) conſiſtit in purgatione animæ, lectione, ac ſtudio, ad examē ordinum. Purgatio animæ deceret, relictis alijs omnibus curis, eſſet exerceri in meditationibus viæ purgatiuæ, quas Granat. in libro de oratione tradidit, adiungendo ieiunia, & confeſſionem totius ante actæ vitæ; Nam in iuuentute ſæpe defectuoſe fiunt; quæ omnia corrigenda ſunt, & compenſanda, vt abſque conſcientiæ remorſu, tanquam nouus homo, peccata omnia, & vanitates mundi relinquens, toto corde ad perfectionem Chriſtianæ vitæ, & alios, docendos, ædificandoſque, ſe conuertat. Quæ fieri ſolent a ſtudioſis adoleſcentibus in vniuerſitatibus Salmantina, & Complutenſi. Et Praxis iuxta Pontificale, vt recipientes ſacros ordines confiteantur, & communicent. Poſtea occupandus eſt animus per quadrageſimam quadraginta dierum (exemplo Domini in Meditationibus vitæ, & mortis Chriſti,) quæ ad viam illuminatiuam pertinent, & a Granata dilucide in Memoriali Chriſtianæ vitæ per ordinē traduntur. Chriſtus Dominus antequam prædicationē Euangelij exordiretur, licet oratione non indigeret, nihilominus ad exemplum noſtrum, poſt baptiſmum deſertum petijt, oraturus. Vbi ieiunauit 40. diebus, conuerſionem mundi Patri cōmendans, & poſtea cæpit prædicare. Forma tibi datur, inquit, Ambr. quā debeas æmulari quando vis opus pietatis adoriri; fieri autem Dei miniſtrum magnum opus pietatis eſt, cui omnis præparatio minor eſt; opus eſt difficile puritatem vitæ poſtulās, fieri Dei templum exemplumque virtutum; Ideoque multiplici purgatione, atque diſpoſitione indiget quaſi nouitiatu, vt Zozimus Papa

(vbi ſupra) dixit. Quare rectiſſime a ſupradictis Patribus interſtitia tem porum fuerunt inſtituta, vt Clericus laudabiliter ſe exercendo in inferiori gradu, tanquam nouitiatu diſ-
Seſſ. 23. c. 11. c. 13 c. 14. ponatur ad ſuperiorem. Quod ſi gradatim aſcendatur modo a Sancta Synodo præſcripto; præter interualla minorum ordinum, trium annorum tempus quaſi nouitiatus ad Presbiteratum requiritur; in miniſterijs, oratione, Sacramentorum frequentia alijſque bonis operibus tranſigendum. Qui loquendi modus a ſacris Canonibus non abhorret, nam d. 28. ex Conc. Tolet. ſic legimus, Clerici educati in domo Eccleſiæ, quibus gratia Caſtitatis placet, interrogentur, & ſi promittant ſeruare, vigeſimo anno facta probatione profeſſionis ſuæ, Subdiaconi fiãt. Ratio horum eſt, quoniam imbecillis poſt peccatum, ad actiones bonas, & magis ad perfectiores, natura humana remanſit, ſine Dei adiutorio, hoc autem aſſiduis precibus alijſque bonis operibus eſt implorandum. Tandem, lectione, & ſtudio Catechiſmi, Homiliarumque Breuiarij expoſitione, aut Concilij Tridentini, & aliqua ſumma conſcientiæ, præparandus eſt, quia ordinandorum ſcientia, examine, diligenti exploranda eſt. Quod vt commodius, & facilius præſtari poſſit, hoc loco, tanquam vtiliſſimum Clericis, omnibus Catechiſmum in Epitomen contractum, reponendum iudicauimus. Nam propter ornatam ſcribendi rationem, non eſt, ita facile colligere præciſe neceſſaria, ſcienda, & retinenda.

EPITOME CATECHISMI
EX DECRETO CONCILII TRIDENTINI, ET PII V. P. M. IVSSV EDITI.

ANTE omnia præſupponenda ſunt Catechiſmi neceſſitas, deſcriptio, diuiſio, docendi modus, & finis.

Maxime neceſſarius eſt Catechiſmus. Quia cognitio finis humanæ vitæ, & viæ, ſiue mediorum neceſſaria eſt homini viatori ad ſalutem æternam conſequendam. Atqui homo lumine naturæ, aut ſuo labore nunquam potuit cognoſcere finem propter quem creatus eſt ad Dei imaginem, neque maximam partem mediorum quale eſt myſteriũ Chriſti abſconditum ſola fide cognoſcibile ex auditu. Igitur opus fuit doctrina, & Doctore ad hæc cognoſcenda. Ad hoc clemẽtiſſimus Deus miſit Prophetas, deinde filium ſuum vnigenitum, & tandem Apoſtolos, & Eccleſiæ Doctores, legitimoſque eorum ſucceſſores annuntiantes verbum vitæ, quibus credendum eſt, tanquam verbo Chriſti, quia ipſe illis aſſiſtit, eiſque dirigitur Catechiſmus, vt per illum doceant.

CATECHISMVS eſt doctrina Chriſti, ſiue doctrina hominis Chriſtiani, ſiue forma inſtruendi omnes fideles in fide, & officijs Chriſtianæ pietatis omnibus communibus; tanquam certum, & directum iter ad cœleſtem beatitudinem.

QVATVOR habet partes Symbolum fidei, Sacramenta, Decalo-

gum,

gum, & orationem Dominicam.

In hanc breuem formam redactus eſt ex diſpoſitione Concilij Tridentini, vt hac tanquam communi regula omnes fideles eadem prorſus ratione inſtituantur. In qua ideo non continentur omnia diuinitus tradita, neque omnia fidei dogmata ſubtiliter explicantur, ſed ea ſolum, quæ propria ſunt paſtorum, qui in difficilioribus diſputationibus non ſunt admodum verſati. Quam ſapientiſſime maiores noſtri in quatuor capita diſtribuerunt quaſi locos communes ſupradictæ ſcripturæ. Nam quæ ad Dei cognitionem, creationẽ, gubernationem, redemptionem præmia, & pęnas pertinent in ſymbolo; quæ ad leges attinent in decalogo; quæ ad inſtrumenta gratiæ in Sacramentis, quæ optari, ſperari, & peti debent in Dominica precatione continentur.

Finis ante oculos, proponendus eſt, vt fideles cupiant ex animo ſcire Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum, in quo vno capite omnis Chriſtiani ſcientia comprehẽditur; & credant non eſſe aliud nomen ſub cęlo, ſub quo oporteat nos ſaluos fieri, quia ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Secundo excitandi ſunt ad ſummam Dei bonitatem in nos, amandam, quia finis præcepti eſt charitas.

SYMBOLVM FIDEI.

EST Confeſſio fidei ab Apoſtolis duodecim Articulis diſtincta, quę incipit Credo in Deum Patrem omnipotentem. Quam compoſuerunt, vt idem ipſum omnes prędicarent per vniuerſum orbem. Vocatur ſymbolum hoc eſt aliquid cõmune factum ex ſententijs ſingulorum, vel ſignum quo diſcernũtur veri Chriſtiani a falſis. Diuiditur in tres partes, in priori prima perſona diuinæ Trinitatis, & opus creationis creditur. In altera ſecunda perſona, & opus redemptionis. In poſtrema tertia perſona Spiritus ſancti, quæ eſt fons ſanctitatis noſtræ.

CREDO IN DEVM PATREM omnipotentem. Creatorem Cęli, & Terræ.

IN hac parte quatuor verba continentur. Credo, Deus, Pater, & creatio.

Credere non eſt opinari, ſed firma, conſtanti, & certa perſuaſione abſque vlla dubitatione mente aſſentiri Deo miſteria reuelãti, quãuis non videantur, neque rationes intelligantur: quod iuſtum eſt, nam ſi viro graui, & ſapienti aliquid affirmanti fidem non adhibere impudentia eſt multo magis iniquũ eſt Deo, non credere niſi probet. Sequitur non eſſe curioſe ſcrutanda Dei iudicia, & cauſas, quia credere iubet non ſcrutari.

Devs eſt omnium entium perfectiſſimum, quo nihil maius, aut melius cogitari poteſt, vltimus hominis finis a quo beatitudo expectanda eſt. Vnde eſt ſummum bonum, & bonorum omnium auctor ſapientiſſimus, infinitus, immenſus, incorporeus, omnipotens, beneficentiſſimus, iuſtiſſimus. Et non ſunt plures dij, ſed vnus tãtum. Quia ſi plures eſſent vni deeſſet perfectio alterius, & per conſequens non eſſet Deus, nã Deus eſt cui nulla deeſt perfectio. Vnde dicitur vnus Deus, vna fides; ſequitur, vnam eſſe Dei ſubſtantiam, naturam, ſiue eſſentiam, vt definitum eſt in Concilio Nicęno, tamen ſunt tres perſonæ diſtinctæ eiuſdem Dei, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quæ pro-

proprietatibus perſonalibus diſtinguntur, vt Pater, verbi gratia, diſtinguitur ab alijs perſonis, quia eſt principium, ſine principio Deitatis, & ingenitus. Filius, quia genitus a Patre. Spiritus ſanctus, quia procedit ab vtroque. Item vna perſona non eſt prior altera, ſed ſimul atque fuit Pater habuit Filium, & fuit etiam Spiritus ſanctus. Hanc diuinam Trinitatem docuit Chriſtus illis verbis. prædicate baptizantes in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

PATER ſignificat primo Deum propter creationem, & prouidentiã. Nam Patrem vocamus, qui dat eſſe, & curat de neceſſarijs. Sed præcipue eſt Pater Chriſtianorũ propter adoptionem ſpiritualem. Secundo ſignificat primam perſonam Trinitatis. Omnipotens eſt, quia nihil poteſt cogitari, quod facere non poſſit. Non ſolum poteſt cuncta in nihilum redigere, ſed etiam plures mundos repente ex nihilo producere. Immo, & multo maiora facere, quam mens humana cogitare poſſit Non tamen poteſt mentiri, nec fallere, aut falli, neque peccare, aut deſinere eſſe, neque aliquid ignorare, quia iſta imperfectiones ſunt. Et quamuis omnipotentia ſit communis tribus perſonis, tamen tribuitur Patri, ſicut ſapientia Filio, & amor Spiritui ſãcto. Quę veritas valet ad fidem, ſpem, & timorem Dei excitandum, qui omnia poteſt.

CREARE eſt ex nihilo aliquid facere, non ex aliqua materia, ſicut Artifices, ſed abſque vlla materia. Et hoc modo Deus fabricauit mundum non coactus neceſſitate, ſed libere, vt ſuam bonitatem impartiretur. Item fecit mundum intuens exemplaria non quidem extra ſe, ſed in ſe ipſo. Cælos ornauit ſplendore, & motu, & innumerabiles Angelos miniſtros ſuos ex nihilo condidit, & gratia ornauit. Ex quibus plurimi peccato ſuperbiæ peccauerunt propter quod è Cælo eiecti ſunt. Terram item in medio mundi plantis, & animalibus ornauit. Demum hominem ad imaginem Dei fecit tribuẽs liberum arbitrium, & donum iuſtitiæ originalis, qua omnes motus imperio rationis obediebant. Abſoluto creationis opere omnia conſeruat, & prouidẽtia gubernat. Immo cum cauſis ſecundis agit eaſque impellit.

ET IN IESVM CHRISTVM Filium eius vnicum Dominum noſtrum.

TRIA complectitur hic articulus. Ieſum, Chriſtum, & Filium.

IESVS eſt nomen Dei, & hominis, ſignificat Saluatorem.

CHRISTVS ſignificat vnctum, quia tanquam Sacerdos, & Rex noſter vnctus fuit oleo diuinæ gratiæ, ſicut olim Sacerdotes, & reges antiqui exterius vngebantur. Et hæc fides eſt noſtrę ſalutis fundamentum. Nam cum primus homo peccatum inobedientiæ commiſiſſet, ſanctitatem, & iuſtitiam, in qua fuit conditus ſibi, & ſucceſſoribus amiſſit, ad quam nullis hominum, aut Angelorum viribus poteſt reſtitui. Ideoque filius Dei Incarnatus eſt, vt nos Deo reconciliaret, & mala, ex peccato orta tolleret. Quæ fides ſemper fuit ad ſalutem neceſſaria etiam ante Chriſti Aduentum. Nam eius promiſſio patribus antiquis facta eſt, vt Adamo, Abrahamo, & Prophetis, qui eius vitam, mortem, & bona ſecuta prædixerunt. Rex eſt, quia leges dedit, & vires ad eas cuſtodiendas, & nos ab hoſtibus defendit. Sacerdos eſt, quia obtulit ſacrificium pro nobis

bis Deó gratum in Cruce.

FILIVS eſt a Patre æterno genitus ei çqualis, & conſubſtantialis, & Deus de Deo. Nam trium perſonarum, vna eſt eſſentia, voluntas, & potentia. Cuius generationis ſimilitudo in nobis reperitur. Nam ſicut anima noſtra ſeipſam intelligens ſui effingit imaginem, quam Verbum Theologi appellant, ita Deus ſe intelligens generat verbum æternum ſibi ſimile. Vnde Ieſus Chriſtus verus Deus, & verus homo eſt, Deus quatenus genitus a Patre ante ſæcula, Homo quatenus natus in tempore ex Virgine. Eſtque vnicus Filius quantum ad diuinam generationẽ, quia non habet fratres. At quatenus homo fratres habet, & cohæredes eos, qui fide, & operibus Chriſtiani ſunt. Dominus noſter eſt nó ſolum, vt Deus; ſed etiam vt homo, quia nos redemit, & empti ſumus prætio ſui ſanguinis; Ideo data eſt ei poteſtas omnium; ſed maxime Chriſtianorum eſt Dominus, & ita tanquam ſerui ei inſeruire debemus.

QVI CONCEPTVS EST DE Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

TRIA continentur in hoc articulo. Conceptio Chriſti, Natiuitas, Matriſque ſanctiſſimæ Virginitas.

CONCEPTVS eſt Chriſtus cum humanam carnem ſuſcepit in vtero Virginis, non ex virili ſemine, ſicut cæteri homines; ſed ſupra omnem naturæ ordinem virtute Spiritus ſancti. Ita quod eadem perſona, quæ erat ab æterno verbum Dei, ita humanam naturam aſſumpſit, & ſibi vniuit, vt eadem perſona ſit Dei, & hominis, quod antea non erat. Et conſequenter actiones, & proprietates vtriuſque naturæ conſeruat. Tamen licet ſolus Filius ſit Incarnatus, opus Incarnationis eſt totius Trinitatis, ſicut creatio mundi. Quia quæ Deus ab extra operatur, communia ſunt diuinis perſonis. Nihilominus peculiari quadam ratione tribuitur Spiritui ſancto, quia ſingularem Dei benignitatem declarat. In quo myſterio quædam naturalia fuerunt, vt quod ex matris puriſſimo, & Virgineó ſanguine corpus formatum eſt. Nam commune eſt omnibus hominibus ex matris ſanguine formari. Quædam ſupra naturam, vt quod eodem momento, quo Beata Virgo dixit; Ecce ancilla Domini, ſtatim corpus formatum eſt, & anima rationalis ei infuſa, perfectuſq; Deus, & homo, & Virgo ſanctiſſima vere, & proprie mater Dei, & hominis fuit. Cum tamen ſeruato naturæ ordine in alijs hominibus corpus non poſſit, niſi intra certum tempus anima informari. Eodem etiam momento anima Chriſti, Spiritus ſancti gratia, & omnibus donis ſine menſura repleta eſt. Non tamen filius Dei adoptiuus, appellandus eſt, licet habeat Spiritum adoptionis filiorũ, quia eſt filius naturalis.

NATVS eſt Chriſtus, & in lucẽ editus, ſed ſine diminutione virginitatis maternæ, quam perpetuo cõſeruauit. Nam ſicut Conceptio, ita etiã ortus mirabilis fuit. Cui ſimile eſt, quod radij ſolis vitri ſubſtantiam penetrant, & non frangunt. Quæ myſteria multis figuris in ſcripturis ſignificantur. Et gratiarum actionẽ, & humilitatem ab hominibus exigunt; ſuntque accommodata ad ſuperbiam reprimendam, cum noſtri cauſa Deus iſta fecerit ad cuius nutum columnę Cœli contremiſcunt. Quare oportet nos libenti animo omnia humilitatis officia amplecti, vt illi obſequamur.

PAS-

PASSVS SVB PONTIO Pilato, crucifixus, mortuus, & ſepultus.

TRIA comprehendit hic articulus (qui fundamentum eſt Chriſtianæ Religionis) Paſſionem, Crucifixionem, Mortē, & Sepulturam.

PASSIO Chriſti fuit amariſſima, quia in omnibus corporis partibus paſſus eſt, & ab omnibus gentibus, & genus mortis ignominioſiſſimum, & locus ignominiæ, & quia corpus erat perfectum exactam habens ſentiendi vim; & quia dolor intimus fuit ſummus, & ſine ſolatio. Vnde pars inferior animæ Chriſti grauiſſimum ſenſit dolorem, quia quod paſſibile erat, paſſibile remanſit, quod autem impaſſibile, immortale manſit, & impaſſibile. Et quamuis turpius, & indignius genus mortis eſſet, elegit tamen illud, quia ad redemptionem noſtram conuenientius.

MORTVVS eſt vere, quia anima Chriſti ſeparata eſt ab eius corpore, mors autem ſeparatio eſt animæ à corpore. At diuinitas neque ab anima, neq; à corpore ſeparata eſt; Decens fuit filium Dei mori, vt deſtrueretur Diabolus, qui mortis habebat imperium, fuitque in eo ſingulare, quod mortuus eſt nō coacte, ſed ſpōtanee, quia voluit, & quando voluit, & in loco vbi voluit, cum poſſet eam effugere. Cauſa mortis Chriſti non ſolum fuit Adæ peccatum, ſed omnia etiam actualia ab exordio mundi, vſq; ad finem perpetrata, pro quibus ſatisfecit, & deleuit. Fructus paſſionis Chriſti fuit liberatio a peccato, & reconciliatio hominum cum Deo, & apertio ianuæ regni celeſtis. Nam illuc ingrediuntur ſtatim morientes, qui participant bona illius per Sacramenta, ſi ſint expiati. Fuit enim perfecta ſatisfactio pro peccatis, & precium æquale, immo maius debito.

SEPVLTVM fuiſſe corpus Chriſti credendum eſt, atque etiam Deū eſſe mortuum, & ſepultum, ſicut, & Deum ex Virgine natum. Quia iſta attributa conueniunt eadem perſonæ, quæ ſimul eſt Deus, & homo. Verum eſt quod conueniunt Chriſto, quatenus homo, nō quatenus Deus, quia pati hominis eſt. Tum quia perſona diuina ſemper fuit coniuncta cum corpore, ergo eſſe ſepultum verificatur de perſona. Item credendum Chriſti corpus nulla ex parte fuiſſe corruptum. Quæ mors lugenda eſt a Chriſtiano quandoquidem mundus illam ſenſit, & creaturæ ſenſu carentes, vt terra tremuit, & Sol obſcuratus eſt.

DESCENDIT AD INFEROS, tertia die reſurrexit a mortuis.

DVO continet hic articulus: Deſcenſionem, & Reſurrectionem.

DESCENDIT anima Chriſti nō ad Infernum damnatorum, neq; ad Purgatorium, ſed ad Lymbum ſanctorum Patrum (ad quæ duo receptacula animæ piorum deferebantur ante Chriſti mortem, quia non erant portæ Cœli apertæ) illucque deſcendit re, & præſentia, & non tātum virtute, tanquam victor ad liberandos Sanctos in carcere cuſtodiaque detentos, propter commune peccatum, illiſque impertiendum paſſionis ſuæ fructum, & ad Cœlum perducendos. Vnde ingenti lætitia gauiſi

gauiſi ſunt, illiſque viſionem beatificam contulit. Et ibi fuit quamdiu corpus iacuit in ſepulchro; In quo credendum eſt eandem perſonam fuiſſe, quia diuinitas non eſt ſeparata ab anima, neque a corpore. Vbi admiranda eſt Dei benignitas, qui voluit infima penetrare, vt chariſſimas animas inde eriperet.

RESVRGERE eſt vniri animā corpori tanquam formam, atqui anima Chriſti corpori in ſepulchro iacenti, iterum coniuncta eſt tertia die (hoc eſt Dominica ſequenti poſt ſextam feriā, in qua hora nona emiſit ſpiritum, & veſpere eiuſdem diei ſepultum eſt) ergo reſurrexit tertia die ſequitur non fuiſſe in ſepulchro per tres dies integros, ſed per integrū diem Sabbati, & partem ſextæ ferię, & partem Dominicæ. Item propria virtute reſurrexit, quia virtus erat in anima, & in corpore qua poterant iterum vniri. Neceſſaria fuit Chriſti reſurrectio ad oſtenſionem iuſtitiæ Dei, qua debuit mortē propter Dei honorem, & obedientiam aſſumptā premiare. Secundo ad confirmationem fidei. Tertio ad ſpem in nobis excitandā quod reſurgemus ſicut ille. Quarto, vt eſſet opus redemptionis perfectum, nam eo reſtituta ſunt bona per peccatum amiſſa. Vltimo, vt Chriſti reſurrectio eſſet cauſa efficiens Inſtrumentalis, & exemplaris animæ reſurrectionis.

ASCENDIT AD COELOS, ſedet ad dexteram Dei Patris Omnipotentis.

DVO continet iſte articulus, Aſcenſionem, & Seſſionem.

ASCENDIT vt homo quā tum ad corpus, non quatenus Deus, nam hoc modo ſemper in Cęlo fuit. Et aſcendit propria virtute, non vt Helias curru vectus. Et non ſolū virtute Dei, ſed virtute animæ beatæ, qua potuit mouere corpus glorioſū, quod obedit imperio animæ. Cauſa Aſcenſionis fuit, quia hæc habitatio obſcura terrenæ regionis conueniēs non erat corpori glorioſo. Secunda, vt obtineret nobis intercedendo apud Patrem pertinentia ad ſalutem. Tertia, vt mente, & deſiderio illum ſequamur cognoſcentes nos hic eſſe peregrinos. Quarta, vt ſperemus nos membra eius aſcenſuros illuc vbi eſt caput noſtrum.

SEDERE ſignificat ſummam regiamque poteſtatem, & ſtabilem poſſeſſionem. Dextera Dei ſignificat potiora bona apud Deum, hoc eſt in maiori gloria, vel in meliori ſede, quam omnes alij beati, ſicut apud homines eſt ſeſſio ad dexteram alicuius. Quod ita eſſe intelligendum patet, quia cum Spiritus ſit Deus, in eo non eſt proprie pars dextera, ergo eſt tropica locutio.

INDE VENTVRVS EST iudicare viuos, & mortuos.

HOc articulo vnū credimus, ſcilicet Chriſtum eſſe hominum iudicem, & non tantū Redemptorem, & Aduocatum.

DVO Aduentus Chriſti in ſcripturis docentur. Primus ad patiendum, ſecundus ad iudicandum. Iudicium duplex eſt; alterum particulare in morte cuiuſque quo fertur ſententia de omnibus cogitationibus verbis, & operibus. Alterum vniuerſale in quo aderunt cuncti mortales præſentes, præteriti, & futuri. Prima cauſa iudicij vniuerſalis eſt Dei iuſtitia, vt laus, & fama bonorum ſine ratione ablata reſtituatur, coram toto mundo. Secunda, vt corpus hu-

manarum actionum inſtrumentum particeps peccati,partem recipiat pœnarum, vel gloriæ. Tertia vt Deo reſtituatur exiſtimatio de prouidentia humanarum rerum, quam infamarunt homines, quaſi curam non habeat propter aduerſa, & proſpera promiſcue bonis maliſque contingentia. Iudex eſt nō ſolum quatenus Deus, ſed vt homo. Nam licet toti Trinitati ſit commune iudicare, præcipuè tribuitur filio, ſicut, & ſapientia. Et decens eſt,vt Iudex corporeis oculis videri poſſit. Item æquum eſt, vt ille homo,qui iniquiſſimis ſententijs condemnatus fuit, poſtea Iudex ſedens iudicare conſpiciatur. Signa præcedentia diem iudicij ſunt prædicatio Euangelij, per vniuerſum orbem, diſceſſio, & Antichriſtus,vt docet, ſecunda ad Theſſalonicen. Forma Iudicij deſcribitur Mathæi. 25. Colligentur omnes,homines in conſpectu Chriſti ſedentis, mali ad ſiniſtram, boni ad dexterā; bonis benedicet feliciſſimis illis verbis; Venite benedicti Patris mei; Malis vero maledicet illis tremendis. Ite maledicti,ſine ſpe vlla videndi Deum,quæ pœna damni vocatur, pœna ſenſus ſignificatur illis, in ignum æternum.

CREDO IN SPIRITVM Sanctum.

NOMEN Spiritus Sancti, quatenus eſt vna dictio, in hoc articulo,& in Sacris ſcripturis, tertiam perſonam Trinitatis ſignificat. Dicitur autem Spiritus ſanctus, quia ſpiritualem vitam in nos infundit. Credendum eſt Spiritumſanctū, omnipotentem perfectiſſimum, & eundem Deum eſſe cum Patre, & Filio, ſed diſtinctum in perſona: Et per voluntatem productum a Patre, & Filio, vt Conc. Conſtantinopolit. docuit illis verbis,qui ex Patre filioque procedit. Ita tamen quod a duabus perſonis procedit, tanquam ab vno principio.

EFFECTVS Spiritus ſancti, dona Spiritus ſancti, vocantur, quæ licet ſint a tribus perſonis, tribuuntur Spiritui ſancto, quia ex immenſo amore proficiſcuntur,& ſunt maxime proprij, vt Spiritus ſapientiæ, ſcientiæ, intellectus, conſilij, fortitudinis,pietatis, & timoris Domini. Alij effectus sūt viuificatio, propter quod ſymbolum vocat Spiritum ſanctum, viuificantem,quæ eſt coniunctio animæ cum Deo, qua magis viuit anima, quā corpus per animam. Sed præcipuus effectus eſt gratia diuina, quæ nos Deo coniungit, & eſt pignus hæreditatis noſtræ.

SANCTAM ECCLESIAM Catholicam, Sanctorum Communionem.

HIC articulus docet duo Eccleſiam, & Communionem fidelium.

ECCLESIA ſecundum Auguſtinum eſt congregatio fidelium vniuerſi orbis,cuius finis eſt æternarum rerum cognitio,& poſſeſſio. Cuius duæ ſunt partes triumphans, & militans. Triumphans ſunt Angeli, & homines, qui de dæmone triumpharunt,& iam tuti ſunt. Militans ſunt fideles in terris viuentes bellum gerentes cum dæmone, mundo, & carne; in qua ſunt boni, & mali habentes eandem fidem,& ſacramenta, ſed vita, & moribus diſſimiles. Extra Eccleſiam ſunt Infideles; Item Hæretici, & Schiſmatici, ſed iſti ſub poteſtate Eccleſiæ ſunt, cum ab ipſa puniantur. Rurſus extra Eccle-

ſiam

ſiam nemo ſaluatur. Proprietates Eccleſiæ ſunt eſſe vnam, Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam. Vna, quia vnus Deus, vna Fides, vnum Baptiſma, vnus Rector inuiſibilis Chriſtus, & vnus viſibilis Petri ſucceſſor Papa, & vnus Spiritus gubernans, ſicut multa membra, vnum corpus efficiunt, quia vna anima animantur. Item vna eſt Spes beatitudinis. Sancta hoc eſt Deo dicata. Et quia vnita capiti ſuo ſancto Chriſto. Et quia habet ſacrificium, & vſum Sacramentorum, quæ Sanctitatem efficiunt. Catholica hoc eſt vniuerſalis, quia diffunditur a ſolis ortu, vſque ad occaſum, & ex viris, feminis, ſeruis, liberis, ex omnibus gentibus populis, & linguis conſtat. Immo omnes veram fidem profitentes ab Adam, & quandiu mundus extabit ad eandem Eccleſiam pertinent. Apoſtolica, quia doctrina Eccleſiæ non eſt recens, ſed ab Apoſtolis prædicata, quorum ſpiritus ſemper in Eccleſia manſit. Et hæc eſt certiſſima Regula qua vera Eccleſia, & dogmata a falſis, & hæreticis diſcernuntur, nempe, quia aduerſantur doctrinæ Eccleſiæ ab Apoſtolis deriuatæ. Sequitur Eccleſiam non poſſe errare in fide, & moribus tradendis, quia a Spiritu ſancto gubernatur. Item quamuis conuentus Eccleſiæ videatur ab infidelibus, non tamen ortus eius, fundatio, dignitas, aut poteſtas, humana ratione cognoſci poſſunt, ſed ſola fide, ideo eſt fidei articulus.

Commvnio Sanctorum duplex eſt, alia Sacramentorum, alia ſpiritualis bonorum operum, quibus omnia membra Eccleſiæ participãt, ſicut in corpore naturali, ita connexa ſunt membra, vt ſi vnum dolet cætera doleant. Et iſta priuantur mali, iuuantur tamen ad gratiam recuperandam. Item, & gratiæ gratis datæ, vt ſcientia Prophetia donum linguarum, & miraculorum, etiam ad bonum commune Eccleſiæ, & ædificationem conceduntur.

REMISSIONEM PECCATORVM.

HOc articulo credendum eſt, in Eccleſia eſſe poteſtatem remittendi peccata, quantumuis magna, ſi ea vtantur ſacerdotes iuxta leges a Chriſto præſcriptas, medijs tamen Sacramentis. Vnde quilibet quantumuis peccator ſi pœniteat certam Spem habere debet veniæ. Ad remiſſionem peccati requiritur infinita Dei poteſtas. Nam ſicut pecunia debita non poteſt remitti niſi a vero Domino, ita neque peccatum niſi a Deo. Item maius opus eſt iuſtificare impium, quam cælum, & terram ex nihilo creare. Hanc poteſtatem habuit Chriſtus propria auctoritate, quam in Eccleſia reliquit eius miniſtris. Decreuit tamen remittere per ſatisfactionem, & ſanguinem Chriſti.

CARNIS RESVRRECTIONEM.

CRedendvm eſt omnes homines reſurrecturos, ſicut, & morituros. Nam reſurrectio ſecundum Damaſc. eſt ad eundem ſtatum vnde homo cecidit reuocatio; Anima autem habet inclinatione, ad vnionem, vt pars hominis, vnde ſemper manere ſeparatam eſſet violentum; ergo conſentaneum eſt eius naturæ iterum coniungi. Tum quia ſupplicia, & præmia danda ſũt homini operanti cum anima, & corpore, atqui plurimi diſcedunt ex hac vita in pœnis, vel ſine premio: ergo neceſſe eſt iterum animas cum corporibus coniungi, vt debito præmio,

vel pœna efficiantur. Tandem, quia pars ſeparata a toto imperfecta eſt, at felicitas eſt perfecta; ergo ad eam requiritur coniunctio animæ cum corpore. Simile reſurrectioni eſt, quod granum ſeminatum moritur, & poſtea viuificatur, & plantæ in hyeme viriditatem amittunt, & in æſtate quaſi reſurgẽdo floreſcunt, & reuiuiſcunt. Vnde idem corpus cuiuſque licet corruptum, & in puluerem redactum, ad vitam reuocabitur; quamquam non omnium eadẽ conditio erit; omnia quidem reſurgent immortalia, ſed bonorum corpora quatuor dotibus prædita, ſcilicet, impaſſibilitate æquali, claritate inæquali, agilitate, & ſubtilitate, malorum vero varijs cruciatibus affici poterunt. Item reſurget, quidquid ad veritatem humanæ naturæ, & ornamentum pertinet, ſine vitio aliquo ſuperfluitatis, aut defectus, vt pinguedinis, ſenectutis, aut morbi, quod antea erat. Nam ſicut creatione omnia fecit perfecta, ita faciet in reſurrectione. Cuius articuli meditatio valet ad conſolationem in calamitatibus, & ad virtutis ſtudium.

VITAM ÆTERNAM.

HOc eſt vitam beatam, quę ſemper a nobis cogitanda eſt; ſed non in hac vita querẽda, quia impoſſibile eſt hic eam obtinere, niſi in ſpecie; Quæ ſemel adepta amitti non poteſt. Eſt autem beatitudo bonorum omnium poſſeſſio, & a malis liberatio. Et habet duo bonorum genera quædam eſſentialia, quædam acceſſoria. Eſſentialis beatitudo in Dei conſequutione conſiſtit, hoc eſt in Dei viſione, & fruitione. Ad viſionem Dei, neceſſarium eſt, eſſentiam diuinam cum intellectu creato coniungi, & lumine gloriæ eleuari modo quodam mirabili. Poteſt ſimilitudine intelligi, ſicut ferrum ignitum propriam ſubſtantiam non amittit, tamen ita participat calorẽ, & ſplendorem ignis, vt ignis eſſe videatur. Ita beatus Dei amore inflãmatus, & Deo vnitus participat conditiones Dei. Acceſſoria, quæ beatitudinem conſequuntur ſunt honor gloria, pax, & locus lucidiſſimus, & amæniſſimus.

DE SACRAMENTIS.

SACRAMENTVM apud latinos ſignificat rem ſacram, quæ aliquid occultum declarat. Sed in præſenti a ſanctis Doctoribus Sacramenta vocantur ea in quibus ſub tegumento rerum corporalium diuina virtus occulte ſalutem operatur. De quibus in genere ſeptem capita ſcienda ſunt. Quid ſit. Cur ſint inſtituta, Materia, Forma, numerus, effectus, & inſtitutor.

SACRAMENTVM eſt ſignum rei ſacræ. Vel inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum ad hominum iuſtificationem inſtitutum. Signum inquam non naturale, ſicut fumus ignis, ſed ad placitum Dei, inſtitutum, ad ſignificandum, vel etiam efficiendum. Sacra res eſt gratia Dei quæ nos Sãctos efficit, vt quando aqua Baptiſmi quis abluitur, ſignificatur animam interius ablui a peccatis, ſignificant præterea Sacramenta paſſionem Chriſti præteritam, & beatitudinem futuram, iuxta illud, ò ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur recolitur memoria paſſionis eius, & futuræ gloriæ &c.

INSTITVTA ſunt multis de cauſis. Prima vt per ſigna ſenſibilia homo iuxta ſuam conſuetudinem intelligat ſpiritualia. Secunda ad faciendos nos certos de diuina promiſſione

miſſione remiſſionis peccatorum, ſuſcipiendo Sacramenta. Tertia vt eſſent remedia ad ſalutem animarũ. Nam gratia quam Chriſtus nobis meruit in cruce deſcendit ad nos per Sacramenta. Quarto, vt populus Chriſtianus a reliquis gentibus diſtingueretur.

Signvm ſenſibile ſiue res Sacramenti eſt duplex materia, & forma, quæ ſunt de eſſentia Sacramenti materia vocatur, elementum, vel exterius illud, cui adduntur verba, quæ ſunt forma, quia clarius ſignificant, quod geritur. Nam verba maxime ſignificant, & ſine illis ſignificatio materiæ eſſet obſcura, vt in antiquis Sacramentis, quæ certa forma carebant.

Septem ſunt Eccleſiæ Sacramenta. Quia ſeptem ſunt ad vitam ſpiritualem neceſſaria, ſicut ad vitã naturalem. Indiget vita humana augmento, alimento, medicina, gubernatione, & propagatione. Ita ſimiliter vita ſpiritualis eget Baptiſmo, quo homo renaſcitur; Confirmatione qua roboratur Euchariſtia, qua alitur; Extrema vnctione, qua reliquiæ peccatorum tolluntur. Matrimonio quo humanum gens, & gratia propagetur, & conſeruetur, & ordine quo gubernetur. Ex quibus Euchariſtia eſt excellentius cæteris; ſed magis neceſſaria ſunt baptiſmus omnibus, Pænitentia habẽtibus mortale peccatum, & ordo toti Eccleſię.

Effectvs duo ſunt, alter eſt gratia. Quia licet ſenſibilia ſint; virtus Dei eſt in Sacramentis, quæ gratiam operantur quod ex ſe non poſſent, & hoc non habebant veteris legis Sacramenta, ſed ſolum gratiam ſignificabant, non autem efficiebant ſicut nouæ legis Sacramenta. Alter effectus eſt character, quem ſolum tria operantur, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo, & propterea iterari non poſſunt. Eſt autem character, velut inſigne quoddam militum Chriſti indelebiliter animę impreſſum, & poteſtas ſuſcipiendi, vel adminiſtrandi Sacramenta.

Institvtor Sacramentorum eſt Deus per Chriſtum. Quia nemo poteſt iuſtificare niſi Deus. Miniſtri ſunt homines. Vnde neceſſarius eſt Miniſter Sacramenti; debet tamen ſeruare materiam, & formam inſtitutam a Chriſto, & habere intentione faciendi quod Eccleſia facit in eo opere. Et ita requiruntur tria ad Sacramentum; Materia, Forma, & intentio Miniſtri. Verum cum ſupradicta ſanctæ, ac religioſæ tractanda ſint, impure adminiſtrare cum conſcientia mortalis peccati, mortale eſt.

DE BAPTISMI SACRAMENTO.

Novem ſcienda ſunt: Quid ſit, materia, forma, inſtitutio Miniſter: Neceſſitas illud ſuſcipiendi, & requiſita, effectus, & ritus.

Baptismvs nomen græcum eſt ſignificans ablutionem. Sed apud Eccleſiaſticos ſcriptores ſumitur pro ablutione coniuncta cum Sacramento definitur autem Baptiſmus, Sacramentum regenerationis per lauacrũ aquæ in verbo; hoc eſt quo renaſcũtur filij Dei, antea filij iræ nati.

Materia eſt aqua naturalis, vt fluminis, Maris, fontis putei. Et eſt conſentanea materia, quia ſicut aqua abluit ſordes ita baptiſmus abluit maculas peccatorum. Quæ ablutio tribus modis confici poteſt immerſione, aſperſione, & infuſione aquæ, vt modo fit, & quocumque horum modorum perficitur Sacramentum, & non refert, an ſit vna, an trina.

na. Retinendus tamen eſt modus baptizandi cuiuslibet Eccleſiæ. Præcipue tamen caput abluendum eſt, vbi ſenſus vigent, & ſimul eodem tẽpore verba pronuntianda ſunt.

FORMA eſt, Ego te Baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti. Quibus verbis exprimitur miniſter, & ſuſcipiens Baptiſmum, & tres perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis, quæ ſunt cauſa principalis Baptiſmi. Miniſter explicatur per verbum baptizo in quo continetur; & ita vox (ego) non eſt de neceſſitate Sacramenti. Tum quia Græci ſine illa baptizant iuxta Concil. Floren. dicendo baptizatur ſeruus Chriſti in nomine Patris, &c. Suſcipiens explicatúr per illam vocem (Te) Quod ſi Apoſtoli in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti baptizarunt, id fecerunt ex afflatu Spiritus Sancti, eſt tamen res dubia. Illa vox in nomine ſignificat, idem quod in virtute, & poteſtate Trinitatis.

INSTITVIT Chriſtus Baptiſmum, quando a Ioanne baptizatus eſt; ſed lex de Baptiſmo ſuſcipiendo, data eſt poſt reſurrectionem illis verbis, qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit, qui non, condemnabitur.

MINISTER ex proprio munere eſt Epiſcopus, & Sacerdos etiam præſente Epiſcopo, vt vſus Eccleſiæ demonſtrat; ſed non ſolemniter niſi de licentia Epiſcopi. Secundo loco, Diaconus de licentia eſt miniſter. In neceſſitate quilibet vir, ſiue fœmina ſine ſolemnibus ceræmonijs poteſt baptizare, etiam ſi ſit hæreticus, Iudæus, aut cuiuſcumque ſectę, ſi proponant facere, quod Eccleſia in ea adminiſtratione facit. Non tamen debet baptizare fœmina præſente viro, niſi eſſet ignorans, & illa eſſet obſtetrix inſtructa; Neque laici præſente Clerico, neque Clericus præſente Sacerdote. Patrini etiam ſunt adhibendi ex vſu Eccleſiæ tanquam pedagogi in fide, vt inſtruant in vita Chriſtiana, docendo Symbolum fidei, Decalogum, & orationem Dominicam. Vnde non debet eſſe infidelis, neque plures, quam vnus, & vna debent ſuſcipere baptizatum de baptiſmo, quia affinitatis impedimẽtum contrahunt.

NECESSARIVS eſt Baptiſmus ad ſalutem omnibus infantibus, & adultis. Nam niſi quis renatus fuerit aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in regnum Dei. Vnde peccant paruulis baptiſmum differentes plus quam neceſſe ſit; quia eis nõ eſt alia via ad ſalutem. Et credẽdum eſt noluiſſe Chriſtum hoc Sacramentum eis denegari. Quare eſt Apoſtolica traditio infantes baptizandos eſſe. Adultis vero primo eſt proponenda fides, & inuitandi ſunt, non tamẽ baptizandi ſtatim; Quia dilatio eſt vtilis, vt conſtet de voluntate, & inſtruantur in fide, & pręceptis Chriſtianæ vitæ. Et quia maior honor tribuitur Sacramento ſi ſolemniter celebretur in Paſchate, & Pentecoſte.

IN Adultis requiſita ad ſuſcipiẽdũ baptiſmũ ſunt, Primo fides, Secundo volũtas. Tertio pœnitentia. Quarto intentio recipiendi ꝙ a Sãcta Eccleſia adminiſtratur; ſequitur inuito nõ eſſe conferendum. In infantibus ſufficit Eccleſiæ voluntas; & eadem eſt amentium ratio, qui nũquam ratione vſi ſunt, furioſi vero habentes ad tempus rationis vſum, non ſunt baptizandi, niſi in periculo vitæ, ſi ante furorem voluntatem oſtenderunt. Idem dicendum de dormientibus, ſequitur etiam exiſtentes in peccato non eſſe baptizandos, niſi peccandi conſuetudinem relinquant, quia pœnitentia ante actæ vitę cum propoſito non peccandi requiritur. Nam eſt mors peccati.

EFFE-

Effectus Baptiſmi primus eſt remiſſio peccatorum, tam originalis quam actualium, quæ radicitus tolluntur, vt definiuit Concil. Trident. remanet tamen ad certamen, & coronam fomes peccati, qui non eſt vere peccatum, ſed appetitus ſua natura rationi repugnans. Pœnæ etiam peccatorum condonantur, & ideo opera ſatisfactoria baptizatis non ſunt imponenda; quia per Baptiſmũ commorimur Chriſto. At a pœnis ciuilibus alias debitis non liberantur, ſed principes facerent bene, remittẽdo in honorem Sacramenti. Secundus effectus eſt gratia, quæ eſt diuina qualitas veluti ſplendor maculas delens, & animam pulchram reddens. Item cum gratia omnes virtutes infunduntur. Tertius eſt character, ideo iterari non poteſt. At baptizare ſub conditione non eſt iterare, vt dicendo ſi non es baptizatus. Ego te baptizo, &c. Quod tunc licet quando re diligenter perquiſita adhuc eſt dubium, & incertum an rite baptiſmus ſuſceptus ſit. Peccatur tamen baptizando etiam cum conditione, ſi exploratum ſit domi baptizatum eſſe. Et eſt ſacrilegium incurriturq; irregularitas. Quia ſicut naturaliter ſemel tantum generamur, ſic etiam vnica eſt ſpiritualis generatio. Ideo Eccleſia vnũ baptiſma credit. Quartus effectus eſt apertio ianuæ regni cæleſtis, quod ſignificatum eſt apertione cęlorum in Saluatoris baptiſmate.

Ceremoniæ baptiſmi, quædam fiunt ante baptiſmum, vt Catechizatio baptizandi ad fores Eccleſiæ cui reſpondet ipſe, vel patrinus, deinde Exorciſatio ſacris precibus ad expellendum diabolum. Mox ponitur ſal in ore, & ſignatur crucis ſigno frons, oculi, pectus, humeri, aures. Nares vero, & aures ſaliua liniuntur. Tum perueniunt ad fontem, vbi interrogatur, an renunciet Sathanæ, & promittit dicendo abrenuntio. Interrogatur item, an credat ſingulos fidei articulos, & an velit baptizari; Nam Deus non vult niſi voluntarium militem in ſuorum numerum.

Quo reſpondente volo per ſe, vel per patrinum ſalutari aqua, in nomine Patris, &c. abluitur. Poſt baptiſmum vngitur chriſmate in vertice, & veſtitur veſte candida, cereuſque ardens in manu traditur, & nomen ei imponitur alicuius ſancti, vt eum imitetur.

DE SACRAMENTO *Confirmationis.*

Octo ſcienda ſunt. Quid ſit, Materia, Forma, Miniſter, Suſcipiens, Effectus, Ritus, & Inſtitutio.

Confirmatio eſt Sacramẽtum, quo baptizatus, Chriſmate vngitur ab Epiſcopo ad augendam virtutem. Sacramentum eſſe probatur, quia quando hæc ceremonia fit ab Epiſcopo ſignificatur nouam virtutem, & robur effici, quo perfectus miles Chriſti eſſe incipit; ergo eſt Sacramẽtum. Diſtinguitur a baptiſmo, ſicut in naturali vita generatio ab incremento, per baptiſmum enim homo in nouam vitam gignitur, per Confirmationem vero augeſcit, vireuadit, & armatur ad pugnam. Vnde quamuis non ſit ad ſalutem neceſſarium, prætermitti non debet, quia ſi voluntarie omittatur non poteſt perfectus eſſe Chriſtianus.

Materia eſt Chriſma, quod ex oleo, & balſamo mixtis componitur per Epiſcopi conſecrationem.

Forma eſt, ſigno te, ſigno crucis, & cõfirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſan-

ſancti. Nam illa eſt forma, quæ naturam Sacramenti explicat, ſed prædicta verba ſignificant, quæ ſunt præcipua in hoc Sacramento, ſcilicet poteſtatem diuinam, animi robur, & ſignum quo ſignatur, qui in certamen Chriſtianæ militiæ deſcendit; ergo conueniens eſt forma.

MINISTER eſt ſolus Epiſcopus, ſunt etiam adhibendi patrini quorum conſilio certare poſſint in ſpirituali certamine.

ADMINISTRANDVM eſt pueris ſeptimo anno, quo ad vſum rationis peruenire ſolent. In adultis requiritur dolor peccatorum, ſi quæ commiſerunt, vt effectum conſequantur, & ieiuni accedere debent.

EFFECTVS eſt noua gratia. Nā baptizati, tanquam infantes lactanei teneritudinem quandam habēt, & chriſmatis Sacramento aduerſus Mundi, Carnis, & Diaboli impetus robuſtiores fiunt, confirmanturque ad confitendum, & glorificandum nomen Domini Ieſu Chriſti, quod in Euangelio ſignificatur nomine indumenti, ſedete donec induamini ex alto. Imprimit etiam characterem.

RITVS eſt chriſmate vngi in fronte quo declaratur nulla verecundia, aut metu, quæ ſolent in fronte apparere deterrendos eſſe a libera Chriſtiani nominis confeſſione, quod videre eſt in Apoſtolis, q ante paſſionem fugerunt, & Petrus negauit, ſed in die Pentecoſtes Spiritu ſancto repleti nihil felicius exiſtimarunt, quam pro Chriſto pati. Præcipue adminiſtratur in Pentecoſte quo die Apoſtoli maxime confirmati ſunt. Et cæditur in maxilla confirmatus, paxque ei datur.

AVCTOR eſt Chriſtus Dominus, qui præcepit ritum chriſmatis, & verba quibus Eccleſia vtitur. Et in vltima Cœna chriſmatis conficiendi rationem Apoſtolis commendauit, vt Fabianus Papa tradit.

DE EVCHARISTIÆ Sacramento.

DVO ſunt tractatus, & quatenus eſt Sacramentum, & quatenus eſt ſacrificium. Vt Sacramentum octo ſcienda ſunt. Quid ſit quomodo ab alijs diſtinguatur, quæ ſit Materia, & Forma, & admirabilis illa conuerſio. Item fructus, præparatio, præceptum communicandi, & Miniſter.

EVCHARISTIA bonam gratiam, vel gratiarum actionem ſignificat, vocatur etiam communio Sacramentum pacis, & charitatis, & viaticum a Chriſto Domino in vltima Cœna inſtitutum; Eſt præcipuū omnium Sacramentorum, quia fontem ſanctitatis continet. Eſt quidem Sacramentum, quia in eo ſunt ſigna externa, quæ gratiam ſignificant, & efficiunt, & quamuis ſancti doctores aliquando ipſam conſecrationem, vel perceptionem, vel Chriſtum ibi contentum Sacramentum Euchariſtiæ appellent, ſed non proprie ratio Sacramenti competit, ſicut ſpeciebus panis, & vini. Vnde definiri poteſt Sacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus panis, & vini.

DIFFERT ab alijs Sacramentis, quoniam alia in vſu materiæ conſiſtunt, vt baptiſmus in lauacro, at vero ad Euchariſtiam ſatis eſt materiæ conſecratio. Ideoque in pixide aſſeruatum Sacramentum eſt. Item in alijs non fit materiæ mutatio, ſicut in Euchariſtia, & quamuis ſint duæ ſpecies panis, & vini, eſt vnum Sacramentum, quia vnum ſignificant, ſicut cibus, & potus ad vnum ordinantur nempe ad vires corporis reficiē-

dās

das; Ita duæ illæ ſpecies ſignificant perfectam refectionem mentis; ſignificatur etiam paſſio Chriſti præterita, gratia præſens, & gaudium gloriæ futurum.

MATERIA Euchariſtiæ eſt duplex panis, & vinum. Panis quidem ex tritico confectus; nam hoc abſolute intelligitur nomine panis. Sequitur ex hordeo, leguminibus, aut alijs terræ fructibus non poſſe confici Euchariſtiam. Item debet eſſe azimus hoc eſt ſine fermento, quia hoc præcipiunt Canones ex Apoſtolica traditione. Nam ita Chriſtus conſecrauit. Nihilominus in fermentato verum Sacramentũ conficitur (quia vere panis eſt) ſed non licet Latinis ſacerdotibus in eo conſecrare. Quãtitas panis non eſt determinata, ſicut non eſt certus numerus communicandorum. Vinum debet eſſe vitis cum modica aqua, permixtum ex traditione propter ſignificationem ſanguinis, & aquæ ex latere Chriſti fluentis, & quia ita fecit Chriſtus, eſtque de neceſſitate præcepti, & ita prætermittere eſſet mortale peccatum, non tamen eſt de neceſſitate Sacramenti, quia etiamſi deſit aqua, conficitur Sacramentum.

FORMA conſecrationis panis eſt iſta, HOC EST ENIM CORPVS MEVM. Et forma conſecrationis vini; HIC EST ENIM CALIX SANGVINIS MEI, NOVI, ET AETERNI TESTAMENTI, MISTERIVM FIDEI, QVI PRO VOBIS, ET PRO MVLTIS EFFVNDETVR IN REMISSIONEM PECCATORVM. Tamen illa dictio, enim, in vtraque forma non eſt neceſſaria ad Sacramentum, nihilominus proferri debet, ſicut etiam illæ dictiones, accipite, & comedite. Quod prædicta ſit forma probatur, forma Sacramenti eſt, quæ ſignificat, id quod in Sacramento efficitur, ſed verba ſupradicta declarant, id quod fit, ſcilicet panem conuerti in verum Chriſti corpus, & vini ſubſtantiam in ſanguinem Domini; eiuſque admirabiles fructus nempe aditum ad æternam hæreditatem, & iuſtitiam per fidem in ſanguine ipſius, homines accipere; ergo eſt forma Euchariſtiæ; Cuius ſenſus eſt, quod in hoc Calice continetur eſt ſanguis meus, non in figura, vt ſanguis veteris Teſtamenti, ſed vere, & realiter noui Teſtamenti, quo datur ius ad æternã hæreditatem ex vi promiſſionis firmatæ morte Chriſti æterni Teſtatoris; effuſus pro omnibus quantum ad virtutem, ſed quantum ad fructum pro ſolis electis.

CONVERSIO fit per conſecrationem. Vnde iudicium ſenſuum (ſcilicet nihil aliud ibi eſſe poſt conſecrationem, quam quod viſus, guſtus, & tactus ſentiunt) falſum eſt. Et immenſa Dei potentia eſt contemplanda, qua verbis conſecrationis fiunt tria admiranda, quæ fides Catholica ſine dubitatione credit. Primum in Euchariſtia contineri, idem corpus Chriſti, quod natum eſt ex Virgine, & ſedet ad dexteram Dei. Quæ veritas probatur ex verbis Chriſti, hoc eſt corpus meum, & caro mea vere eſt cibus, ergo de veritate carnis Chriſti nullus eſt relictus dubitandi locus. Item ex Apoſtolo, qui grauibus verbis docet eum qui manducat impure hoc Sacramẽtum iudicium ſibi manducare; quia non diſtinguit hunc cibum ab alijs, ergo non ſolum memoria, & ſignum paſſionis hic eſt (vt hæretici dicunt) ſed verus Chriſtus. Idem probatur duabus vijs: Primo ex conſenſu Patrum, qui ab initio Eccleſiæ, & poſt floruerunt vt Dioni. Hilarij, Ambroſij, Auguſtini, Chryſoſtomi, Hiero-

nymi, Irenæi, Iuſtini, Damaſceni, Cyrilli, & aliorum, qui omnes conſtanter hanc veritatem exiſtentiæ Chriſti in Euchariſtia tradiderunt. Secundo ex conſenſu fidelium, & condemnatione Berengarij contrarium aſſerentis, facta ab Eccleſia, quæ illum anathematizauit in Concil. Vercellen. & retractari iuſſit. Itẽ in Conc. Turonen. & duobus Romanis. Et in Concil. Lateranen. ſub Innocentio Tertio, iterum fuit damnatus. Sed apertius in Florent. & Triden. Pertinetque hæc veritas ad articulum omnipotentiæ Dei, in quo continetur non defuiſſe potentiam ad hoc opus. Vnde ſicut beati habẽt Chriſtum præſentem clare viſum, ita Eccleſia eundem habet præſentẽ; ſed occultatum. Nam humanitatẽ, quam aſſumpſit nunquam ſubtrahit a nobis. Sequitur etiã totum Chriſtũ in hoc Sacramento eſſe, nempe corpus, & quidquid ad veram rationẽ corporis pertinet, vt oſſa, carnem, neruos. Nam Chriſtus eſt Deus, & homo, ergo vtraque natura, & quæ inde ſequuntur, vt diuinitas, & tota humanitas, ex corpore anima, & ſanguine continetur, ſicut in cœlo eſt tota humanitas diuinitati coniũcta. Sed non ſunt eodem modo omnia hæc, ſed quædam ſunt, ex vi Sacramenti, ſiue conſecrationis, quæ per formam exprimuntur; ita quod ſi eſſent ſeparata ab alijs illa ſolum ibi eſſent. Et hac ratione ſunt corpus, & ſanguis Chriſti in hoc Sacramento. Quædam ſunt in hoc Sacramento, per concomitantiam, hoc eſt coniuncta cum ijs, quę forma exprimuntur, & hoc modo ſunt anima, & diuinitas. Et quamuis totus Chriſtus ſit ſub vtraque ſpecie, nihilominus optime inſtitutum eſt, vt duæ conſecrationes fierent, ad ſignificandam Chriſti mortem, qua ſeparatus eſt ſanguis a corpore. Tum etiam ad inſtituendum cibum, & potum ex quibus perfectum alimentum conſtat. Ex iſta ſequitur ſecunda veritas non remanere ſubſtantiam panis, nec vini in Euchariſtia. Nam ibi eſt Chriſtus, & ante conſecrationem non erat; ergo, vel eſt ibi per loci mutationem, aut per creationem, aut per alicuius rei conuerſionem. Non primum, quia non eſſet Chriſtus ad dexteram Patris, vt fides docet. Nam nihil mouetur localiter niſi deſerendo locum a quo mouetur. Neque per creationẽ, quia quod creatur, fit de nouo cum antea eſſet nihil; At Chriſtus eſt ante conſecrationem; ergo ibi eſt per conuerſionem panis, & ita panis nõ manet. Qua ratione ducti patres in Latera. Floren. & Triden. hanc veritatem confirmarunt. Probatur etiam ex verbis Chriſti, nam illo pronomine, hoc, demonſtratur omnis ſubſtãtia præſens, ſi autem ibi eſſet ſubſtantia panis non eſſet verum hoc eſt corpus meum. Modus huius admirabilis conuerſionis difficilis eſt ad explicandum. Tamen vere tota ſubſtãtia panis, & vini, in totã Chriſti ſubſtantiam diuina virtute conuertitur, ſine Chriſti mutatione. Nam Chriſtus non generatur, neque augeſcit, neque mutatur; ſed in ſua ſubſtantia totus permanet. Quæ proprie tranſubſtantiatio appellatur. Nam ſicut generatio naturalis, quia mutatur forma transformatio vocari poteſt, ita iſta qua tota ſubſtantia in totam alteram tranſit, ſapienter tranſubſtãtiatio appellatur. Item non eſt curioſe ſcrutandum, quo pacto fiat hæc mutatio, nam nulla in naturalibus eſt ei ſimilis. Quod ſi charitas cogat diſputare, quomodo ſit in minima particula; docendum eſt nihil eſſe Deo impoſſibile. Tum Chriſtum nõ eſſe in hoc Sacramento tanquam in loco, neque vt magnus, aut paruus, ſed vt ſubſtantia eſt. Atqui ſubſtantia

tia æqualiter reperitur in parua quãtitate, ſicut in magna, vt natura, & ſubſtantia aquæ eſt in vaſe, ſicut in flumine; ergo tota Chriſti ſubſtantia eſt in qualibet particula, ſicut antea erat ſubſtantia panis; Ex quibus ſequitur, Veritas tertia; Accidentia ibi eſſe ſine ſubiecto; Nam illa accidentia corpori, & ſanguini Chriſti inhęrere non poſſunt, ergo ſupra omnem naturæ ordinem ſuſtentantur. Vbi veneranda eſt Dei prouidẽtia, quod Sacroſancta miſteria, ſub ſpeciebus panis, & vini adminiſtranda inſtituit. Nam natura abhorret humana carne, aut ſanguine, ſub propria ſpecie veſci. Et ſic liberamur ab infidelium calumnia.

FRVCTVS huius Sacramenti ingentes ſunt, eſt enim fons omnium gratiarum, qui cognoſci poſſunt ex panis, & vini natura. Quia ſicut illa vitam, & iucunditatem afferunt, ita Euchariſtia, & perfectius hæc efficit. Nam hoc Sacramentum non mutatur in noſtram ſubſtantiam, immo nos quodammodo in eius naturam conuertimur. Vnde pure, & ſancte illud ſumentes manent in Chriſto, & Chriſtus in eis, fiuntque eius viua membra, iuxta illud Cirilli Dei verbum vniens ſeipſum propriæ carni fecit ipſam viuificatiuam, hoc eſt collatiuam gratiæ viuificæ. Quamuis enim neceſſe ſit in gratia communicare, aliter iudicium manducatur (alimentum enim carenti vita non prodeſt) nihilominus dicitur gratiã conferre: quia etiam prima gratia non datur niſi per deſiderium huius Sacramenti, quod eſt finis omnium Sacramentorum. Tum etiam, quia non ſolum conſeruat vitam, ſed etiã auget, & guſtui nouam ſuauitatem confert, ſicut naturalis cibus. Secundus effectus eſt venialium remiſſio. Tertio puros a peccatis, & tentationibus ſeruat, & quodam cæleſti medicamento præſeruat, & defendit ne infici poſſint. Quarto carnis libidinem refrenat charitatis igne, quę incendit quo concupiſcentiæ ardorem extinguit. Tandem in eo eſt ſumma vis ad æternam gloriam cõparandam. Nam magnam conſcientiæ pacem, & tranquilitatem efficit, qua recreari homines ambulant, vt Helias in fortitudine cibi vſque ad montem, Dei, vt cum tempus migrandi ex hac vita aduenerit, ad ęternam perducat. Quos fructus capiũt ſpiritualiter, & ſacramentaliter communicantes, & etiam communicantes ſpiritualiter tantum, viua fide, & deſiderio incenſi. At vero ſacramentaliter tantum ſumentes, vt peccatores fructum non capiunt.

AD præparationem oportet, omnem diligentiã adhibere, vt accedatur cum munditia a peccatis aliter nocet, ſicut cibus in ſtomachum vitioſis humoribus plenũ, miſſus, morbos cauſat. Quinto diſcernendus eſt panis iſte a communi; nam hic ſuſcipitur, quem Angeli adorant. Secundo præparari dilectione proximorum oportet. Tertio examinatione diligenti conſcientię, an habeat mortale peccatum, quod contritione, & confeſſione indigeat. Nam in Concilio Tridentino definitum eſt, nemini licere habenti conſcientiam mortalis Euchariſtiam percipere, quantumuis cõtritus ſibi eſſe videatur niſi prius Sacramentali confeſſione ſe purget, ſi copia ſit confeſſarij. Quarto cogitandum, quam indigni ſimus tanto beneficio. Quinto exquirendum eſt a nobis, an illud D. Petri dicere poſſimus, Tu ſcis Domine, quia amo te. Nam accedens ad conuiuium Domini ſine veſte nuptiali in ſempiternum carcerem cõiectus eſt. Tandem requiritur ieiunium, a media nocte præcedentis diei. In coniugatis potiu ai Sacra-

menti dignitas, vt per aliquot dies a concubitu abſtineant.

PRAECEPTVM eſt in Concilio Lateran. vt fideles in Paſchate communicent, aliter ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur. Sed intelligitur de habentibus vſum rationis, qui ſciant diſcernere hunc panem. Ad ſacerdotem, & patres pertinet curare quando ſit in pueris vſus rationis. Amentibus ſi piam voluntatē ante inſaniā oſtēderunt, & nō ſit periculū, in fine vitę miniſtrari poteſt. At quoties communicare conueniat, certa regula præſcribi non poteſt. Exhortandi tamen ſunt fideles ad curam quotidie ſumēdi, & alendi animam, quæ non minus cibo indiget quam corpus, ſicut fideles tempore Apoſtolorum quotidie communicabant. Deinde præceptum eſt, vt miniſtri Miſſæ aſſiſtentes communicarent. Poſtea ſolebat Sacerdos inuitare fideles, & parati accedebant; ſed cum pietas tepeſceret, præceptum fuit, vt ter in anno fideles communicarent. Tandem vt fiat in Paſchate præceptum eſt.

CIRCA Ritum decretum eſt in Tridentina Synodo, vt laici ſub altera tantum ſpecie communicent, & non ſub vtraque ſine licentia Eccleſiæ, niſi ſoli Sacerdotes, Quod factū eſt grauiſſimis de cauſis, tum propter periculum effuſionis ſanguinis. Et quia multi vini ſaporem, & odorem ferre non poſſunt. Et propter periculum corruptionis, ſi aſſeruaretur pro infirmis, & Chriſti aliam.

MINISTER eſt ſolus Sacerdos cui data eſt poteſtas conficiendi Euchariſtiam, & diſtribuendi. Quæ cōſuetudo eſt ab Apoſtolis accepta, & retinenda, vt Sacerdotes ſacra faciētes ſe communicent, & alij ab ipſis accipiant, ſicut Chriſtus conſecrauit, & ſuis manibus dedit Apoſtolis. Item nemo poteſt tāgere vaſa linea, & inſtrumenta Euchariſtiæ, niſi cōſecratus propter huius Sacramenti dignitatem. Improbi tamen Sacerdotes etiam conficiunt Sacramenta, ſi ſeruent quæ ad illorum rationem requiruntur, Nam illa Chriſti virtute, & poteſtate geruntur, non illorum merito.

VT eſt ſacrificium quatuor ſcienda ſunt. Primum Euchariſtiam non ſolum eſſe Sacramentum, ſed etiam ſacrificium Deo gratum, hoc eſt donum, quod in gratiarum actionem Deo offertur pro collatis beneficijs; Nam ſi veteris legis ſacrificia Deo erant accepta; de quibus dicitur odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis, multo magis hoc munus, de quo dicitur, hic eſt Filius meus dilectus. Secundum quod eſt inſtitutum a Chriſto in vltima Cœna duabus de cauſis, tum vt eſſet alimentum animæ, tum vt eſſet perpetuum ſacrificium, quo peccata expiarentur, & cœleſtis pater ſceleribus offenſus ab ira ad miſericordiam flecteretur: vt eſt in Pixide Sacramentum eſt, non autem ſacrificium niſi quatenus offertur. Eſt alia differentia quod vt Sacramentum eſt meritorium communicanti. At vero, vt ſacrificium non ſolum merentur; ſed eo ſatisfaciunt offerentes. Item eſt verum, & proprium ſacrificium, quod Deo offertur. Et oppoſitum eſt condemnatum in Conc. Triden. Et etiam dicere, quod offerri nihil aliud eſt, quam Chriſtum ad manducandum dari. Quod colligitur ex verbis Chriſti præcipientis, hoc facite in meam cōmemorationem. Nam tunc inſtituit Sacerdotes, & illis atque Succeſſoribus præcepit, vt immolarent corpus eius. Tertio quod non ſunt duo ſacrificia, neque duæ hoſtiæ cruenta, & incruenta; ſed vnū & idem eſt, quod in Miſſa peragitur, & in Cruce oblatum eſt, ſicut idem eſt Chriſtus, qui offertur, & idem offerens; Nam miniſter

niſter perſonam Chriſti gerit,ideoq; dicit, hoc eſt corpus meum, & non dicit,hoc eſt corpus Chriſti.Vltimo, non ſolum eſt ſacrificium gratiarum actionis, & laudis, neque ſolum eſt commemoratio ſacrificij in Cruce peracti,ſed vere propitiatorium,hoc eſt quo Deus placatur ſi fide accenſa, puro corde,& cum dolore peccatorum offeratur. Vnde non eſt dubitandum tales eſſe conſecuturos Pænitentiæ donum peccatorum remiſſionem,& gratiam;Nam copioſi fructus ſacrificij Crucis, ad nos deſcendunt per iſtud incruentum. Item nō ſolum prodeſt viuis,ſed etiam defunctis. Quare vtiliter offertur pro peccatis,pœnis, ſatisfactionibus,calamitatibus, anguſtijs ex Apoſtolica traditione.

DE POENITENTIAE Sacramento.

DVPLEX eſt diſputatio, & quatenus eſt virtus interior, & quatenus Sacramentum exterius, & hęc ſignificat in præſenti pœnitentia, de peccatis dolere propter Deum,& eius ſignum dare.

INTERNA pœnitentia eſt, qua ad Deum conuertimur, peccata ex animo deteſtantes,cum vero propoſito emendandi vitam,& cum ſpe veniæ a Dei miſericordia cōſequendæ. Ad quam fideles hortandi ſunt, quia ſine illa,externa parum prodeſt. Virtus eſt, quia præcepta dantur de actibus virtutum, at pœnitentia præcepta eſt Tum quia virtutis eſt dolere, quomodo oportet, & quando oportet. Tum quia finis pœnitentiæ eſt, culpas delere,Deo ſatisfacere (quod ad virtutem iuſtitiæ inter Deum, & homines pertinet) & redire in Dei gratiam.Ad hanc virtutem peruenitur quibuſdam gradibus. Primo miſericordia Dei nos pręuenit. Secundo per fidem credimus Deum eſſe, & remuneratorem eſſe inquirentiū ſe. Tertio ſequitur timor pœnæ peccatis debitæ quo reuocamur a pecca tis. Quarto ſpes veniæ,qua erecti vitam emendare proponimus. Poſtremo charitate cor accenditur ex qua filialis timor oritur, quo peccata deſerimus, ne maieſtatem Dei lædamus. Huic virtuti promiſſum eſt regnum cœlorum a Chriſto; pœnitentiam agite,& appropinquabit regnū Cœlorum.

DE externa Pœnitentia ſex ſcienda ſunt, Quid ſit,& quo modo ab alijs differat, materia, forma,fructus, & partes.

POENITENTIA eſt Sacramentum remiſſionis peccatorum, quæ poſt baptiſmum comittuntur. Sacramentum eſt,quia, quæ fiunt a pœnitente, & Sacerdote extrinſecus ſignificant peccatorem a peccatis receſſiſſe, & Deum miſericorditer remittere. Nam quæcumque remiſeritis remittuntur.

DIFFERT ab alijs, quod materia aliorum Sacramentorum eſt naturalis,vel arte confecta, At materia pœnitentiæ ſunt actus pœnitentis, contritio, confeſſio, & ſatisfactio, quę vocantur quaſi materia a Conc. Floren. non quod vera materia non ſint, ſed quia non ſunt materia extrinſeca,vt aqua baptiſmi. Peccata vero ſunt materia remota.

FORMA eſt,ego te abſoluo. Quia forma eſt, quæ ſignificat quod geritur, Sacramenta enim ſignificant quod efficiunt, at peccata ſunt tanquam vincula, quibus animæ alligantur, & pœnitentiæ Sacramento laxantur,ergo hæc eſt forma. Preces vero non ſunt neceſſariæ. Deo gratiæ agendæ ſunt, qui tantam dedit Sacerdoti ſub poteſtatem, non ſolum declarandi eſſe ſoluta, ſed vere ab-

abſoluendi tanquam miniſtri, licet Deus ſit principale efficiens.

Frvctvs pœnitentię ſunt ſuauiſſimi, ſcilicet in Dei amicitiam reſtitui, & pax, atque lætitia, item peccata delere, quod ita eſt eius proprium, quod ſine pœnitentia, remiſſionem peccatorum, neque impetrare poſſumus, neque ſperare licet, vt Chriſtus docuit, niſi pœnitentiam habueritis omnes peribitis, quod intelligitur de mortiferis. Venialia etiam, vt remittantur indigent aliquo genere pœnitentiæ. Sequitur nullum eſſe peccatum adeo graue, quod non poſſit pœnitentia deleri ſemel, & ſæpius. Nam Dominus inquit ſi impius egerit pęnitentiam non morietur, & iniquitatum non recordabor. Quod autem ſcripturæ videntur affirmare, & ſancti aliqua peccata remitti non poſſe, & quoſdam non eſſe conſecutos miſericordiam licet implorauerint; illud eſt, quia vere non pœnitebant. Vel quia difficilis eſt veniæ impetratio, ſicut inſanabilis morbus dicitur, quo ægrotus odio habet medicinam; ita, eſt quoddam peccati genus, quod non remittitur, quia remedium repellit.

Partes integrales ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio ex quibus tota pęnitentia componitur, ſicut corpus ex pluribus membris, quod ſi aliquod deſit imperfectum erit; ita quamuis ad pęnitentiæ naturam contritio, & confeſſio ſatis ſint, at ſi deſit ſatisfactio non erit perfecta.

Contritio eſt animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero. Vnde non ſufficit propoſitum nouæ vitæ, aut noua vita, ſed requiritur dolor, & odium, quale erat illorum pœnitentium, qui dicebant: recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ. Et exaudiuit Dominus vocem fletus mei. At dolor non eſt ille, qui ſenſu percipitur, ſed voluntatis odium, quod cauſat dolorem in inferiori parte animæ. Qui recte contritio nominatur propter ſimilitudinem a duris, quæ minutatim confringuntur; quo nomine nullus alius dolor rerum temporalium nominatur, niſi ſolus ille, qui ex amiſſa Dei gratia ſuſcipitur. Item debet eſſe maximus, quia eſt charitatis actus, charitas autem eſt amor perfectiſſimus, anteponens Deum omnibus alijs rebus, ita vt nolit peccatum etiam propter vitam conſeruandam; nam qui diligit patrem, aut matrem pluſquam me non eſt me dignus; ergo peccatum ſummo odio eſt deteſtandum. Rurſus, vt ſit perfectus debet eſſe vehementiſſimus, quamuis poteſt eſſe vera contritio, licet dolor ſenſus ſit maior alijs, vt in ſentientibus maiorem dolorem de morte filiorum, quam de peccatis; qui tamen veræ pęnitere poſſunt, ſicut etiam, ſi lacrymæ non ſequantur, quamuis optādæ ſunt, exemplo, Dauidis, peccatricis, & Petri. Conſilium eſt de ſingulis mortalibus ſingularem habere contritionem, conſiderando omnes circumſtantias; quamuis Deus noſtræ ſalutis cupidiſſimus, ipſo momento quo peccata deteſtamur, ſine mora veniam concedit, ſi animus ſit ſingula ad memoriam reuocare, & deteſtari. Iubetq; illam ſperare dicens; impietas impij non nocebit eis in quacunque die conuerſus fuerit. Tria, ergo ſunt ad contritionem neceſſaria. Odium peccatorum, voluntas confitendi, & ſatisfaciendi, & propoſitum emendandæ vitæ. Quæ ratio ſuadet; nam ſi quis velit amico offenſo reconciliari oportet, vt doleat de offenſa, & prouideat ne in futurum amicitiam lędat. Cum contritione etiam coniuncta eſt obedientia diuinarum, & humana-

manarum legum, qua pœnitens ſatisfacit ſi alterum læſit. Vtilitas contritionis cognoſcitur ex eo, quod neceſſario eſt Deo accepta; nam cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicit. Eſt conſilium ad contritionem ſe exercere. Modus eſt examinare frequenter conſcientiam inſpiciendo, an præcepta Dei, vel Eccleſiæ violauerit, quod ſi quid inuentum fuerit, ſtatim ſe accuſare, & veniam a Domino ſpatiumque confitendi, & ſatisfaciendi poſtulare; ſed maxime gratiam, ne iterum illa committat. Cõſiderandum eſt ſummo odio habendum eſſe peccatum, quia magna eſt eius feditas, & turpitudo. Tũ quia grauiſſima damna affert; nam Dei beneuolentiam tollit a quo maxima bona accepimus, & maiora ſperamus, & cruciatibus ſempiternis addicit.

Confeſſio eſt altera pœnitentiæ pars, cuius inſtitutio neceſſaria fuit, quia pauci perueniunt ad contritionem. Ideo clemẽtiſſimus Deus faciliorem viam ad ſalutem prouidit, quam Eccleſiæ tradidit cum clauibus. Vnde catholica doctrina eſt, peccata remitti, illis qui dolent, & iterum non peccare conſtituunt, ſi ea ſacerdoti legitime confiteantur, licet ille dolor per ſe non eſſet ſufficiens ad veniam impetrandam. Patet ex Concilio Florentino, dicente effectum pœnitentiæ eſſe abſolutionem a peccatis. Fuit autem a Chriſto inſtituta, poſt reſurrectionem illis verbis; Accipite Spiritum ſanctũ, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; nam tunc iudices conſtituit ſacerdotes, ſed verum iudicium fieri non poteſt, niſi cauſa cognita, vt docet Conc. Triden. & peccata cognoſci non poſſunt a ſacerdote, niſi per confeſſionem, ipſiuſmet pœnitentis, qui ea commiſſit; ergo ſunt confitenda ſacerdoti, vt remittuntur. Vtilitas confeſſionis ex eo dignoſcitur, quod vtile eſt amico fideli, & prudenti animum aperire, vt conſilio iuuari poſſit; ergo multo magis vtile erit dicere ſacerdoti, tãquam Chriſti Vicario. Præterea quatuor ſunt de confeſſione ſcienda, quid ſit, eius præceptum, conditiones, & Miniſter. Confeſſio eſt accuſatio peccatorum ſacramentalis ad veniam virtute clauium impetrãdam. Differt ab accuſatione forenſi, quod in iſta pœna conſtituta eſt, non autem peccati venia, neque liberatio a culpa, vt in Sacramentali. Præceptum confeſſionis obligat habentes mortale peccatum; ita quod ſine Sacramento confeſſionis non poſſunt ad ſpiritualem vitam reuocari. Ideo poteſtas adminiſtrãdi hoc Sacramentum, præclara ſimilitudine vocatur clauis regni Cælorum; nam ſicut ſine claui non poſſumus locum ingredi, ita in cælum nemo admittitur, niſi fores a ſacerdotibus aperiãtur, quibus claues commiſſæ ſunt. Non obligat ante vſum rationis, ſed quando puer diſcernere poteſt inter bonum, & malum. Probat ex Canone omnis vtriuſque ſexus. Tempus etiam iubetur, vt ſemel in anno quiſque confiteatur. Obligat etiam quoties imminet mortis periculum. Itẽ quando Sacramenta percipienda, vel adminiſtranda ſunt, quia cum peccato non licet. Et etiam quando eſt periculum oblitionis culpæ commiſſæ. Prima conditio bonæ confeſſionis eſt, vt ſit integra omnium mortaliũ. Venialia confiteri non eſt neceſſarium, quia gratiam non tollunt, & alijs modis remittuntur eſt tamen vtile. Vnde ſingula mortifera enumeranda ſunt praua deſideria, atque etiam circumſtantiæ peccatorũ mutantes ſpeciem, vel valde augẽtes. Ad quod diligentia, quæ ſolet in rebus grauiſſimis poni adhibenda eſt, memo-

morandis peccata. Sequitur prætermittere peccatum eſſe nouum peccatum, & confeſſio nihil valet, ideo repetenda eſt, confitendo peccatum omiſſum, & illud etiam quod ſcienter tacuit peccatum in confeſſione; ſi autem alia de cauſa, aliquid defuit cōfeſſioni, vt ſi eſſet oblitus, vel non ita accurate examinauit conſcientiam, ſi tamen habebat animum integre confitendi, non eſt opus confeſſionem repetere, ſatis erit quando in memoriam venerint. Niſi tanta eſſet negligentia in ſcrutanda conſcientia, & recordatione peccatorū, vt potius videretur noluiſſe recordari; nam tunc iteranda eſſet confeſſio. Secunda conditio, vt cōfeſſio ſit ſimplex, & aperta, & certa pro certis dicantur, dubia pro dubijs. Vnde laudandi ſunt, qui non multis verbis, ſed prudenter, & modeſte aperiunt peccati naturam. Tertia, quod ſit ſecreta, quod ad pœnitentem, & ſacerdotem pertinet. Vnde per nuntium, vel per literas cōfiteri non licet, quia ſecretum non eſt. Quarta, vt ſit frequens. Nihil enim ſalutarius, quam ſtatim atque quis mortifero peccato grauatur confiteri, propter multa pericula vitæ. Et turpe eſt, tam diligentes eſſe in lauandis corporis, aut veſtium ſordibus, & non in maculis animæ abluendis. Minister Sacramenti pœnitentiæ eſt ſacerdos habens poteſtatem abſoluendi ordinariam, aut delegatam. In quo neceſſaria ſunt poteſtas ordinis, poteſtas iuriſdictionis, ſcientia, prudentia, & ſecretum. Primum probatur ex illo quorum remiſſeritis peccata, &c. quod Apoſtolis dictum eſt eorumque ſucceſſoribus ſacerdotibus, & merito, vt qui habent poteſtatem verum Chriſti corpus conficiendi, habeant poteſtatem in corpus miſticum. Deficiente tamen proprio ſacerdote, & imminente mortis periculo ſemper licitum fuit cuilibet ſacerdoti a peccatis omnibus abſoluere, & etiam ab excommunicatione. Ne quis pereat, iuxta Conc. Triden. ſcientia, & prudētia requiritur, quia ſimul eſt iudex, & medicus. Et ſcientia quidem non vulgaris, ſed ſufficiēs ad peccata inueſtiganda, & quæ grauia ſint, quæ leuia in quolibet ordine hominum. Prudentia, qua poſſit aptiora remedia adhibere ad animā ſanandam, & armandam. Vnde tales confeſſarij eligendi ſunt. Requiritur etiam perpetuum ſilentium omnium peccatorum, quæ quiſque cōfeſſus fuerit, quod ſub grauiſſimis pœnis præceptum eſt in Conc. Lateran. Caueat (inquit) omnino ſacerdos ne verbo, vel ſigno, vel alio quouis modo prodat aliquatenus peccatorem. Satisfactio tertia pœnitentiæ pars, ſignificat id, quod homo Deo perſoluit pro peccatis commiſſis. Cuius ſunt multi gradus. Primus eſt perfectiſſima Chriſti ſatisfactio, quia in cruce pleniſſime pro peccatis hoīum ſatisfecit, & a debito liberauit ēt ſi Deus ſummo rigore vti velit. Et hac rōne nulla pura creatura potuit pro peccatis hoīum ſatisfacere. Altera eſt ſatisfactio canonica, hoc eſt pęna, quæ imponitur pœnitentibus, quando a peccatis ſoluuntur, cuius ſolutio ſatiſfactio vocatur, quæ eſt ſacramenti pars, ſponte autem ſuſcepta licet ſit ſatisfactio non eſt ſacramenti pars. Eſt autem neceſſaria quia duo peccatum conſequuntur culpa, & pęna, & quamuis pęna mortis æternæ ſimul cum culpa, & macula dimittatur; ſed non pœna temporalis definita peccatis ſemper deletur, neque peccatorum reliquiæ, vt videre eſt in Dauide, cuius peccatū etiam ſi dimiſſum eſſet multis calamitatibus punitus eſt. Ergo recte pęna imponitur a Sacerdote; quia non decet diuinam clementiam, abſque

ſatisfactione parcere, ijs qui liberati a dæmonis ſeruitute, templum Dei violant. Tum quia ijs pœnis cautiores fiunt fideles. Et quia ſigna ſunt doloris interni. Tum quia illis Eccleſiæ ſatisfit, quæ peccatis offenſa eſt, alijque docentur quomodo pie viuere debeant. Quare ſapientiſſime obſeruatum eſt, vt publice peccantes publicam agant pœnitentiam. Hiſque pœnitentijs cicatrices peccatorum relictæ ex vulnere infecto, curandæ ſunt. Duo tamen ad ſatisfactionem requiruntur. Primum, vt ſatisfaciens ſit Dei amicus, nam opera ſine fide, & charitate facta Deo non poſſunt eſſe grata. Secundum, vt opera ſatisfactoria ſua natura ſint moleſta, licet ex conſuetudine, vel charitate accenſa, parum ſentiantur. Quæ ad orationem, ieiunium, & eleemoſinam reducuntur, his enim omnibus ſatisfit. Deum oratione placamus, proximum eleemoſyna, nos ipſos ieiunio caſtigamus. Quæ imponenda sũt ſecundum iuſtitiam, prudentiam, & pietatem, & interdum conueniens eſt ſignificare pœnas a Canonibus pœnitentialibus ſtatutas. Tandem proprium eſt huius partis, vnum pro altero poſſe ſatisfacere, hoc eſt pœnam ſoluere, cum tamen vnus non poſſit pro altero conteri, aut confiteri. Quod illo articulo ſanctorum cõmunionem confitemur, ſcilicet opera ſatisfactionis, & virtutum communia eſſe. Quia fideles vnum corpus ſunt, & officia communia habent.

DE EXTREMAE VNCTIONIS Sacramento.

SEPTEM ſcienda ſunt, Quid ſit, Materia, Forma, Inſtitutio, Miniſter, diſpoſitio recipientis, vtilitates, ſiue effectus.

EXTREMA vnctio eſt Sacramẽtum vnctionis infirmorum, vel exeũtium ex hac vita. Vocatur extrema, quia ex omnibus, quas Saluator Eccleſiæ commendauit, iſta vltimo loco adminiſtranda eſt. Probatur eſſe Sacramentum, quia peccata non remittuntur, niſi per Sacramenta, at qui per vnctionem remittuntur teſte D. Iacobo, ſi quis infirmatur inducat presbiteros, orent, & vngatur, & ſi in peccatis ſit remittentur; ergo eſt Sacramentum. Et quamuis vnctiones plures ſint, vnum eſt Sacramentum perfectum, conſtans ex pluribus ſicut domus componitur ex multis, & vna eſt, ita illa omnia ſigna ſunt vnius effectus.

MATERIA eſt oleum ab Epiſcopo conſecratum. Et eſt aptiſſima materia; quia ſicut oleum dolores mitigat, hilaritatem affert, & defatigati corporis vires recreat, ita hoc Sacramentum animi triſtitiã, & dolorem minuit.

FORMA vero verba deprecatoria ad ſingulas vnctiones. Vt per iſtã ſanctam vnctionem, & ſuæ miſericordiæ pietatẽ, indulgeat tibi Deus, quidquid oculorum, aut tactus vitio deliquiſti, &c. Probatur ex traditione, & Eccleſiæ vſu. Et quamuis dicatur parcat, indulgeat, ſanet, idem eſt ſenſus. Neque mirum, quod ſit deprecatoria, quia præter gratiam tribuit ſanitatem, ſed quoniam hæc non ſemper reſtituitur ob id precatione efficitur, vt impetremus, quod Sacramentum non ſemper efficit. Et nullum eſt Sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur, quoniam eo potiſſimum tempore fideles pijs obſecrationibus iuuandi ſunt. Inſtitutum eſt a Chriſto, ſed promulgatũ a ſancto Iacobo. Cuius ſpecimen dederunt Apoſtoli miſſi a Chriſto, prædicantes, ægros vngentes oleo, & ſanantes.

MINISTER eſt proprius Sacerdos habens Iuriſdictionem, vel cui ille commiſerit. Adminiſtrandum eſt periculoſe ægrotantibus quando timetur diem vltimum inſtare, non autem ſanis, licet ſint in vitæ periculo. Peccant autem grauiſſime expectantes tempus, quo ſenſibus carent,& omni ſalutis ſpe. Nam adminiſtrandum eſt, quando eſt magis profuturum,ſed maior gratia tribuitur ſi integra mente,religioſa voluntate,& fide ſuſcipiatur,ergo, non eſt adminiſtrandum illo modo.Nec furioſis,vekamentibus,niſi mente integra petierint. Pueris non adminiſtratur,qui nulla peccata admittunt. Neque omnes corporis partes vngendæ ſunt, ſed ſolum inſtrumenta ſenſuū, vt manus propter tactum,os propter guſtum,& ſermonem, renes quia ſedes libidinis, pedes, quia mouendi principium, oculi propter viſionem, aures propter auditum, nares propter odoratum. Item in vna ægrotatione ſemel eſt adminiſtrandum, quod ſi conualuerit, quoties in vitæ periculum inciderit,toties poteſt adminiſtrari.

PRAEPARATIO eſt pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſuſceptio ſecundum Eccleſiæ conſuetudinem, ne conſcientia peccati mortalis effectū Sacramenti impediat.Perſuadendus eſt ægrotus, vt ſancte ſuſcipiat, ea fide,qua ſe offerebant Apoſtolis ſanandi,primo ſalutem expetendo animæ, deinde corporis ſi ad ſempiternam gloriam ſit profutura.

PRIMA vtilitas eſt gratiam tribuere, qua venialia remittuntur, nā ad mortalium remiſſionem Baptiſmus, & pœnitentia primario ſunt inſtituta. Secundo animam liberat ab infirmitate, quam ex peccatis contraxit peccatorumq; reliquijs.Tempus ad hoc opportuniſſimum eſt,periculoſus morbus. Nam naturale eſt mortem timere, quem auget peccatorum memoria, conſcientiæ accuſatio,& cura rationis reddendæ, & ſententiæ iuſtiſſimæ expectatio. Cui nullum remedium vtilius, quam læto animo Dominum expectare, & paratum eſſe ad reddendum depoſitum libenter,cum repetere voluerit, quod gaudium operatur hoc Sacramētum; Et,quod maius eſt, arma,& vires monſtrat ad reſiſtendum fortiter Sathanæ (qui quamuis ſemper perditionem noſtram machinetur, ſed nullo tempore vehementius,quā vltimo die, vt ſpem diuinæ miſericordiæ tollat.) Et illo gaudio,ac conſolatione morbi incommoda leuius feruntur. Poſtrema eſt ſanitas corporis, quæ ſi non ſequitur præcipue eſt propter infirmam fidem adminiſtrātium,vel ſuſcipientium, non autem propter Sacramenti defectum, licet his miraculis non indigeat modo Eccleſia, ſicut olim. Vtcunque tamen ſit de corpore, certo ſperandum eſt ſanitatem ſpiritualem eſſe conſequendam.

DE ORDINIS SACRAMENTO.

SEPTEM explicandā ſunt,Quid ſit, & quotuplex, materia, forma,requiſita in ordinandis, Miniſter,& effectus.

ORDO eſt Sacramentum, quo Spiritualis poteſtas confertur ordinato. Poteſtas Eccleſiaſtica,duplex eſt,ordinis, & Iuriſdictionis. Poteſtas ordinis eſt ad verum Chriſti corpus;Iuriſdictionis ad Chriſti corpus miſticum gubernandum, & dirigendum ad cœleſtem beatitudinem. Poteſtas ordinis, non ſolum eſt ad conſecrandum, ſed ad præparandos fidelium animos, & idoneos reddendos ad Euchariſtiam. Quæ poteſtas

præ-

præſtantior eſt Sacerdotio legis naturæ, & ſcriptæ, in quibus etiam erat ſacerdotium, longe tamen inferius erat poteſtate legis Euangelicę, quoniam hæc angelorũ virtutẽ ſuperat, Et a Chriſto, qui ſummam habuit poteſtatem gratiam tribuendi, & peccata remittendi, Eccleſiæ relicta eſt; quamuis alligata Sacramentis. Et ad hoc conſecrantur miniſtri ſolemniter, quę conſecratio, vel ordinatio, Ordinis Sacramentum vocatur, & recte; quia ſunt varij ſuperiorum, & inferiorum gradus, & miniſteria recte diſpoſita. Eſt proprie Sacramentum, quia ordinatio miniſtrorum ſignificat gratiam, & poteſtatem, quæ eis tribuitur ad bene munus exercendum.

Ordines Eccleſiæ ſeptem sũt Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Sacerdos; quatuor priores ſunt minores, tres vltimi ſunt maiores. Sed illos præcedit ante prima tonſura, quæ præparatio quædam eſt ad ordines, ſicut ſponſalia ad Matrimonium, & Exorciſmus ad Baptiſmum. His nomẽ imponitur Clericorum, hoc eſt, qui Dominum, ſortem, & hæreditatem habere incipiant; ſicut dixit Dominus cultui diuino mancipatis, in populo Hebreo; nõ habebitis agros, ego hæreditas tua. Quibus capilli tondẽtur ad coronæ ſimilitudinem, quam perpetuo conſeruare debent ex Apoſtolorum traditione, ad memoriam coronæ ſpineæ Chriſti ad ignominiam excogitatæ, qua Apoſtoli ad honorem vſi ſunt. Significat etiam regiam dignitatem iuxta illud regale ſacerdotium, & tandem perfectionis vitæ profeſſionem, & externarum rerum contemptum, & vacuitatem ab humanis curis, ideo capilli ſuperuacanei tondentur. Oſtiarij munus eſt templi claues, & ianuam cuſtodire, & arcere interdictos ab ingreſſu. Cui claues tradit Epiſcopus ex Altari acceptas dicens, ſic age quaſi redditurus rationẽ pro ijs rebus, quæ his clauibus recluduntur. Lectoris eſt, veteris, & noui Teſtamenti liberos diſtincte, & clara voce in Eccleſia recitare. Cui liber traditur dicendo. Accipe, & eſto verbi Dei relator, habiturus ſi fideliter, & vtiliter impleueris officium tuum, partem cum ijs, qui verbum Dei bene miniſtrarunt ab initio. Exorcistae datur poteſtas nomen Domini inuocandi ſuper obſeſſos a Dæmone. Cui Epiſcopus librum Exorciſmorum porrigit dicẽs; Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manus ſuper Energumenos, ſiue Baptizatos, ſiue Catechumenos. Acolithorum eſt ſequi Diaconum, & Subdiaconum, & inſeruire, lumina deferre, & ſeruare cum Miſſa celebratur, qui ideo Ceroferarij dicuntur; Epiſcopus eis lumina tradit dicens; Accipe ceroferarium cum cereo, & ſcias te ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari in nomine Domini. Deinde vrceolos vacuos, dicens, Accipe vrceolos ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti, in nomine Domini. Subdiaconi munus eſt, Diacono ad Altare inſeruire, lintea, & ſacra vaſa panem, & vinum ad ſacrificium neceſſaria parare; Sacerdoti aquam præbere in Miſſæ ſacrificio, & Epiſtolam in Miſſa legere. Qui ab Epiſcopo accipit calicem, & patenam, & ab Archidiacono vrceolos vino, & aqua plenos cũ lebete, & linteolo, dicente; videte cuiuſmodi miniſterium vobis traditur, ideo vos admoneo, vt ita vos exhibeatis, vt Deo placere poſſitis. Tandem induitur ſacris veſtibus, & traditur Epiſtolarum liber, dicendo; Accipe librum Epiſtolarum, & ha-

bet poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis. DIACONI eſt Epiſcopum perpetuo ſequi, & concionantem cuſtodire, & ei, & ſacerdoti ſacra facienti, vel Sacramenta adminiſtrāti præſto eſſe; Et in Miſſa Euangelium legere. Olim ſanguinem Domini miniſtrabat, vbi erat conſuetudo communicandi ſub vtraque ſpecie; & bona Eccleſiæ diſpenſabat. Eius eſt inueſtigare, qui piæ viuant in vrbe, qui non; ideo oculus Epiſcopi vocatur. Item & Catechumenorum nomina recitare; & Ordinandos ante Epiſcopum ſtatuere. In cuius ordinatione pluribus precibus vtitur Epiſcopus. Manus ei imponit. Tradit ei librum Euangeliorum, dicens; Accipe poteſtatem legendi Euāgelium in Eccleſia Dei, tam pro viuis, quam pro defunctis in nomine Domini. SACERDOTIVM eſt tertius ordo ſacer, & ſummus. Tales PRESBITERI, hoc eſt ſeniores vocantur propter ætatis maturitatē requiſitam, ſed magis propter morū grauitatem doctrinam, & prudentiam. Sacerdotes etiam appellantur, quia Deo conſecrati; & quia munus illorum eſt Deo ſacrificium facere, & Sacramenta adminiſtrare, vt ex ritibus ordinationis perſpicitur. Epiſcopus ei manus imponit cum omnibus ſacerdotibus aſtantibus. Deinde ſtollam humeris in modum crucis imponit, vt poſſit Chriſti crucem, & iugum diuinæ legis perferre eamque non ſolum verbis, ſed vitæ ſanctiſſimæ, & honeſtiſſimæ exemplo tradere. Poſtea manus ſacro oleo vngit. Tum calicem cum vino, & patenam cum hoſtia tradit dicens; Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, Miſſaſque celebrandi, tam pro viuis, quam pro defunctis. Hiſque mediator inter Deum, & homines conſtituitur. Poſtremo manibus iterum eius capiti impoſitis dicitur; Accipe Spiritum ſanctum, quorum remiſeris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris retenta ſunt. At ſunt diuerſi ſacerdotum gradus. Primus eorum, qui ſimpliciter vocantur ſacerdotes. Secundus Epiſcoporum, qui miniſtros Eccleſiæ, & populum regunt. Tertius Archiepiſcoporum, qui Metropolitani dicūtur, Antiſtites vrbium, quæ ſunt matrices Prouinciarum, & præſunt pluribus Epiſcopis, ſuperioremque habent poteſtatem, & locum. Quarto ſunt Patriarchæ, ideſt primi, & ſupremi patres, qui olim quatuor tātum erant, Conſtātinopolitanus, Alexādrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus. Præter hos eſt Romanus Patriarcha orbis terrarum, in Cathedra Petri ſedens legitimus Chriſti Vicarius, & Paſtor vniuerſalis omnium Antiſtitum, & fidelium quem ſemper Catholica Eccleſia venerata eſt. Requiritur ad ordines ſuſcipiēdos probitas, & ſcientia, maiorque virtus hic exigēda, quam in alijs Sacramentis. Quia coetera gratiam tribuunt ad ſanctificationem ſuſcipientium, hoc autem, vt miniſterio ſuo homines ſalutem conſequantur. Ideo in ieiunijs quatuor Temporum ſolemnibus, ordinationes fiunt, vt precibus fideles impetrent aptiores miniſtros ad tantam poteſtatem cum Eccleſiæ vtilitate gerendam. Sed maxime ad ſacerdotium integritas requiritur non ſolum, quia cum bona conſcientia oportet accedere, quia virtutis lumen alijs præferre debent. Quare iuxta Eccleſiæ conſuetudinem prius Pęnitentiæ Sacramento purgandi ſunt. Requiritur item ſcientia non ſolum Sacramenta adminiſtrandi, ſed etiam ſacrarū literarum, vt poſſit fidelibus miſteria fidei, diuinæ legis præcepta tradere, ad virtutem incitare, & a vitijs reuo-

reuocare,quia hoc etiam eſt eius munus, quamuis reconditarum rerum ſcientia ab omnibus non exigatur. Vnde non ſunt ordinandi pueri, nec amentes, aut furioſi, quia vſu rationis carent,tamen ſi fiat; characterem recipiunt. Item nec ſerui, neque homicidæ, quia irregulares ſunt,neque illegitimi; quia nihil habere debent quo contemni poſſint.Neque habentes inſignem corporis deformitatē, quia fideles offendit,aut impedit miniſterium.

EFFECTVS eſt gratia,quam cauſat in anima ordinati,vt idoneus reddatur ad munus recte præſtandum. Item confert Sacerdoti poteſtatem plenam conficiendi corpus, & ſanguinem Chriſti,alijs vero maiorem, aut minorem inſeruiendi Euchariſtiæ, quo quiſque magis, aut minus ad Sacramentum Altaris accedit. Quæ poteſtas ſpiritualis, character vocatur.

MINISTER eſt Epiſcopus, quod ex ſacris literis,& traditione,Conciliorumque decretis, & vſu Eccleſiæ facile comprobatur. Et quamuis Abbates minores ordines adminiſtrēt, non tamen maiores.

DE MATRIMONII Sacramento.

QVINQVE ſcienda ſunt. Quid ſit, Inſtitutio,cauſę contrahēdi,effectus,& coniugatorum munera.

MATRIMONIVM ex Theologorum ſententia eſt viri, & mulieris maritalis coniunctio inter legitimas perſonas indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens.Dicitur coniūctio, quia quatuor inueniuntur in Matrimonio conſenſus interior,pactum externum, conſumatio matrimonij, & obligatio ſiue coniunctio, ſiue nexus ex pacto ortus, ſed nihil horum eſt ratio Matrimonij,niſi vltimum.Probatur; Nam quod Conc. Florent.dixit Matrimonium eſt maris,& fœminę conſenſus, intelligendum eſt conſenſum eſſe cauſam efficientem ex qua oritur vinculum permanens. Neque eſt pactum exterius per verba de pręſenti quamuis hoc requiratur. Nam eſt mutua pactio, & abalienatio qua vnus alteri ſui corporis poteſtatem tradit. At hoc tranſit,non permanet, ſicut Matrimonium. Neque eſt concubitus cum ad verum Matrimonium non requiratur. Nam primi parentes ſecundum ſanctos Patres ante peccatum Matrimonio iuncti ſunt, & tamen eo tempore nulla copula inter eos fuit; ergo neque eſt conſenſus, neque pactum, neque copula, relinquitur; ergo eſſe vinculum, obligationem, & coniunctionem permanente. Dicitur etiam maritalis,quia eſt pactum ad officia mariti, & vxoris. Dicitur inter legitimas perſonas; nā ſi ſint conſanguineę intra quartū gradū, vel ſi ſit defectus ętatis in viris 14. annorum in fęminis duodecim non poſſunt contrahere. Tandem illud indiuiduam vitæ &c. declarat vinculum illud eſſe indiſſolubile. Vnde quamuis pęniteat irritum facere non poſſunt.

INSTITVTVM eſt a Deo, & quatenus eſt ad officium naturæ generiſque humani propagationem,& quatenus eſt Sacramentum. Patet ex illo maſculum, & fęminam creauit eos, & dixit; creſcite, & multiplicamini, & Chriſtus in Euāgelio, quod Deus coniunxit homo non ſeparet. Quo Saluator indiſſolubilitatem, & magnam perfectionem Matrimonio tribuit; nempe vt populus procreetur ad veri Dei, & Saluatoris noſtri cultum, & vt iſta ſancta coniunctione ſignificaretur certum ſi-

gnum

gnum immenſæ ſuæ charitatis erga Eccleſiam. Vnde ſemper habuit Eccleſia pro certo eſſe Sacramentum. Patet ex illo, Sacramentum hoc magnum eſt. Ideſt Matrimonium ſacrũ ſignum eſt ſanctiſſimi illius vinculi, quo Chriſtus cum Eccleſia coniungitur. Nam ſicut caput mulieris vir, ita Eccleſiæ caput Chriſtus. Et ſicut vir vxorem diligere debet, & vxor virum, ita Chriſtus dilexit Eccleſiã, & tradidit ſemetipſum pro ea. Et Eccleſia ſubiecta eſt Chriſto. Lex autẽ multiplicandi, aucto iam humano genere non obligat, immò ſuadetur virginitas, tanquam præſtantior.

C A V S A E contrahendi religioſe ſunt, ad facilius vitæ incommoda ferenda mutuis auxilijs. Secunda ad filiorum procreationem non ſolum, vt ſucceſſores bonorum relinquantur, ſed etiam vt vere fidei cultores educentur. Vnde grauiſſimum peccatum eſt impedire conceptum, aut partum. Tertia ad libidinis remedium. Quibus ſi alia motiua accedãt, vt pulchritudo, diuitiæ, generis ſplendor, deſiderium hæredis damnandæ non ſunt.

E F F E C T V S eſt gratia qua amor coniugatorum perficitur, indiſſolubilitas confirmatur ne illicitos amores quærant, ſed mutua charitate cõquieſcant. Diſtat multum a Matrimonio ante legem, & poſt legem. Nam etſi vagi concubitus, tunc damnabantur, & Matrimonium probabatur, ſed non erat Sacramentum. Item multi patres ex diſpenſatione Dei habebant plures vxores, diuortiumque permittebatur; quæ lege Euangelica ſublata ſunt, & in priſtinũ decorem reſtitutum eſt; vt Chriſtus oſtendit illis verbis, erunt duo in carne vna; ergo eſt coniunctio duorum non plurium. Ideo quando infidelis cõuertitur habens plures vxores Eccleſia iubet primam retinere, & reliquas relinquere. Diuortium etiam ſublatum eſt teſte Apoſtolo illis verbis Mulier alligata eſt legi quanto tempore vir eius viuit. Vnde non permittitur, niſi grauibus de cauſis mulierem a viro diſcedere. Vtilitates, & bona matrimonij ſunt proles fidelitas indiſſolubilitas. Quod ſi diſſolueretur frequentiſſimæ quæſtiones eſſent, nunc autem ſublata ſpe alteram ducendi, tardiores ſunt ad diſſidia, & facilius reconciliãtur. Quare vt facilior fiat indiſſolubilitas, virtus, morumq; ſimilitudo prius inſpicienda ſunt, quam diuitiæ, aut pulchritudo.

M V N V S viri eſt honorifice vxorem tractare, vt ſociam, & honeſtæ occupationi intendere. Item familiam regere mores corrigere. Vxor debet filios in religione procreare, domeſtica diligenter curare, domi libenter ſe continere, viro obtemperare in omnibus, quæ Chriſtianæ pietati non aduerſantur.

Circa ritus Conc. Trident. ſtatuit non eſſe vera, neque rata matrimonia, niſi præſente Parocho, vel Sacerdote de eius, vel ordinarij licentia, & teſtibus contrahantur.

DECALOGI PRÆCEPTA.

DECALOGVS eſt ſumma omnium legum ſecundum Auguſtinum per quam, tãquam per diuinam regulam de quacunque actione, vel omiſſione iudicari poteſt. In qua exercitatiſſimum oportet eſſe paſtorem, quia eam docere debet, vitamque ſuam ad eam normam componere. Ad obſeruantiam legis mouẽt dignitas legiſlatoris, facilitas, honeſtas, æquitas, neceſſitas, & vtilitas. Quæ omnia hic inueniuntur; Nam Deus eſt illius auctor de cuius æquitate, & ſapientia dubitari

non poteſt, neque eius potentiæ reſiſti, deinde hæc ipſa lex eſt eadem cum lege naturali, quam quiſque ſentit animo inſitam qua bonum a malo ſecernere poteſt, vitijs tamen obſcuratam clariorem per Moyſen reddidit, qua nihil iuſtius, eique obediēdum Chriſtianis, quia per Chriſtum confirmata eſt. Neque impoſſibile, aut difficile eſt homini amare Creatorem beneficum patrem amantiſſimum, & carnem ſuam in fratribus ſuis, qui autem diligit legem impleuit. Et quamuis natura infirma ſit ad Deum amandum, ipſe inſerit amorē petētibus, auxiliumque eſt paratum; maxime poſt Chriſti mortem, amanti vero nihil eſt difficile iuxta illud Auguſtini; da quod iubes, & iube vis. Eſt etiam neceſſaria ad ſalutem, quia quamuis poſſit homo ex impio fieri iuſtus, antequam ſingula præcepta operibus externis impleat, non tamē niſi paratus ſit ad omnia ſeruanda. Vtilitates legis diuinæ magnę ſunt, nam in cuſtodiendis illis retributio multa, ingentibuſque gaudijs cognitione voluntatis Dei, & præmijs in hoc ſæculo, & futuro replet. Quare ſecundum D. Bernar. nihil iuſtius, nihil dignius, nihil vtilius præcipi potuit. Sed non eſt ſeruāda ſolum propter vtilitatem noſtram, ſed propter Deum, cui gratiæ debentur propter clementiam, & bonitatem ſuam; quia cum poſſet nos cogere ad ſeruiendum ſibi ſine præmio noluit, immo ſuam gloriam cum noſtra vtilitate coniunxit.

Diuiduntur in præcepta primæ tabulæ quæ ſunt, tria priora ad Deum ſpectantia. Et ſecundæ tabulæ, quæ ſunt reliqua ſeptem pertinentia ad proximum. Nam in duabus tabulis digito Dei ſcriptis datus eſt Moyſi Decalogus.

EGO SVM DOMINVS DEVS tuus. Non habebis Deos alienos coram me.

DVPLEX præceptum in his verbis continetur. Vnum iubens, Me verum Deum coles, Alterum prohibens, alijs dijs cultum non adhibebis. Et ſimilia duo affirmatiuum, & negatiuum in reliquis continentur.

IN affirmatiuo continetur præceptum fidei, ſpei, & charitatis. Nam dignus eſt, vt ei credamus in eo ſperemus eumque ſumme diligamus, quia fidelis, & verus eſt abſque vlla iniquitate, ad benefaciendum facilis, omnipotens, & clemens bonitatiſque ſuæ diuitias in nos effundit.

PROHIBITA hoc primo præcepto, & contraria ſunt, hæreſis, credere ſomnijs, & augurijs, aliſque vaniſſimis; deſperatio de propria ſalute, item imagines habere, quæ tanquam Deus adorentur a quibus ſit aliquid petendum, aut ſperandum, aut ſit virtus, vel diuinitas, vt faciebant gentiles, cum diuinitati incorporeæ, fiat iniuria exprimere eam figura corporea. Sed non prohibetur veneratio Angelorum, nec eorum reliquiarum, neque eorum inuocatio; ſed ſolum ne detur honor ſicut Deo. Nam rex præcipiens, ne quis tanquā rex adoretur præter ſe, non vult, vt magiſtratibus aliquis honor non deferatur; ergo angeli, qui nos a periculis cuſtodiunt, & preces Deo offerunt, honore digniſſimi ſunt. Similiter cineres, & imagines ſanctorum ex traditione Apoſtolorum venerantur, quia excitāt ad eorum immitationem, pro nobis orant, & per eos multa miracula Deus operatur. Inuocandi autem ſunt, quia eorum deprecatione Deus multa bona concedit.

dit. Neque prohibetur pictura ſanctiſſimæ Trinitatis, quia fit non ad exprimendam diuinitatem, ſed ad declarandas proprietates, & actiones Dei, vt ſapientiam, & æternitatem, per figuram Danielis, qua antiquus dierum ſedit. Angeli vero humana ſpecie depinguntur cum alis, ad ſignificandam beneuolentiam in humanum genus, & paratos eſſe ad miniſteria Dei. Chriſti autem, Matriſque eius, ac Sanctorum imagines habere gratitudinis ſignum eſt, vt Concilia definierunt. Et licitum eſt illas honorare, quia honor imaginũ Prototypis datur. Suntque vtiles ad memoriam renouãdam diuinorum rerum, & ad Deum colendum, & amandum.

Poena ponitur tranſgreſſoribus huius præcepti, & præmium obſeruatoribus, quod omnibus præceptis commune eſt, ſicut illud omnis arbor, quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur. Longe aliter, atque exiſtimant improbi, putantes non curare Deum an ſeruẽtur, an negligantur. Additur etiam modus ſeruandi legem, illis verbis, his qui diligunt me, hoc eſt dabitur pręmium ex amore ſeruantibus, quo boni obediunt prompto animo, & firma fide, atque ſpe datuſum vires, vt poſſint obedire.

NON ASSVMES NOMEN *Domini Dei tui in vanum.*

IMPERAT nomen Dei honorare, & ſanctæ iurare. Vetat contemnere, & in vanum aſſumere, falſo, temere, aut iniuſte.

Dei nomen honoramus, Deum coram omnibus confitendo, & Chriſtum ſalutis auctorem. Item diligenter verbum Dei audiendo, legendo, meditando, laudes diuinas dicendo. Tam in proſperis, quam in aduerſis gratias agendo, opem Dei implorando, vt a malis liberet. Et iurando; Quod tamen frequenter facere, non eſt laudabile, ſicut neque medicamentum frequentare.

Ivrare eſt Deum in teſtem adducere, vt per Deum, vel per res creatas, vt per crucem, per ſanctos, in quibus veritas, & maieſtas Dei elucet. Duplex eſt iuramentum vnum aſſertorium, quod ſimplex eſt, aut execratiuum. Aliud promiſſorium ad quod reducitur. Comminatorium. Ad recte iurandum tria requiruntur; veritas, iuſtitia, & iudicium. Veritas, vt verum eſſe exiſtimetur non leui cõiectura, ſed certis argumentis; in promiſſorio, vt ſit animus faciẽdi, quod iuratur niſi ſit Dei offenſa, & re ipſa impleatur. Iudicium ſignificat cum neceſſitate, non temere, ſed examinando rem, vt talis ſit quæ iuramento indigeat, & tempore conuenienti, non amore, neque odio, ſed cum debitis circumſtantijs. Iuſtitia maxime requiritur in promiſſorio, nam ſi iniuſtum promittatur, peccatur iurãdo, & iuramentum implendo, vt Herodes fecit. Cum prædictis conditionibus licitum eſt iurare, cum Deus aliquando iuret, iuxta illud iurauit Dominus. Finis eſt vt veritas, & iuſtitia probetur, ad quod aptum eſt inuocare Deum, qui verax eſt, & decipi non poteſt, neque decipere, eſtque impium ei nõ credere. Quod vero Chriſtus docuit, ſit ſermo veſter eſt, eſt, non, non, ſignificat malũ eſſe iurare, vt Phariſæi pro leuiſſimis rebus frequenter, nihil cauendum exiſtimantes, niſi mendacium.

Prohibet falſo iurare, quia iniuria fit Deo, quaſi veritatem, non ſciat, & eſt prauitas teſtimonio velle mendacium confirmare. Falſo iurare eſt iurare quod falſum eſt, vel putatur falſum. Quoniam mendacium

eſt

eſt contra mentem ire, vel quamuis a parte rei verum ſit, ſi non eſt adhibita diligentia vt res eſſet explorata, quia eſt exponere ſe periculo peierãdi. Secundo promittere Deo, vel alijs ſine animo implendi: Tertio iurare iniuſta, vt occidere hominem, vel cõtemnendo perfecta, vt iurare non ſequi conſilia Euangelica. Quia licet non teneamur ſequi, tenemur non contemnere. Item, & iurare per falſos deos. Et Dei nomen inhonorare, vt verbum Dei injuria afficere, tetorquendo ſenſum ad hæreſes, prophana, ſcurrilia, detractiones, aut libellos diffamatorios. Inhonoratur etiã non implorando eius auxilium in calamitatibus; atque etiam blaſphemãdo, aut execrando ſanctiſſimum eius nomen.

MEMENTO VT FESTA *ſanctifices.*

CONVENIT hoc præceptum cum alijs in eo quod aliquid habet iuris naturalis, ſicut alia præcepta; nempe Deo honorem externum eſſe tribuendum Quia natura docet, vt ſicut corpori tempus datur ad cibo, & ſomno reficiendũ, ita iuſtiſſimum eſt tempus habere in quo Dominum noſtrum agnoſcamus, & veneremur a quo ſumma, & innumerabilia beneficia accepimus, ſed non docet quando id fieri debeat; hoc determinarunt Apoſtoli, qui ex ſeptem diebus vetus Sabbatũ in diem Dominicum tranſtulerunt; quia illo die creatus eſt mundus, & Chriſtus reſurrexit, & Spiritus Sanctus Apoſtolis datus eſt; ſunt etiam alia feſta Eccleſiæ, ob redemptionis myſteria. Alia Beatiſſimæ Virgini, Apoſtolis, & Martyribus conſecrata. Igitur.

SENSVS præcepti eſt, vt homo animo, & corpore aliquo tempore a laboribus corporis, & negotijs feriatus Deum pie colat, & veneretur. Nam ſanctificare ſignificat, præſtare Deo pietatis, & religionis officia, vt ad templa accedere, pie, & attente Miſſæ ſacrificio intereſſe, Sacramenta ſalutifera frequentare, ſacram cõcionem attẽte audire, laudare Deũ, & precari frequenter, præcipue Chriſtianam Inſtitutionem addiſcere, pietatis opera exercere, vt ægros viſitare, afflictos conſolari, eleemoſynas diſtribuere, quia hæc eſt vera religio teſte S. Iacobo: in quibus feſta occupanda ſunt. Quod ſi quotidie præciperet prompte eſſet peragendum, at cum pauci ſint dies feſti; in ijs negligentes eſſe grauiſſima culpa eſt.

PROHIBET opera ſeruilia, non quia mala, ſed quia impediunt cultum Dei, qui eſt finis. Et multo magis peccata prohibentur, quæ a Deo ſeparant. At opera ſeruilia diuini cultus non prohibentur, vt ornare templa, & Altaria: Neque alia opera ad damnum notabile vitandum, quæ Chriſtus declarauit, vt infirmos curare, beſtias adaquare, aut ex puteo extrahere.

HONORA PATREM, *& Matrem.*

HOC eſt primũ, ſecundæ Tabulæ, quibus proximorum bona commendantur; Vbi debentur Deo gratiæ pro amore in humanum genus, quia his præceptis corpus, vitam, famam, & bona externa hominum, vult defendere.

IVBET honorare, quod eſt de aliquo honorifice ſentire, in quo includuntur Amor, obſeruantia, obedientia. Patrum nomine intelliguntur, Prælati, Paſtores, Sacerdotes. Item gubernatores rei-

publicæ, Curatores, Tutores, Magiſtri, & ſenes. Sed lex præcipue loquitur de ijs, qui nos genuerunt, qui habent Dei ſimilitudinem. Debetur eis honor ex amore cum ipſi nullum laborem, aut pericula cauſa noſtra refugiãt, & nihil illis iucundius quam redamari. Honorantur orando pro eis, vt omnia illis feliciter eueniant, eorum recte facta immitando, obediẽdo præceptis, & conſilijs eorum, & noſtram voluntatem cum illis cõformando; neceſſaria ad vitam, & ornatum eis tribuendo, maxime cum ægrotant periculoſe, ne quid deſit, quod ad Sacramenta, attinet, & a pijs, ac religioſis viſitentur, conſolentur, in ſpe confirmentur, & conſilio iuuentur. Mortui etiam honorantur funere, exequijs, ſepultura, ſacrificijs, anniuerſarijs, & legata ab eis perſoluendo. Honorandi etiam ſunt Epiſcopi, & Principes, illiſq; eſt obediendum; Sacerdotibuſque neceſſaria ſuppeditanda ſunt ſoluendo decimas, & primitias. Item diuturna vita promittitur obſeruatoribus.

Inhonorantibus patres econtrario, maxima pœna, & non obtemperantibus ſacerdotibus. Parentum vero officia ſunt filios ſanctiſſimis diſciplinis, & moribus imbuere, optima viuendi præcepta dare, & magiſtros virtutis ſe præbere. Qui autem in educatione negligentes ſunt, & ſolum curant opes eis relinquere duces ſunt ad ſupplicia æterna.

NON OCCIDES.

DVo in hoc præcepto continentur prohibet homicidiũ, & iubet inimicos diligere pacem cum omnibus habere, & cuncta incommoda patienter ferre.

NON prohibet beſtias occidere cum ſit conceſſum illis veſci; neque iudicibus facinoroſos, neque inimicos in bello iuſto (ſecus eſt propter crudelitatem, aut cupiditatem) neq; occiſiones fortuitas non præmeditatas, quia non ſunt voluntariæ, niſi fiat aliquid illicitum ex quo ſequatur homicidium, quale eſſet negligẽtia in circumſpiciendo ne noceat; neque propter vitæ proprię defenſionem neceſſariam, alterum occidere. Sed cætera omnia homicidia etiã hominum abiectæ conditionis, & omnes modi occidendi, vt ferro, veneno, laqueo, lapide, baculo, manibus; Item conſilio, ope, auxilio prohibita ſunt. Immo & ſe ipſum occidere; ideo nõ dicitur, non occides alterum, ſed ſimpliciter non occides, quia nemo habet poteſtatem ſuæ vitæ. Et cum lex ſit ſpiritualis animum iubet purum ſeruare ab ira, quod ſi ſignificationẽ eius dederit grauiter peccat, vt Chriſtus docuit, & grauius ſi conuicium faciat. Ad cuius perfectam obſeruationem pertinet illud Domini, Non reſiſtere malo, ſed ſi quis te percuſſerit in dexteram maxillam præbe illi, & alteram. Magnum peccatum eſt homicidium, de quo minatur Dominus ſe vindicaturum. Tum quia tales hoſtes ſunt humani generis, & naturæ, qui quantum in eis eſt, vniuerſum Dei opus deſtruunt, hominis enim cauſa omnia creauit. Tũ quia eſt Dei ſimilitudo, ideoque iniuriam Deo facit, qui manus violentas ei infert, eiuſque imaginem tollit.

IVBET omnes homines diligere, odium prohibet; nam qui fratrem odit homicida eſt; præcipiturque amor, & conſequenter officia, quæ charitatem conſequuntur, vt patientia, manſuetudo, beneficentia, ſuppeditando neceſſaria, quæ illuſtriora ſunt ſi inimicis præſtentur. Probatur ex illo diligite inimicos, benefacite &c. ſed præcipue iubet remittere iniurias, & vindicandi cupiditatem ho-

homiium mentibus fere inſitam, deponere. Quod eſſe Chriſtiano neceſſarium probatur. Nam præcipua cauſa iniuriæ, aut detrimenti non eſt inimicus, ſed Deus, tanquam pater miſericordiæ, & iuſtitiæ, qui punit; non tanquam inimicus, ſed corrigit, & caſtigat, vt filios; homines autem, ſunt Dei miniſtri, qui nocere non poſſunt niſi Dei permiſſu. Valet etiā illud Chryſoſtomi, nemo lęditur niſi a ſeipſo. Nam ea quibus homines læduntur extrinſeca ſunt, ſi autem odium concipiant ipſi ſe offendunt ex remiſſione duo commoda ſequũtur. Vnum quod talibus promittit Deus peccata remittere, dicens dimittite, & dimittemini. Alterum quod nobilitatem quandam, & ſimilitudinem Dei conſequuntur, qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos. Si non fiat multa mala ſequuntur; nam odium eſt graue peccatum, & ſi diu durat nunquam ceſſatur a praua intentione, cum vulnus illud fixum inhæreat, ex quo iudicia temeraria, iræ, inuidiæ, & detractiones ſequuntur. Remedium eſt Chriſti exemplum inſpicere, orantis pro inimicis, a quibus tot mala ſuſtinuit, illis verbis Domine ignoſce illis. Valet etiam memorare nouiſſima, hoc eſt diem mortis in breui futurum, in quo maxime neceſſarium erit Dei miſericordiam impetrare, ad quod nihil aptius, quam obliuio iniuriarũ.

NON MOECHABERIS.

DVo hic continentur, vetatur apertis verbis Adulterium, & includitur, vt animi, & corporis caſtitatem colamus.

Prohibet Adulterium, quod eſt legitimi thori iniuria. Atque etiā omnia inhoneſta, & impudica ſecundum Doctores. Quod oſtenditur ex illo, neque fornicarij, neque adulteri, neque molles, neque maſculorũ concubitores regnum Dei poſſidebunt. Sed præcipue adulterium, quia præter turpitudinem eſt contra iuſtitiam; nam adulter inuadit corpus alienum. Prohibetur etiam interna concupiſcentia, quia ſpiritualis eſt lex, probatur ex illo Chriſti, qui viderit ad concupiſcendum męchatus eſt in corde. Ratio quare ſit peccatũ eſt, quia inhonoratur proprium corpus.

Remedia, quædam ſunt interna, vt conſiderationes ſuppliciorum, quæ Deus minatur adulteris, & infamię. Nam in lege veteri lapidabantur, & propter libidinem ciuitates exuſtę ſunt. Et in Conc. Trident. ſtatuuntur etiam pœnę contra adulteros. Qui vero mortem effugiunt incident in dolores intolerabiles, & mentis cęcitatem, quæ grauiſſima pęna eſt, qua nec Dei, nec famæ, neque dignitatis, aut filiorum recordantur, ſed fiunt ita inutiles, vt nihil graue talibus committi poſſit, & fere ad nullum officium idonei ſint. Exemplum ſit Dauid, qui propter adulterium ex mitiſſimo crudelis factus eſt. Et Salomon, quia libidini ſe tradidit Deos alienos ſecutus eſt. Alia ſunt externa, vt fugere otium, quod perdidit ſodomitas; Itē crapulam, & ebrietatem, quæ libidinem pariunt. Fugiēdus etiam in mulieribus nimius ornatus, quia ex eo ſequuntur obſcenus ſermo, molliores cantus, & ſaltationes, amatorij libri, imagineſque turpes. Quoniam hæc inflammant adoleſcentes ad turpes illecebras. Valent etiam cuſtodia ſenſum, maxime oculorum; nā ex aſpectu plura mala orta ſunt, vt videre eſt in ſenibus Suſannæ. Itē frequens vſus confeſſionis, & communionis, & aſſiduę preces cum eleemoſinis, & ieiunijs, quia caſtitas eſt

Dei donum, quod recte petentibus non denegatur. Valet etiam affligere corpus, vigilijs, & pijs peregrinationibus alijſq; afflictationibus, ſenſuumque appetitus reprimere.

NON FVRTVM FACIES.

DVAS habet partes hoc præceptum. Vetat furtum, & iubet, vt liberales ſimus, & benigni in proximos, quod in primo occultum erat.

FVRTVM ſignificat non ſolum acceptionem alieni occultã, vel per vim, ideſt rapinam, verum etiam poſſeſſionem alieni contra voluntatem Domini; & ſi res eſt ſacra vocatur ſacrilegium. Prohibet etiam volũtatem furandi, quia ſpiritualis eſt lex, intendens animi puritatem. Furti plures ſunt ſpecies, vt furata emere, aut vendere, inuenta occupare, quæ pauperum ſunt, ſi Dominus non inueniatur. Item fraudare emẽdo, aut vendendo, imponere numero, aut menſura, vel rei ſubſtantia. Integram mercedem exigere pro opere publico, aut priuato, non debite impleto. Non ſeruare fidem cuſtodis, aut ſerui. Item fingere paupertatem, & ſic ſurripere pecunias. Rapinæ ſpecies multæ ſunt, vt non ſoluere operarijs mercedem, tales D. Iacobus ad pœnitentiam hortatur, plorate diuites, quia merces operariorum fraudata a vobis clamat. Non ſoluere tributa Magiſtratibus, vel Eccleſijs. Vſuras accipere, quod eſt accipere aliquid præter principale, quod mutuatum eſt. Hoc autem eſt iniquum, quia venditur bis idem, aut venditur, quod non eſt. Item iudicia precio, aut muneribus corrumpere. Et abſcondere frumenta ad vitamq; neceſſaria, in ſterilitate, vt carior ſit annona. Quæ grauia peccata ſunt, contra iuſtitiam, quæ ſuum vnicuique tribuit; quod bonorum diuiſione (iure gentium introducta) & diuinis, humaniſque legibus confirmatum eſt; aliter non poſſet ſtare humana ſocietas. Ex furto ſequuntur multa mala, vt iudicia temeraria, odia, inimicitiæ, & innocentium damna; Tum reſtituendi difficultas, ſi aſſueſiat ex alienis locupletari. Excuſationes ſunt nullius momẽti, vt quod non poſſit aliter ſuſtentari dignitas familiæ; Immo modus conſeruandi, & amplificandi opes, eſt parere præceptis Dei; quorum contemptus opes bene fundatas, & Reges è loco exturbat. Nec illorum, qui propter commoditatem furantur, nam impium eſt aliquam commoditatem anteferre voluntati Dei. Neque excuſat conſuetudo, aut occaſio, quia prauis cupiditatibus reſiſtendum eſt. Qui furantur, vt vindicentur errant, quia nemo in ſua cauſa iudex eſt, neque licet vlciſci. Neque valet dicere non poſſe aliter debita ſoluere; nam inſanum eſt plus peccare, vt debita ſoluantur. Præſtat in carcerem conijci, & ad Dei auxilium confugere, quam mandari ſupplicijs æternis.

PRAECIPITVR reſtitutio, quæ neceſſaria eſt, quia non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Ad quam tenentur præter furem octo genera perſonarum, ſcilicet, ſocij furum, Imperantes ſuaſores, conſentientes, participes, potentes prohibere, & non facientes, non manifeſtantes, adiutores, vt receptatores furti. IVBETVR etiam eleemoſyna, & miſericordia, quam Sancti Patres copioſe ſuadent. Quia Chriſtus eſt ſupplicijs æternis addicturus eos, qui eleemoſynas prætermiſerunt, miſericordes vero in cœleſte regnum introducturus. Et quia talibus promiſit multa bona in hoc ſeculo, & in

futuro.

futuro. Qui non poſſunt largiri ſaltem commodare debent pauperi. Eſtque Christiana pietas manibus laborare ad egenorum inopiam ſubleuandam.

NON LOQVERIS CONTRA *proximum falſum teſtimonium.*

HIc duæ leges continentur. Vna prohibens, ne falſum dicatur teſtimonium. Altera iubens, vt mendacijs ſublatis dicta, & facta noſtra vera ſint.

VETATVR nomine falſi teſtimonij, quidquid in bonam, vel in malam partem de altero dicitur falſo, ſiue in iudicio, ſiue extra iudicium. In iudicio, quia falſum, cum iuramento periculoſum eſt. Teſtes enim iurati reijci non poſſunt; niſi legitimis exceptionibus, aut aperta improbitate. Proximus eſt, qui indiget opera noſtra, ſiue amicus ſit, ſiue inimicus. Neque contra hoſtes, licet falſum dicere teſtimonium; immo neque contra ſeipſum; quia quiſque ſe diligere tenetur; eſſetque ſeipſum, & Eccleſiam lædere; cuius membra ſumus Immo, & mendacium laudādo Chriſtum falſum teſtimonium vocatur ab Apoſtolo. Vnde neque in fauorem alterius, licet falſum dicere. Similiter prohibentur periuria, & mendacia, Accuſatorum, Reorū, Procuratorum, Aduocatorum, & omnium qui exercent iudicia. Extra iudicium, quæ alteri exiſtimationis damnum inferre poſſunt, vt detractio, augendo, amplificando, euulgando peccata occulta, vbi, quando, aut quibus non eſt neceſſe, quæ ſi reſciantur, infamia eſt. Similiter peccatur audiendo detrahentes, conſentiēdo, non reprehendendo. Item inimicitias ſeminando, adulando, laudando malum, vituperādo bonum propter commoda; ſed illud peius, morte vicinis ſuadere, nullum eſſe periculum a Confeſſione animum auertendo, & a meditatione extremorū periculorum. Contra religionem autem mentiri impium eſt. Demum mendacium iocoſum licet damnum non ſequatur, aut lucrum, indignum eſt. Nam ſic capiunt homines mentiendi conſuetudinem, & neceſſitatem iurandi perpetuo, vt credantur. Et quia de omni verbo otioſo reddēda eſt ratio. Mendacij turpitudo cognoſcitur ex eo, quod demon pater mendacij vocatur, & quia eo tollitur veritas, & fides quibus humana ſocietas conſeruatur, ſine quibus ſequitur ſumma vitæ confuſio. Sed illud eſt maximum malum, quod fere eſt inſanabilis morbus. Nam falſa criminatio ſine reſtitutione non dimittitur; hoc autem eſt difficile propter pudorem. Remedium eſt vitare loquacitatem, quo cætera peccata vitantur. Neque mendacium prudētia eſt, vel eſt prudentia carnis, ad artificium mentiendi confugere in anguſtijs; ſed in Deo confidendum. Allegantes fragilitatem diuinum auxilium implorent. Illis vero, qui mendacio decepti ſunt, non licet vlciſci, Qui conſuetudinem opponunt aſſueſcant vere loqui. Qui ob vtilitatem, obiurgandi ſunt, quia videntur illis verbis non credere primum querite regnum Dei, & hæc omnia adijcientur vobis.

IVBET iuſte exercere forenſia iudicia, ſecundum leges; Ne vſurpentur iudicia non ſubditorum, Ne feratur ſententia, cauſa incognita. Ne innocentes condemnentur, aut nocentes abſoluantur. Ne precio gratia, odio, aut amore moueantur. Sed præcipue teſtibus imperat verum dicere. Nam eſt neceſſarium in rebus humanis, cum plura ignorentur, quę niſi dictis teſtium cognoſci non poſſunt.

ſunt. Extra iudicium licet aliquando verum tacere, non autem in iudicio, vbi teſtis, aut reus legitime interrogantur iuxta formam iudicij. Vnde cauendum, ne pro certo affirment, quod exploratum non habent. Item Aduocati, & actores tenentur non deeſſe patrocinio ſuo in neceſſarijs etiam pauperibus, & iniuſtas cauſas non defendere. Non protrahere lites, Iuſta mercede contentos eſſe.

NON CONCVPISCES *domum proximi, nec quæ illius ſunt, neque deſiderabis vxorem eius.*

OBSERVATIO iſtorum præceptorum valet ad totam legem ſeruandam, Nam radix malorum eſt praua concupiſcentia. Neceſſaria fuerunt hæc præcepta ad explicationem ſexti, & ſeptimi. Nam in illis non explicite prohibentur, Et Iudęi exiſtimabant deſideria, hæc non eſſe prohibita. At lumine naturali intelligitur prohiberi, quia ſi liceret concupiſcere Adulterium liceret vti. Quod Chriſtus declarauit illis verbis, ego autem dico, qui viderit ad concupiſcendum mechatur. Quibus oſtenditur præſtantia diuinæ legis, quæ cordis puritatē poſtulat, humanæ vero leges externa obſeruatione contentæ ſunt; SED non prohibent potentiam concupiſcendi, neque omnes eius actus, quamuis potentia vocetur peccatum, quia non proprie peccatum eſt, ita tamen appellatur, quoniam deprauata eſt peccato primorum parentum ad appetenda rationi repugnantia, cum tamen adeo recta in nobis creata ſit. Et moderata vtilis eſt, & occaſio petendi à Deo, quæ cupimus, neque omnis eius actus eſt illicitus, vt famelicum, & ſitibūdum cibum, ac potum appetere, & frigeſcentem calescere.

PROHIBETVR ergo, prauus vſus potentiæ, qui fomes peccati vocatur, hoc eſt appetitus contra rationem de rebus prauis, vt homicidij, adulterij, vel de ijs, quæ natura ſua mala non ſunt, tamen prohibita a Deo, vel Eccleſia. Qui peccata ſunt quando anima conſentit, vel non repugnat. Senſus igitur prioris præcepti eſt; Ne diuitias auidę expetamus, neque alienis opibus, potentiæ nobilitati inuideamus, ſed ſtatu noſtro, ſiue humilis, ſiue excelſus ſit, contenti ſimus; vocabulo domus ſignificantur facultates, nobilitas, gloria; per ſeruum, ancillam, aſinum, bona parua animata, vel inanimata. Senſus vero poſterioris eſt, non ſolum non appetes adulterari, ſed neque ducere in Matrimonium, vxorē alterius, quando repudium permittebatur, ne mariti ſolicitarentur ad vxores relinquendas, aut illę difficiles ſe præberent, vt ſolicitarentur. Nunc vero ex vna concupiſcentia inciditur in alteram; nam concupiſcens vxorem alterius deſiderabit mariti mortem, aut adulterium committere. Quo etiam prohibetur Deo conſecratas concupiſcere. AD cupiditates extinguendas valet conſiderare mala, quę inde ſequuntur. Primum cupiditatibus obtemperando, regnat in anima noſtra ſumma peccati poteſtas, cōtra illud non regnet in veſtro corpore peccatum. Econtrario reſiſtendo peccati vires frangimus. Secundo ab hac concupiſcentia, tanquam a fonte peccata manant; nam omne, quod eſt in mundo, aut eſt concupiſcentia carnis, oculorum, aut ſuperbia. Tertio rectum iudicium obſcuratur. Nam exiſtimantur, omnia honeſta, quæ concupiſcimus. Quo morbo laborant deſiderantes penuriam rerum, bella, lites, morbos, & alia huiuſmodi.

IVBET ſi diuitiæ affluant cor nõ apponere, ſed paratos eſſe propter res diuinas abijcere. Et illis libenter pauperum miſerias ſubleuare. Si deſint, paupertatem hilari animo ferre. Item præcipit ardenter optare nõ quod nos concupiſcimus, ſed quod Deus vult, voluntas autem Dei eſt, vt ſancti ſimul, & animum purum ab omni peccato conſeruemus; & exerceamus nos in officijs mentis repugnantibus ſenſibus, vt horum domitis appetitionibus ratione, & ſpiritu duce rectum vitæ curſum teneamus.

DE ORATIONE.

IN communi ſcienda ſunt, neceſſitas, vtilitas, fructus, partes, & gradus, orationis. Quæ ſint petenda. pro quibus orandum, præparatio, & orandi modus.

NECESSARIVM eſt ad ſalutem, orare, quod præceptum declarauit Chriſtus illis verbis, oportet ſemper orare. Et Eccleſia in Præfatione dicens præceptis ſalutaribus moniti. Tum quoniam multis indigemus, & inſtrumentum datum a Deo ad ea obtinenda eſt oratio, petite, & accipietis. Vnde ratio naturalis docet Deum eſſe orandum.

FRVCTVS, & vtilitates ſunt Deum honorare; nam orantes profitemur Deo eſſe ſubiectos, illumque eſſe auctorem bonorum omnium, & ab illo ſolo ſalutem noſtram ſperandam. Secundus impetratio, ideo clauis cæli vocatur oratio ab Auguſtino; impetramus enim fidei conſeruationem, & Spiritum ſanctum adiutorem in tentationibus, & victoriã. Quod ſi interdum non impetramus hoc fit, vel quia maiora nobis dantur, vel quia quod petimus non eſt neceſſarium, nec vtile, immo fortaſſe nociuũ, aut quia negligenter oramus, nec attendimus. Vnde non mirum ſi non datur, quia videmur, nolle quæ petimus. Contra vero diligenter petentibus multo plus tribuitur, quam poſtulatur. Immo, & tacitis deſiderijs occurrit; nam deſiderium pauperum exaudiuit Dominus. Tertio virtutes exercentur, & augentur. Poſſet Deus neceſſaria largiri, ſicut brutis abſque petitione; at cum hominibus non ita, ſed vult, tanquam beneficentiſſimus pater a filijs inuocari, & quotidie petendo petere fidentius, & poſt impetrationem, nos ſuam benignitatem cognoſcere, & tanquam auctorem vtilitatum noſtrarum diligere, fidemque ſuæ prouidentiæ teſtificari, & noſtra opera nihil poſſe conſequi ſi gratia nos deſerat. Quarto orationes ſunt arma contra hoſtes, quarum ſonitu certandum eſt contra diabolum, ait D. Hilar. Quinto per eam innocentiam obtinemus. Nam cum procliues ſimus ad malum, & varijs appetitionibus iactemur, oratione ab omni delictorum labe purgamur. Tãdem iræ diuinæ reſiſtit oratio.

PARTES pręcipue, orationis duę ſunt gratiarum actio, & poſtulatio a quibus reliquæ manant. Nam ad Deum accedimus, vt eum veneremur, & de beneficijs acceptis gratias agamus, vel vt aliquid impetremus. Nihil boni habent homines, quod ab eo non ſit, quocunque oculos cõijciamus effuſam benignitatem, & beneficentiam in nos inueniemus; merito ergo gratiarum actione laudandus pro beneficijs præteritis, & præſentibus humano generi exhibitis, & pro donis atque victorijs ſanctis conceſſis, præſertim Dei matri.

GRADVS orationis ſunt diuerſi, alius alio perfectior; Ille iuſtorum eſt optimus omnium quo firma fide, & conſiderationibus, Dei omnipo-
tentiam

tentiam, immenſam bonitatem, ac ſapientiam contemplantur, quo certiſſime ſperant conſecuturos, quidquid petierint, & illa ineffabilia bona promiſſa, & ſic laudant, & gratias agunt. Deinde (quaſi filius amantiſſimo patri) non dubitanter neceſſaria exponunt, vt ille, effundo in conſpectu eius orationē meam; hoc eſt nihil tacēdo. Et D. Auguſtinus, quod fides credit, ſpes, & charitas orat. Secundus gradus eſt peccatorum, qui peccata cum dolore, & humilitate recognoſcunt, veniam petunt, vt publicanus, & exaudiuntur. Tertius eorum qui fidei lucem non acceperunt, illam tamen poſtulant, qui ſi perſeuerent, vt Cornelius fores diuinæ clementiæ eis non claudentur. At eorum oratio, qui volunt in peccatis perſeuerare non exauditur, vt de Antiocho legitur.

PETENDA ſunt iuſta, & honeſta, & quę deſiderari poſsūt, vt Deus, qui eſt ſummū bonum eiuſque gloria ſine conditione, & quæ nos cum Deo coniungunt, vt fides, Dei timor, & amor petenda ſunt, & quæ nos ab eo ſeparāt omnimodo remoueantur. Externa autem bona, vt ſanitas, pulchritudo, diuitiæ, honor non petuntur ſalutariter, quia ſæpe materiam peccato præbent, niſi cauſa neceſſitatis, vt Salomon tribue victui meo neceſſaria. Quæ ſi concedantur vſus tantummodo nobis datur, vt Deo, facilius ſeruire poſſimus, & proximis commodemus. Ingenij autem bona, vt artes, & doctrinæ petendæ non ſunt, niſi cum conditione ſi ad Dei Gloriam, & ſalutem noſtrā ſint profutura.

PRO omnibus eſt, orandum amicis, & inimicis, fidelibus, & infidelibus, petendo, quæ ad ſalutem corporis, & animæ ſpectant. Quia omnes tenemur diligere, & hæc illis deſiderare. Sed primo pro paſtoribus animarum. Secundo pro principibus, vt tales ſint, quales eſſe oportet. Tertio pro perſecutoribus, quia eſt Domini præceptum. Quarto fuit conſuetudo ab Apoſtolis accepta orandi pro infidelibus, vt ab erroribus liberentur, & detur eis fides, Iudæi illuminentur, Hæretici ad Catholicam veritatem redeāt, & Schiſmatici ad Eccleſiæ communionem. Quæ preces exaudiuntur, vt quotidie videmus ex vaſis iræ, miſericordiæ vaſa fieri. Quinto precandum pro mortuis, vt a Purgatorio liberentur. Item orandi ſunt ſancti beati, ſed maxime ſanctiſſima Dei genitrix ad quā cum Eccleſia confugere debemus, vt nos reconciliet cum Deo, & impetret ad hanc vitam, & æternam neceſſaria, quod agere debemus aſſidue exules filij Euæ, miſericordiæ matrem inuocando, quia plurimum cum Deo poteſt, & ſummam habet voluntatem adiuuandi humanum genus. Sed eſt differentia, quod Deū precamur, vt det bona, vel a malis liberet; ſanctos vero, vt pro nobis orēt.

PRAEPARANDVS eſt animus primo humilitate, ac dolore peccatorum petendo veniam, vt publicanus. Secundo fugiendo iram, implacabilitatem, crudelitatem, quæ impediunt exauditionem. Tertio clamores pauperum exaudiendo, aliter clamor noſter non exaudietur. Quarto fide de omnipotentia Dei, & miſericordia cum ſpe coniuncta, vt Chriſtus docuit quidquid orantes petitis credite, quia accipietis. Vnde non eſt dubio animo orandum. Ad hoc iuuat conſideratio benignitatis Dei, & voluntatis in nos, qua docuit nos orare, præcipiens, vt patrem eum vocemus, & nos eſſe eius filios. Tum eſſe infinitum numerum eorum, qui orauerunt, & impetrarunt. Et licet indigni ſimus habemus optimum aduocatum Chriſtum pro nobis interce-

tercedētem propter quem confidendum eſt conceſſurum omnia vitę poſtulata. Denique quod Spiritus ſanctus auctor eſt noſtræ præcationis, quo clamamus Abba pater, immo, & ipſe gemitibus inenarrabilibus poſtulat pro nobis. Demum ad impetrandum requiritur adimpletio legis Dei, & conformitas cum eius voluntate, vt Chriſtus dixit, ſi verba mea in vobis manſerint quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis.

Modvs orandi optimus eſt, in ſpiritu, & veritate, hoc eſt flagranti voluntate, ſiue oratio ſit mentalis, ſiue vocalis, ſed præcipuum locum obtinet mentalis, quam Deus audit ſicut cogitationes, qualis erat illa David, tibi dixit cor meum. Vocalis etiam eſt vtilis, & neceſſaria. Nam excitat, & auget ſancta deſideria; In priuata oratione ceſſare poteſt pronunciatio linguæ, non tamen in publica; quia fit ad excitandam populi deuotionem. Modus orandi Ethnicorum, & Hypochritarum reprehenditur a Chriſto, illorum, quia exiſtimant in multiloquio exaudiri, horum vero, quia in plateis orabant, vt viderentur. Vnde in abſcondito orandum, ne quid extrinſecum orationem impediat. Item oportet aſſidue orare, & non deſiſtere, etiam ſi ſemel, & iterum orantes non impetremus. Petendum eſt etiam in nomine Chriſti, vt ipſe docuit, quid quid petieritis patrem in nomine meo dabit. Tandem cum oratione coniungenda eſt Eleemoſyna, & ieiunium.

PATER NOSTER QVI ES in Cælis.

HOc eſt Prohemium precationis a Chriſto edoctæ, vt oremus, & breuiſſimum verbis, ſed ſententijs miſterijſque pleniſſimum, & grauiſſimum.

Pater vocatur non Dominus, aut Creator, quia hæc maieſtatis verba poſſent timorem efficere, ſed pater, quod fiduciam, & amorem affert. Quod verificatur ex creatione, gubernatione, & redemptione. Pater dat eſſe, curat de neceſſarijs filij, ſed hæc omnia pfecte præſtitit Deus nos creando ad imaginem ſuam, & gubernando, ergo iure pater hominum vocatur. Cura probatur ex Angelorum cuſtodia, patres ſi periculoſa via iter faciendum ſit, adhibent filijs cuſtodes, & adiutores. Atqui Deus in hoc itinere quo ad patriam pergimus, cuilibet homini Angelum præpoſuit, cuius ope rectum iter teneat, & a malis liberetur; ſicut fecit cum Tobia, & cum D. Petro quem de carcere eduxit (ex quibus viſis alia non viſa innumerabilia ab Angelis cuſtodibus effici credenda ſunt) ergo curam gerit hominum. Neque illam depoſuit etiam offenſus; nam primis hominibus è paradiſo expulſis fecit tunicas pelliceas, quibus induerentur, patria charitate, ergo nō derelinquit. Vnde cum maxime nos derelictos arbitramur; tunc pro immenſa ſua bonitate nos quærit. Igitur fit illi iniuria exiſtimando hominum obliuiſci. Ad hæc omnia opera redemptionis melius præſtit; Nam per baptiſmum naſcimur filij Dei, & dedit credentibus poteſtatem filios Dei fieri, & nominari. Item non in proſperis, ſed aduerſitates mittendo, conſeruat amorem. Nam non facit hæc, vt hoſtis, ſed vt pater corrigit, & caſtigat, vt meliores faciat pcutiendo ſanat, plaga eſt medicina, vt ab æterna punitione liberet. Quare non eſt accedendum ad orationem, vt timidus ſeruus vadit ad Dominum, ſed tanquam filius voluntarius ad patrem confugiens. Vn

de vere, tanquam Creator, Gubernator, Redemptor, cum amore, obedientia, veneratione, & fiducia pater a nobis inuocandus eſt.

Noster ſignificat omnium fidelium Deum eſſe patrem; nam idẽ Dominus omnium. Sequitur omnes fideles eſſe fratres; nam fratres illi ſunt filij eiuſdem patris; atqui habemus eundem patrem, eũdem ortum, per baptiſmum eandem patris nobilitatem, eandem paternam hæreditatem, ergo vere fratres. Vnde nemo ſe debet præferre alijs inſolentius, nam diuerſitas officiorum non tollit fraternitatem, quia idem eſt pater diuitum Regum, & pauperũ, (quod eſt ſolatium pauperum.) Immo & Chriſti fratres ſumus, quia homo eſt, propter quod, poſt reſurrectionẽ non confunditur eos vocare fratres, cum dixit dicite fratribus meis, aſcẽdo ad patrem meum, & patrem veſtrum, & conſequenter cohæredes Chriſti, qui eſt hæres vniuerſorum. Sed curandum ne degeneremus a dignitate filiorum patris adeo nobiliſſimi.

Qui es in caelis, vbique eſt Deus cælum, & terram implens, omnia conſeruans, ideo potentia, eiuſque natura eſt vbique. Non tanquam corpus cuius vna pars occupat vnum locum, & altera alterum, quia eſt ſpiritus carens diuiſione, ideo non poteſt contineri a loco. Dicitur nihilominus, domicilium habere in cælo, ad ſignificandam infinitam eius maieſtatem, & potẽtiam, quæ in corpore relucet. Sunt enim nobiliſſima mundi pars, propter magnitudinem, pulchritudinem, & incorruptionem, & ad ſignificandum illuc eſſe fidelibus aſpirandum eaq; eſſe petenda, quæ ad cęleſtem illam vitam diriguntur.

SANCTIFICETVR nomen tuum,

HÆC eſt prima petitio, nam ſummum bonum primo loco eſt deſiderandum eiuſq; honor, & gloria omnibus rebus anteponenda. Deus nullo bono in ſe caret, ideo tria extrinſeca Deo in prioribus petitionibus poſtulantur, ſcilicet, Nomen, Regnum, Obedientia, & tria ſunt Dei nomina laudanda, Deus, Sanctiſſima Trinitas, & Ieſus Chriſtus. Senſus igitur eſt augeatur ſanctitas, & gloria nominis Dei, nam licet in ſe ſanctum ſit, in terris interdum inhonoratur, laudetur ergo, & honoretur mente, & ore ſicut cæleſtes ciues Deum honorant. Item nomen ſanctiſſimæ Trinitatis omnes agnoſcant mortales, & in eius nomine baptizentur. Tandẽ Chriſti nomen, eiuſque religionem omnes ſuſcipiant, & agnoſcant, relictis erroribus, ſanctamque Eccleſiã Catholicam eius ſponſam, in qua ſola ſunt ſanctificationis Sacramenta, & imploratio vnici nominis Ieſu Chriſti, ſub quo ſolo ſaluari poſſunt homines.

ADVENIAT REGNVM tuum.

TRIA proprie ſignificat hic regnum Dei, regnum fidei, regnum gratiæ, & regnum gloriæ.

Regnum vocantur ſubditi habentes regem, cui obediẽrunt, dantem leges, & defendentem, & tales ſunt fideles, ideo regnum Dei ſunt.

Gratia eſt pretioſa margarita Euangelij, qua Deus in nobis regnat, humiliter petenda. Quamuis

ſatis

ſatis nõ eſt petere, niſi homines ſint adiutores gratiæ. In hoc regno ſunt exercitus inuiſibiles Angelorum nos in pugna adiuuantes, & Sacramenta pleniſſima virtutis cæleſtis, tanquam arma ad vincendum Diabolum, eiuſque milites.

Gloriae regnum eſt perfectũ, quo in anima, & corpore Deus regnat, in quo ſtabiles in virtute erimus abſque vitijs, non ſicut in hac vita in qua ſæpe cadimus a gratia, ſine qua non poteſt regnare in aliquo Dei gloria. Nam gloria eſt gratia perfecta, & conſumata. Quæ maxime deſideranda eſt, quia vita præſens eſt plena miſerijs, hic ſumus exules; vbi habitant dæmones infeſtiſſimi propter odium in humanum genus, & viuimus cum timore ne cadamus; Eſt etiam perpetua pugna, carnis, & ſpiritus, de qua dixit Apoſtolus infœlix homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Infœliciores enim ſumus reliquis creaturis, cum illæ non abhorreant proprias, & naturales actiones, neque a fine ſibi conſtituto deflectant, ſicut miſer homo. Vnde orandum eſt adueniat Domine regnum tuum, hoc eſt regna per fidem in ijs, qui sũt extra Eccleſiam; Item Sathanæ tolle imperium, vt nullam in nobis habeat poteſtatem, ſed vincat, & triũphet Chriſtus per gratiam, vſque ad vltimum vitæ, vt tandem ad domum cæleſtis Regis perueniamus per gloriam. Sed non ſufficit petere ſicut virgines fatuę, niſi adhibeamus media.

FIAT VOLVNTAS TVA.

Hic poſtulamus tria.

Primvm adiutorium gratiæ, ad obediendum Dei mandatis, quę nomine voluntatis Dei intelliguntur, & Scholaſtici voluntatem ſigni appellãt, ideſt, quod Deus iubet, vel monet, ad quod neceſſariũ eſt auxiliũ ſupernaturale. Nã homo poſt peccatũ primi parentis remãſit adeo infirmus ad actiones bonas (in quibus voluntas Dei conſiſtit) quod eas refugit, & ad actiones prauas vitiorum ita eſt inclinatus, vt iudicet eſſe dulcia cum ſint noxia, illa vero quæ vere bona ſunt iudicet amara, ſicut facit ægrotus. Vnde non poteſt actiones ſani efficere, niſi aliqua leuia nullius momẽti. Rurſus iuſtificationis gratia ſanat mentẽ, ſed nõ carnem, vt non excitentur cupiditates, propter fomitem in mẽbris noſtris. Igitur ne conſentiamus, ad auxilium diuinum confugiendum eſt.

Secvndo ne ſinat nos perficere voluntatem noſtram ſenſualem hoc eſt opera carnis, quæ vera mala ſunt; immo neque quæ videntur bona ſuadente dæmone, neque quæ voluntas noſtra vult, etiam ſi ſit bonum conſeruans naturam, ſi ſit contra Dei voluntatem, ſed ad Chriſti imitationem, conformet cum ſua voluntate.

Tertio petitur, vt orbis terrarum cognoſcat miſterium Incarnationis, & Dei voluntatem. Item vt forma obedientiæ noſtræ ſit ad modum ciuium cæleſtium, qui cũ ſumma lætitia Deo obediunt; non ſicut illi, qui pretij cauſa ſeruiunt, ſed cum ſummo amore, ſicut illi, qui nihil inſpiciunt præter bonitatem, & excellentiam eius, cui ſeruiunt. Et quamuis ſperetur pręmium, ſit, quia illi placet, & ad illum amandum. Ratio horum eſt, quia cum ſumme bonus ſit, & omnia bene fecerit, etſi rationes eius non aſſequamur, ſanctiſſima tamen, & veneranda eſt eius voluntas. Quare in ſimplici Dei voluntate, quieſcendum eſt, propriumque iudicium eſt ei ſubijciendum, etiam ſi

paupertate perſecutionibus infirmitate præmamur; cum ſine voluntate beneplaciti Dei, accidere non poſſint; qui melius nobis conſulit, quam optare poſſimus; ſemper in ore habentes, non mea voluntas, ſed tua fiat; & ſicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.

PANEM NOSTRVM QVOTIdianum da nobis hodie.

IN hac, & ſequentibus petimus, tam corpori, quam animæ neceſſaria ad hanc vitam tuendam.

PANIS nomine ſignificantur multa, quibus indigemus poſt peccatum, vt cibo, veſtitu, tecto, medicinis, & alijs. Vnde error eſt aſſerere, non licere petere temporalia. Quia eſt contra ſententias Sanctorum Patrum, & contra illud: mendicitatem, & diuitias ne dederis, ſed victui neceſſaria. Tamen non ſunt petenda tanquam bona noſtra; neque eo animo, vt ſint finis, nihil vltra requirentes, quia eſſet peccatum; ſed tanquā neceſſaria noſtra, vt ait S. Auguſtinus. Senſus ergo eſt, da nobis, non abundantem, & exquiſitam ciborū copiā, ſed neceſſaria. (Et NOSTRVM) hoc eſt, non alienum fraude, aut iniuſtitia comparatum, ſed iuſto labore factum noſtrum. Quotidianum vero, & HODIE petimus; Nam homo ſibi prouidere non poteſt, ſua tantum opera in vnum diem, niſi Dominus benedixerit; manet enim adhuc horrenda illa ſententia, maledicta terra in opere tuo, tribulos, & ſpinas germinabit tibi. Diuites autē, etſi habeant copiam neceſſariorum, opus habent, ſic orare ne illa amittant, & vt ſalutarem vim pani tribuat, qua corpori proſit, & corpus animæ ſeruiat; vita namque, & ſalus noſtra ex Deo pendet. Item petimus pro omnibus, illo verbo (NOBIS) quia Chriſtianus non ſolum pro ſe ſollicitus eſſe debet, ſed etiam de bono proximorum. Nam bona diuitibus tribuuntur, non vt ipſi ſoli illis vtantur, vel, vt luxurioſe viuant, ſed, vt cum alijs communicent, quæ ſibi neceſſaria non ſunt. Hinc illud Ambro. & Baſil. Eſurientium panis eſt, quem tu detines, nudorum indumentum, quod tu recludis, miſerorum redemptio eſt pecunia, quam tu in terram defodis.

PANIS ſpiritualis animæ etiam petitur, & eſt multiplex; Alius eſt verbum Dei. Et hunc cibum non retinere, ſicut corporalem, eſt mortis ſignum. Eſt etiam cibus animæ Chriſtus, quia lætitiam magnam efficit impijs mentibus, cum in moleſtijs verſantur, vt in Apoſtolis gaudentibus, quod pro nomine Ieſu patiebantur. Sed præcipue Chriſtus in Euchariſtia panis eſt viuentium fide, & charitate. Vocatur quotidianus, quia quotidie offertur in Eccleſia, vel quia quotidie ſumendus. Vnde Ambro. ſi quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis?

DIMITTE NOBIS DEBITA noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

HACTENVS poſtulationes fuerunt bonorum; ſequentes vero ſunt, vt à malis liberemur.

Primo à peccatis, quæ ſignificantur per debita, vt liberemur non ſolum a culpa, ſed a pœna debita. Et conſequenter petimus omnia ad hoc neceſſaria, vt donum vere pœnitentiæ, intimum dolorem, odium peccatorum, facultatem vere, & pie confitendi Sacerdoti, & reconciliandi cū ini-

inimicis. Ad quæ impetranda opus eſt recognitione dolore, & ſpe. Primo recognitione peccatorum. Nam ſi dixerimus, quod peccatum non habemus ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Vnde non ſolum humiliter, ſed veraciter confitemur nos eſſe debitores Deo, dicendo, dimitte nobis debita, ſecundum Conc. Mileui. aliter mentiretur, orans, labijs poſtulans velle dimitti, corde autem dicendo non habere, quæ ſibi dimittantur. Secundo dolore, vt publicanus, & peccatrix. Quem iuuat conſideratio turpitudinis, & incredibilis audaciæ noſtræ, qui cum nihil ſimus, niſi fœtida caro, audemus Dei immenſam maieſtatem offendere, & abijcere a nobis, a quo creati redempti maximiſque, & innumerabilibus beneficijs affecti ſumus, & inimico crudeliſſimo, tyrannoque, in miſerrimam ſeruitutem tradi. Conſideranda ſunt etiam mala, in quæ per peccatum incidimus: violatur ſanctitas animæ Chriſto deſponſatæ, profanatur templum Dei. Et hinc ſequitur ira Dei in animam operantis malum; Nam licet actio peccati tranſeat permanet peccati macula, & reatus, quam ſequitur ira Dei, ſicut vmbra ſequitur corpus. Quare cum dolore tantorum malorum orandum, dimitte nobis debita noſtra. Tertio non deſperandum de venia ſicut Caim, & Iudas Deum vltorem non miſerem exiſtimantes, immo cum ſpe confugiendum ad eum, non tanquam ad iudicem, ſed tanquam ad patrem, vt nobiſcum agat, non ex iuſtitia, ſed ex miſericordia cum Dauide dicendo, Miſerere mei Deus. Iuuat etiam conſiderare Chriſtum reliquiſſe in Eccleſia poteſtatem remittendi peccata. Et niſi paratus eſſet ad parcendum pœnitentibus, non docuiſſet hanc precationem. Eſt tamen adeo beneficentiſſimus pater, vt quamuis homo abiecta obedientia ordinem diuinæ ſapientiæ perturbauerit, non ſolum declarauit ſe velle ignoſcere, ſed impulit, vt veniam petamus. Sequitur neminem poſſe Deo ſatisfacere, neque exoluere peccati debitum, niſi confugiendo ad Dei miſericordiam, & Chriſti ſatisfactionem in Cruce perſolutam precio ſanguinis ſui, a qua omnis ſatisfactio emanat, & communicatur nobis per ſacramenta, ſine qua nemo vnquam veniam impetrauit. Illa verba (SICVT & NOS DIMITTIMVS) habent vim ſimilitudinis, & conditionis; hoc eſt, ſicut dimittimus iniurias dimittas nobis, vel dimitte ſi dimittimus. Ratio enim docet tales nos eſſe debere cum alijs, qualem Deum eſſe nobiſcum cupimus. Nihilominus tamen etſi aliqui nō ignoſcant, non ideo relinquere debent hanc precationem, quia petitur mēs, & omnia neceſſaria ad ignoſcendū. Et quia fit nomine Eccleſiæ, in qua ſunt pij, qui debita remittunt. Vnde peccati remedia ſunt Pœnitentia, Euchariſtia, cum Eleemoſyna, quæ purgat peccata, & facit inuenire miſericordiam, & remiſſio iniuriarum.

ET NE NOS INDVCAS *in tentationem.*

NON petimus, nō tentari, quia tentatio eſt vtilis ad infirmitatem noſtram cognoſcendam, & ad coronam. Et quoniam tentationibus ſubiecta eſt vita humana, quod hæc petitio ſupponit; In multis bellis, & periculis verſari animam, dum eſt in hoc mortali corpore. Eam oppugnat, Caro, Mundus, & Sathanas, ita vt difficillimum ſit plagam aliquam grauem non accipere. Præſertim Dæmon, & interdum plures ſimul aggrediuntur hominem; pri-

primos homines è paradiſo eiecerunt, Apoſtolos adorti ſunt, & ipſum Chriſtum Dominum tentare nõ erubuerunt. Sed præcipue tentant eos, qui ſe Deo dedicarunt, ſingulis momentis inſidias parantes, & immani odio perſequentes, vt cœleſti hæreditate priuent. TENTARE hic ſumitur in malam partem, pro impellere ad peccandum, quod eſt officium Diaboli, & Deus, hoc modo non tentat, neque inducit, quia intentator malorum eſt.

Petimus ergo victoriam tentationum, quæ conſilio, aut hominum viribus haberi non poteſt, cum ſint infirmæ ſine Dei auxilio, quo aliquando deſtituimur iuſto Dei iudicio, merentibus id peccatis noſtris, noſque relinquens cadimus; Et hoc modo dicitur Deus in tentationem inducere, hoc eſt non impediendo cum poſſit. Cum ergo petimus, ne nos inducas in tentationem, ſenſus, eſt ne nos deſeras, nec permittas cadere, ne decepti conſentiamus, immo ſit præſto tua gratia, quæ nos reficiat cum vires defecerint. Et ne nos tentari ſinas ſupra id, quod poſſumus; ſed patriam curam in nos exerce; ne declinemus de via Domini; ſed tam in proſperis, quam in aduerſis conſtantiam ſeruemus. Vnde de proprijs viribus eſt diffidendum, & ſpes victoriæ in Dei adiutorio eſt collocanda. Quę a faucibus dęmonis multos liberauit, vt Ioſeph ab inſana muliere, Suſannam ab iniqua ſententia, quia fiduciam habebat in Domino. Ad hoc proponendæ ſunt victoriæ ſanctorum de quibus Apoſtolus ad Hebræos, quas reportarunt homines, fide, ſpe, & charitate præſtantes. Itẽ ſolatium, quod habemus Pontificẽ adiutorem, qui poſſit compati infirmitatibus noſtris, tentatum per omnia. Tandem proponendæ coronæ victoribus præparatę, vt illa vincenti dabo Mãna. Arma ad vincendas tẽtationes ſunt, labores, vigiliæ, abſtinentiæ, continentia, caſtitas, orationes, implorando Dei auxilium, non ſolum in genere, ſed in qualibet ſpecie tentationis, vt Dauid faciebat cõtra mendacium; Ne auferas de ore meo verbum veritatis. Contra auaritiam; Inclina cor meum Deus in teſtimonia tua, & non in auaritiam. Eſt etiam ſolatium, quod non poteſt tentare Diabolus quantum vult, nec quamdiu vult; ſed omnis eius poteſtas Dei voluntate, & permiſſione gubernatur, vt patet ex hiſtoria Sancti Iob, vbi licentiam tentandi cõceſſit, ſine qua, neque porcos inuadere potuiſſet.

SED LIBERA NOS A *malo.*

HIc a malo pœnę petimus liberari.

NON quidem a malis, quæ vtilia eſſe poſſunt, vt ſtimulus carnis Apoſtolo datus, vt perficeretur virtus; ſed ab alijs quæ nullam vtilitatem animæ afferre poſſunt, ſiue intima, ſiue externa; vt ab aqua, ab igne, a fulmine, ne grando noceat frugibus, ne annonæ caritate, bellis, ſeditionibus, morbis peſte, vinculis, carcere, exilio, proditionibus, cæteriſque incommodis (quibus plena eſt præſens vita) premamur. Secundo petimus ne illa, quæ putantur bona, vt diuitiæ, honores, valetudo, in malum animæ conuertantur. Tertio ne morte repentina opprimamur. Ne iram Dei in nos concitemus. Ne in ſupplicia impiorum incidamus. Ne igne Purgatorij torqueamur. Vnde Eccleſia in Miſſa, & Litanijs, orat; Libera nos quæſumus Domine ab omnibus malis præſentibus, præteritis, & futuris; Liberat autem mul

tis.

tis modis, vt prohibendo calamitates, vel ſolatia mittendo in aduerſis, vel in ſummo periculo poſitos, incolumes, illæſoſque conſeruando, ſicut tres pueros a flammis. Non eſt tamen petendum, tantum animalis liberari, omiſſis gradibus prioribus, contra Christi iuſſum præcipientis, vt primum quæramus regnum Dei, & ſanctificationem ſui nominis poſtulemus: & depulſionem malorum ad gloriam Dei referentes, vt ille; Domine ne in furore tuo arguas me; quia in inferno non eſt, qui confitebitur tibi. Christiani non ſicut Infideles precantur, qui licet inuocent Deum præcipuam ſpem ponunt in remedijs, ſed agnoſcunt Deum auctorem bonorum, & liberatorē malorum, in quo reponunt ſpem recuperandæ ſalutis, non in medicamentis, quæ tantum proſunt quantum Deus voluerit. Poteſt etiam per malum Dæmon intelligi, ſecundum Baſil. Chryſoſt. Auguſtinum, quia eſt auctor mali culpæ, & malorum, quæ nobis a proximis veniunt, nam eos impellit. Et quia eo miniſtro dat Deus malum, quod infert hominibus propter peccata. Et quamuis fide, innocentiaque animis nocere non poteſt, tamen nullum finem facit tentandi externis malis, atque vexandi. Ideo precamur, vt a malo iſto nos liberet. Quod ſi non liberemur patienter mala ſuſtinenda ſunt, quia Deo placet; nec indignari debemus; ſed exiſtimare eſſe vtile, & ſalutare, etſi aliter nobis videatur. Immo parati eſſe debemus ad omnes calamitates, non ſolum toleranter, ſed etiā gaudenter ferendas.

AMEN.

VOx eſt Hebræa, & finis orationis Dominicæ, ſignificans preces noſtras exaudiri. Placuit Spiritui Sancto, vt retineretur iſta vox, quia freqūes fuit in ore Saluatoris, Eſtq; quaſi reſponſum Dei cum bona gratia dimittentis orantem; ſenſus eſt; ſcito tuas eſſe exauditas preces. Patet ex Eccleſiæ conſuetudine, quæ in Miſſa cum pronunciatur oratio Dominica; Miniſter reſpondet; Sed libera nos a malo; Sacerdos vero tanquam Dei interpres reſpondet (Amen) hoc eſt Deum eſſe exoratum, ſiue poſtulationi cōſenſiſſe, Vnde ſeptuaginta interpretes pro Amen, traduxerunt fiat.

EPITOME INSTRVCTIONIS SACERDOTVM.

Illuſtriſſimi Cardinalis Toleti.

ADIVNGERE Catechiſmo Epitomem iſtam neceſſariū exiſtimaui, quia Catechiſmus in multis remittit ſacerdotem ad ſummas virtutum, & vitiorum, quæ ex Cardinalis Toleti Inſtructione accipi poſsūt, qui accommodata methodo doctrinam vſu receptam in Alma Vrbe, & Eccleſia tradit. Quæ cognitio ad presbiterorum ordinationem requiritur ſecundum Conc. Triden. vt ſupra

pea dictum eſt lib. 2. qua idonei comprobentur ad Sacramenta adminiſtranda, & populum docendum; & quia horum ignoratio poſſet ei nocere in ſeruitio Eccleſiarũ pro quarum neceſſitate, vel vtilitate ordinantur; in quibus multoties occurrunt varia dubia etiam in vſu ordinum: neque decet in omnibus mendicare conſilia, quæ ad officium pertinent, neque interdum commode fieri poteſt, ſed decentius eſt noſſe. Hæc Inſtructio tria continet; Quid ſit Sacerdos, & quę ſint eius poteſtates, & officia primo in genere poſtea in ſpecie de quibus Epitomatis breuitate dicendum eſt.

DE SACERDOTE EIVSQVE poteſtatibus, & officijs in genere.

SACERDOS eſt vir ordinatione diuina deputatus ad cultum Dei. Cultus Dei eſt reuerentia, tam interior, quam exterior Deo exhibita propter eius excellẽtiam, quę in tribus potiſſimum conſiſtit, in ſacrificio laudibus, & Sacramentis, quibus dominium ſupremum redẽptionem, ſalutemque noſtram ab eo procedere confitemur. Relictis veteris Teſtamenti Sacerdotibus.

POTESTAS ſacerdotum noui Teſtamenti duplex eſt, Ordinis, & Iuriſdictionis; poteſtas Ordinis eſt ad conſecrandum corpus Chriſti verum, & conferendo Sacramenta; Iuriſdictionis vero eſt ad Excommunicandum, abſoluendum, diſpenſandum, ad conferendas Indulgentias, & leges Eccleſiaſticas condendas. Prima eſt in omnibus Sacerdotibus; ſecunda non, ſed in Papa, qui eſt primus Sacerdos, eſt pleniſſima in alijs pro vt ab illo ſunt delegati. Rurſum poteſtas Iuriſdictionis, alia eſt ordinaria, quæ competit ex officio, vt in Papa, & Epiſcopis, alia delegata quã quis habet ex commiſſione ſuperioris. Item ad poteſtatem Sacerdotum pertinent claues Eccleſię, Clauis ſciẽtiæ, & Iuriſdictionis. Clauis ſcientiæ eſt poteſtas ad examinandum, interrogandum de peccatis. Iuriſdictionis autem eſt poteſtas abſoluendi, ligandi, & aperiendi Cœlum, vel claudendi. Sicut in ſæculari iudice eſt poteſtas interrogandi reum, & obligandi ad manifeſtandum, & iudicandi, ferendi ſententiam, & executioni mandandam.

OFFICIA Sacerdotis ſunt, celebrare diuina officia, adminiſtrare Sacramenta, & de neceſſarijs ad ſalutẽ homines inſtruere; ſed quia prius eſt ſolutum eſſe ab omnibus impedimẽtis, & recte diſpoſitum, hæc primo tradenda ſunt.

IMPEDIMENTA OFFICIORVM Sacerdotalium.

DVPLICIA ſunt quędam impediunt adminiſtrationem Sacramentorum, & vſum, vt Cenſuræ, Irregularitas, defectus Iuriſdictionis. Quædam non vſum, ſed rectum, ac licitum vſum impediunt, vt peccatum mortale. Cenſuræ Eccleſiæ ſunt, Excommunicatio, ſuſpenſio, Interdictum a quibus incipiendum eſt.

DE EXCOMMVNICATIONE.

OCTO capita ſcienda ſunt, Quid ſit, & quotuplex, & quattuor eius cauſæ excommunicans, excommunicatus, forma excommunicandi, & propter quid ſit excommunicandum. Item effectus, & abſolutionis remediũ, poſtea de varijs excommunicationibus.

Ex-

Excommvnicatio eſt cenſura ſiue pœna Eccleſiaſtica, qua priuatur Chriſtianus bonis omnibus fidelium. Quæ duplex eſt, maior, & minor. Maior eſt priuatio Sacramentorum actiue, & paſſiue, ſacrificiorũ, & orationum quæ pendent ex diſpoſitione Eccleſiæ, atque externa conuerſatione. Anathema Græce, & excommunicatio Latine, idem ſunt quantum ad vinculum, ſolum differunt in ſolemnitate, quod anathema fertur a ſolis Epiſcopis ad maiorem terrorem. Quæ item duplex eſt alia a iure, alia ab hoĩe, & alia comminatoria, alia latæ ſẽtẽtię; ſi feratur verbis de futuro, vt ſub pœna excommunicationis, tunc eſt comminatoria; ſi autem feratur verbis de præterito, vt ſit excommunicatus, vel ipſo facto, tunc eſt latę ſententiæ. Item lata ab homine alia iuſta, alia iniuſta, & iniuſta, alia iniuſta valida, alia iniuſta inualida, ſiue nulla. Excommunicatio minor ſolum priuat receptione Sacramentorum. Ideo excommunicatus ea recipiens peccat mortaliter, poſſet tamen alijs adminiſtrare, quamuis eſſet irreuerentia. Effectus minoris excommunicationis eſt nõ poſſe eligi ad beneficium, quod ſi eligatur electio eſt nulla, vel ſecundum probabiliorem ſententiam annullanda. Poteſt tamen talis ſic excõmunicatus eligere, & excommunicare. Quæ contrahitur in ſolo vno caſu, nempe communicando cum excommunicato nominato, & denunciato, vel publico percurſore clerici. Et quando ſolum eſt veniale peccatum poteſt ab illa abſoluere quilibet ſacerdos ſimplex ſecundum Nauar.

Val. to. 4.

Excommvnicans debet eſſe perſona Eccleſiaſtica habens iuriſdictionem in foro exteriori non impeditam. Vnde Papa, Concilia generalia, & prouincialia, Epiſcopi, & ſuperiores religionum excommunicare poſſunt. Non tamen fœmina, laicus, neque ſimplex ſacerdos etiam Curatus niſi ex commiſſione, aut cõſuetudine. Excommvnicari poteſt ſolũ homo baptizatus, viuus, determinatus, inferior, ſubditus. Ex quo ſequitur animalia proprie excõmunicari nõ poſſe, neque Infidelem, aut Catechumenum, quia non ſunt de iuriſdictione Eccleſiæ. Neque ſeipſum poteſt quis excommunicare, neque mortuum, poteſt tamẽ declarari poſt mortem excommunicatio in vita contracta. Neque poteſt quis excommunicare ſuperiorem, neque vniuerſitatem, ciuitatem, aut collegium, quia communiter inueniuntur in multitudine innocentes. Forma quatuor poſtulat. Primo qđ præcedat trina admonitio. Secundo, quod fiat in ſcriptis. Tertio cum bona intentione. Quarto cum expreſſione cauſæ ſufficientis. Debetque fieri ad inſtantiam partis, quæ velit ligare; alias non ligat, quia officiũ Iudicis non excedit intentionem requirentis ſecundum Angelum. Cum prædictis circumſtãtijs iuſta erit excommunicatio ſi aliqua deſit, erit iniuſta. Quod ſi circũſtantia deficiens ſit eſſentialis, erit non ſolum iniuſta, ſed etiam inualida. & non ligat, neq; per ſe ſeruanda eſt, ſed per accidens in publico propter ſcandalum donec conſtet de nullitate. Quia iudicium iniuſtum non eſt re vera iudicium, quod obliget in foro interno, neque externo; ita vt tanquam excommunicatus ſe gerere debeat. Vt aſſerunt doctores de excommunicatione iniuſta a parte rei, non ligare apud Deum, neque apud Eccleſiam quantum ad ſuffragia, ſed ſolũ priuare Sacramentis. Quia non vult Eccleſia quempiam tanto damno iniuſte afficere. Circumſtantiæ eſſentiales ſunt in excommunicante poteſtas non impedita. Et in excommu-

nicato culpa, & peccatum nullaque iuſta excuſatio. Et in excommunicatione, vt ſit ſine errore. Vnde ſi excommunicans nō habet iuriſdictionem, vel illam habet impeditam per publicam cenſuram excommunicatio a tali lata eſt nulla. Item ſi excommunicatus habet priuilegium, vel appellauit, excommunicatio poſtea lata nulla eſt, quia priuilegium, & ius appellantis iuſta ſunt impedimenta, & excuſant. Quo fit, vt ſi vere non peccauit, excommunicatio ſit nulla. Tandem ſequitur quod ſi excommunicatio contineat errorem intolerabilem, ſit nulla; hoc eſt iuris, vel facti errorem in ea expreſſum, vt ſi notorie conſtat de falſitate facti, aut ſi fertur pro eo, quod in ſe bonum eſt, vel ſine admonitione, vt a peccato deſiſtat, quæ requiritur in lata ab homine; iuxta illud, ſi te nō audierit ſit tibi, tanquam Ethnicus, & Publicanus. Vnde CAVSA requiritur non leuis, ſed grauis, qualis eſt peccatum mortale, & præter hoc requiritur contumacia. Ex quo deciduntur multi caſus; vt quando certum eſt non peccaſſe mortaliter, certum eſt etiam non incurriſſe. Sequitur etiam ignorãtiam inuincibilem, & inculpabilē non ſolum facti, ſed tam iuris communis, quam particularis excuſare, ne incurratur excommunicatio in foro conſcientiæ. Quia quamuis peccetur contra Deum, ſed non contra Canonem Eccleſię, cum probabiliter ignoretur. Atqui Eccleſia non excommunicat, niſi inobedientes & contumaces; ergo tales non incurrunt; ſecus eſt de ignorantia craſſa, & vincibili eius, quod ſciri debuit, & potuit; nam hæc non excuſat. EFFECTVS excommunicationis, alij improprie, alij magis proprie, ita vocantur. Improprij (qui de natura ipſius excommunicationis potius ſunt) tres numerantur. Primus priuare communibus ſuffragijs Eccleſiæ. Sequitur non licere orare publice nomine Eccleſiæ, nec Miſſas dicere pro excommunicato, bene tamen, tanquam pro non membro Eccleſiæ ſecundum D. Tho. Secundus priuare vſu Sacramentorum actiuo, & paſſiuo. Tertius priuare externis bonis ſequenti verſiculo contentis. *Os, orare, vale, communio, menſa negatur.* Ideſt non licet cum excommunicato loqui verbis, nec ſignis, nec orationem ſimul facere in choro, aut officijs diuinis intereſſe; neque conferre ei Sacramenta, aut ab ipſo recipere, nec ſalutare, nec in vna menſa conueſci, nec in vno lecto dormire, nec contractus ciuiles cum ipſos cōtrahere. Sed eſt differentia, quod cōicare cum excōicatis in diuinis eſt mortale, niſi ſolum in vno caſu quando eſt periculum mortis, & metus dummodo non ſit in fidei contemptum. In humanis vero ſine cauſa, & abſque contemptu eſt veniale. Cum cauſa vero licitum eſt in caſibus ſequenti verſiculo contētis. *Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.* Sequitur licere hortari excommunicatum ad emendationem; & vxori, cum eo conueſci, colloqui, debitum reddere; & familiæ ei inſeruire, & quando occurrit neceſſitas animæ, vel corporis, licet cum eo communicare, quando ignoratur eſſe excommunicatum. Præterea limitata eſt iſta lex de non communicando, cum excommunicatis a Martino Quinto, ad duo genera excommunicatorum, ſcilicet, cum nominatim excommunicatis, & declaratis, aut notorijs percuſſoribus clericorum, & hic eſt vſus fidelium Romæ, & alibi. Vnde licet ſint notorie excommunicati, at ſi non ſunt declarati a iudice non tenemur illos vitare, etſi aliqui contrarium opinentur. Sequitur etiam eſſe diſtincta excommuni-

catum eſſe, & declaratum eſſe; primum poteſt eſſe abſque ſecundo. Et declaratio fieri debet ab eodem iudice, niſi ſit declaratio excommunicationis latæ a iure; nam hæc poteſt fieri ab ordinario. Tamen ſi excommunicatio eſt nulla non poteſt fieri declaratio; niſi ſit valida, & non ſit appellatū directe, neq; indirecte. Poteſt n̄ appellari non ſolū ab excōicatione, ſed ēt a declaratione. Nam appellatio habet tantam vim, vt ſecundum Doctores, ſi quis appellet ante conditionem impletam, ab excommunicatione lata, cum conditione ad certum diem, licite poſſit communicare etiam impleta. Appellatio vero poſt latam Excommunicationem impedit denunciationem ignorantis ſe eſſe excommunicatum non autem ſcientis. Effectus proprie dicti ſunt 13. Primo participans cū excommunicato in eodem crimine propter quod excommunicatur dando conſilium, auxilium, vel fauorem poſt commiſſum crimen, & contractam excommunicationem eandem incurrit. Secundo collatio beneficij facta excommunicato eſt nulla ipſo iure. Tertio non poteſt eligi ad beneficium. Quarto non poteſt exercere actum ordinis, vt celebrare, ordinare, confirmare, abſoluere, quod ſi faciat, fit irregularis. Quinto priuat actu iuridico teſtificandi, patrocinandi, procurandi, accuſandi. Sexto qui in ea moritur priuatur Eccleſiaſtica ſepultura. Septimo Clericus in ea perſeuerans vltra annum poteſt priuari beneficijs. Octauo conuentus de crimine, & excommunicatus ob contumaciam ſi per annū perſeueret cenſetur conuictus de crimine de quo fuit accuſatus. Nono per annum in ea perſeuerans cenſetur ſuſpectus de hæreſi, & poteſt contra eum procedi, iuxta Concil. Trid. ſeſ. 25. Decimo ſuſpectus de hę- *ca 3 de reform.*

reſi, & vocatus fugiens iudicium, & ob contumaciam excommunicatus, ſi per annum in ea perſiſtat, tāquam conuictus de hæreſi, eſt pronuntiandus hæreticus. Vndecimo non poteſt percipere fructus beneficiorum ſuorum, nec facit fructus ſuos quamuis titulum non amittat.

Absolvtio ab excommunicatione diuerſimode fieri poteſt, vt in articulo mortis, & extra illum; in foro exteriori tantum, vel in vtroq; foro; cum ſolemnitate, vel ſine illa, per vim, aut ſine illa. In articulo mortis quilibet ſacerdos poteſt abſoluere ab excommunicatione, & a peccatis præter hæreticū, & præciſum, ne pœnitentem decipiant. Quamuis ſecundum alios Docto. poſſunt etiā iſti, licet peccarent, quia Conc. Trid. nullum excipit ſacerdotem, ſed tenentur pęnitentem admonere, vt cū primum commode poſſit, ſi conualuerit ſe repręſentet coram ſuperiori, aliter reincidet. Et talis abſolutus etiam ſi fuerit hæreticus debet in loco ſacro ſepeliri. Extra mortis articulum, poteſt dari abſolutio in foro exteriori tantum a non ſacerdote, habente tamen iuriſdictionem. Quæ poteſt etiam dari cum conditione de præterito, ſicut baptiſmus, & hoc modo conceditur (ex benignitate iuris) abſolutio ad cautelam; id eſt ſi teneris aliquo vinculo excommunicationis abſoluo te &c. Quæ datur allegāti excommunicatum eſſe nulliter, petens tamen debet dicere cauſam in ſpecie, nullitatis, vt latam eſſe poſt appellationem, aut continere errorem. Ad abſoluendum in vtroque foro, id eſt ab excommunicatione, & a peccatis, neceſſarium eſt, vt abſoluens ſit ſacerdos. Item aut excommunicatio eſt lata a iure, vel ab homine. Si a iure, & eſt reſeruata poteſt abſoluere is cui eſt reſeruata: ſi non ſit reſeruata poteſt ordinarius, *Val. in in materia de confeſ.*

vel habens facultatem abſoluendi a mortalibus. Si ſit ab homine poteſt idem iudex, vel ſucceſſor, aut ſuperior. Et quando Metropolitanus abſoluit, quia appellatum eſt, prius citandus eſt excommunicans, & ſi iuſte excommunicauit ad illum met, remittendus eſt. Si iniuſte ſtatim debet abſolui. Si res eſt dubia conſtare debet de legitima appellatione; & ſi voluerit, poteſt abſoluere ad cautelam, ſed non eſt neceſſarium, quia tunc nulla fuit excõmunicatio. Sunt aliqui caſus in quibus neque excommunicans poteſt abſoluere; videndi ſunt apud Toletum. Cum ſolemnitate datur abſolutio in horrendis criminibus. Primo iurando de parendo mandatis Eccleſiæ, & faciendo ſatisfactionem pro facultate, vel dando cautionem ſufficientem, quando agitur de intereſſe partis. Poſt dicitur Miſerere, & Pater Noſter cum verberibus. Et ei præcipitur ne vnquam faciat cõtra illum Canonem. Deinde dicitur ſaluum fac ſeruum tuum. Et Domine exaudi. Et Deus cui proprium eſt &c. Vltimo. Ego te abſoluo ab excommunicatione, quã incurriſti propter hoc, & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ & cæt. in nomine Patris, &c. At hæc non ſunt de eſſentia, ſed verba quæcunque de præſenti ſignificantia voluntatem reſtituendi ad Communiones. Eſt differentia, quod ſi Epiſcopus iniuſte abſoluat, ſine cauſa ſufficienti, vt ſine ſatisfactione valet abſolutio, ſed male faciet, & corrigi debet. Similiter valet abſolutio excommunicationis a iure data ab eo cui competit de iure licet nõ fiat, quod Canon præcipit. At non valet ſi fiat ex commiſſione, immo eſt nulla ſi potuit ſeruari forma Canonis, etiam ſi ſit mortis articulus. Deniq; abſolutio obtenta per vim nihil valet, neque ſi cauſa expreſſa ſit falſa, vt ſi pœnitens mentiatur dicens ſatisfeciſſe; quia non intendit abſoluere, niſi ex cauſa tantum expreſſa. Satisfacienti vero ſtatim danda eſt.

Excommvnicationes Iuris, quædam ſunt reſeruatæ Papæ, quædam non, reſeruatæ præcipuæ ſunt, quæ fulminantur ſolemniter feria quinta in Cœna Domini. In quibus duo ſunt aduertenda, perſonæ quæ excommunicantur, & actiones propter quas excõmunicantur. Ad quorum exactam cognitionem videnda eſt Bulla, & doctores, nam hæc eſt breuis notitia, ne omnino ijs ignari Sacerdotes ordinentur.

EXCOMMVNICATIONES reſeruatæ in Bulla Cœnæ Domini per Sixtum Quintum.

Primo excommunicantur Hæretici, credentes eorum, defenſores, legentes libros eorum ſine licentia, & Schiſmatici. Secũdo, Appellantes ad futurum Cõcilium, vel fauentes. Tertio, Latrunculi maritimi in mari Eccleſiæ. Quarto, Arripientes naufragorum Chriſtianorum bona. Quinto, Imponentes, vel augentes Gabellas, ſine licentia Sexto, Falſarij litterarum Apoſtolicarũ. Septimo, Deferentes arma Infidelibus, vel Hæreticis. Octauo, Impedientes prouiſionem Romanæ Curiæ. Nono, Ledentes venientes, aut recedentes a Curia. Decimo, Inferentes damnum Romipetis. Vndecimo, Percutientes Cardinalem, Epiſcopum, aut Nuncium Papæ. Duodecimo, Lædentes recurrentes ad Romanam Curiam in negotijs, vel illa tractantes. Decimotertio, Recurrentes ad laicam poteſtatem, ad impediendas literas Apoſtolicas gratiæ, vel iuſtitiæ. Decimoquarto, Auocantes cauſas Eccleſiaſticas, aut ſpirituales a iudicibus deputatis a Papa,

pa, vel compellentes ad hoc litigantes. Decimoquinto, Seculares trahentes ad ſuum tribunal, & iudicium Eccleſiaſticos, vel impedientes executionem literarum Apoſtolicarum. Decimoſexto, Impedientes Epiſcopos, & Iudices Eccleſiaſticos, ne ſua Iuriſdictione vtantur, & recurrentes ad ſæculares, quibus libertas Eccleſiaſtica læditur, vel dantes fauorem, & auxilium. Decimoſeptimo, Vſurpantes bona Eccleſiaſtica, vel ſequeſtrantes abſque licentia. Decimooctauo, Imponentes, & exigentes tributa Eccleſiaſticis ſine licentia. Decimonono, Sæculares ſe interponentes in cauſis criminalibus Eccleſiaſticorum, proceſſando, ſententiando ſine licentia, & miniſtri eorum. Vigeſimo, Occupantes Vrbem Romæ, vel terras Eccleſiæ, aut damnum inferentes. Prædictos caſus reſeruat ſibi Papa, ita quod abſoluens ab aliquo illorum incurrit excommunicationem, niſi abſoluat in mortis articulo; & tunc ſatisfacta parte, & cum iuramento de obediendo præceptis Eccleſiæ; ſed non eſt reſeruata ſecundum Nauar. Item reuocat facultatē datam Epiſcopis in Concil. Trident. ſeſſ. 24. c. 6. abſoluendi ſubditos in foro conſcientiæ ab omnibus occultis ſedi Apoſtolicæ reſeruatis, præſertim a crimine Hæreſis. Vnde nō poſſunt a contentis in Bulla Cœnæ. Poſſunt tamen vigore Concilij abſoluere ab alijs Papæ reſeruatis ante Concilium, vel poſt, hic non contentis. Nam lex comprehendit etiam futura, niſi in reſeruatione ponatur clauſula. Non obſtantibus, vt Rota declarauit. Præcipit etiam Epiſcopis, & Ordinarijs, ſemel in anno publicare has literas, & confeſſarijs, vt trāſumptum habeant, & curent intelligere.

In decreto reſeruatur. Excommunicatio percutientis Clericum, vel Monachum. Extenditur ad mandantes, ratificantes, dantes auxilium, conſilium, fauorem, & non impedientes cum poſſint, & teneantur. Valet Nouitijs. Non autem Clericis habitum non portantibus, & enormibus ſe immiſcentibus. Excipiuntur percuſſiones fortuitæ, & ob defenſionem propriam inculpatam. Et percuſſio Clerici inuenti cū matre, filia, ſorore, vxore. Vel cum ignorantia probabili, quod eſſet Clericus, vel propter correctionem. Poteſt abſoluere Epiſcopus inter Clericos, & Prælatus, inter ſuos religioſos ſi ſit mediocris, vel leuis, non autem ſi enormis, vt mutilatio, aut cum ſanguinis effuſione ab alia parte, quam a naribus, vel ſi ſit percuſſio Epiſcopi. Poteſt etiam quando eſt impedimentum perpetuum adeundi Papā, vt ſenectus, ſexus muliebris. Et quando eſt temporale, ſed cum iuramento de eundo ſublato impedimento, quod ſi non faciat reincidet. Poteſt etiam Legatus a latere.

In Decretalibus, & ſexto, Reſeruatur excommunicatio perſiſtentis in ea per annum, lata a Delegato Papæ. Secundo, Falſarij. Tertio, ſcienter communicans in diuinis, ſponte cum excommunicato a Papa. Quarto, Incendiarij denunciati. Quinto, rapientes bona Eccleſiæ, cum fractione ſerarum. Sexto, nominantes in Senatorem Romanum, Dominū magnæ potentiæ. Septimo, imponentes taleas Clericis. Octauo, perſequētes Cardinales hoſtiliter, vel damnificantes, aut fauentes. Et dantes licentiam lædendi promulgatores excommunicationum, vel eas obſeruantes.

In Clementinis, & extrauagantibus, excōmunicantur cum reſeruatione Inquiſitores omittentes procedere contra delinquentes, contra iuſtitiam, & conſcientiam propter lucrum.

crum. Vel imponentes hæreſim, & propter hoc vexantes Secundo, religioſi adminiſtrantes Sacramentum Extremę vnctionis, vel Matrimonij, ſine priuilegio; & abſoluentes a culpa, & pœna excommunicatos a Canone, vel a Bulla Cœnæ; ſimiliter diſpenſantes in votis, abſque priuilegijs expreſſis Tertio, Clerici, vel Religioſi inducentes ad votum, vel iuramentum de ſepultura eligenda in ſuis Eccleſijs. Quarto, Domini tẽporales cogentes celebrare in locis interdictis, & cõuocantes populum ad hoc, vel non permittentes exire excõmunicatos. Quinto, exenterantes corpora mortuorum, ſecantes in fruſta, & elixantes Sexto, dantes, & accipientes pecunias, iocalia, epulas, pro ingreſſu monaſterij. Septimo, Simoniaci in ordine, aut beneficio, & procuratores, & non manifeſtantes. Octauo, mendicantes fratres trãſeuntes ad alium ordinem, ſine Papę licentia, excepto Carthuſianorum. Nono, affirmantes peccare mortaliter celebrantes Conceptionem Beatæ Mariæ, vel eſſe Hæreticos aſſerentes, ſine originali conceptam, aut oppoſitum, quia vtrumque teneri poteſt, quamuis verius ſit, non eſſe cum originali conceptam.

NON RESERVATAE.

IN Decreto, & Decretalibus. Excommunicãtur Gubernatores ſęculares admoniti ab Epiſcopo, & Clericis, vt ſeruent iuſtitiam, & non ſe corrigentes, ſed non eſt in vſu. Secundo, conſentientes electioni Papæ factæ a ſola tertia parte Cardinalium, Tertio, ſæculares imponentes onera Eccleſiaſticis, aut Iuriſdictionem, etiam temporalem Prælatorum tollentes, & etiam ſucceſſores, niſi intra menſem exceſſum purgarint. Quarto, Clerici, aut Religioſi profeſſi exeuntes ad audiendas leges, aut medicinam vltra duos menſes. Quinto, Sacerdos exercens officium Præpoſiti ſæcularis, ſi commonitus non vult ſe emendare. Sexto, ſpoliantes bonis naufragos Chriſtianos, niſi ſatisfaciant. Septimo, facientes ſtatuta, contra libertatem Eccleſiæ, & ſcriptores horum, niſi faciant delete, & facientes tales conſuetudines obſeruare. Octauo, Emens a Schiſmatico rem Eccleſiaſticam, vel ab eo recipiens beneficium, aut conſentiens ordinationi eius.

In ſexto. Mittens nuncium, vel ſcripturam Cardinali exiſtenti in Conclaui, vel ſecrete loquens ipſo facto. Secundo, Domini locorum, & Gubernatores, vbi Papa moritur nõ ſeruantes iura, de faciendo conclaui ſi per ipſos ſtat Tertio, perſequentes Eccleſiaſticos, aut cõſanguineos, vel pia loca, quia nolunt eligere, pro quo rogant. Quarto, Vſurpantes regalia, quæ Rex percipit ex Eccleſijs vacantibus. Quinto, deputati ad dirigendam electionem Monialium, niſi abſtineant ab ijs, ex quibus diſcordiæ oriri poſſunt. Sexto, procurãtes intromittere iudices cõſeruatores, præterquam in manifeſtis violentijs. Septimo extorquentes per vim abſolutionẽ, aut reuocationẽ cenſurę. Octauo, ficte facientes venire iudicem in domum mulieris pro teſtimonio. Nono, Compellentes Eccleſiaſticos ſubmittere illis, tãquam ſuperioribus bona Eccleſiæ in perpetuum. Decimo Exigentes Guidagia, vel Pedagia ab Eccleſiaſticis, ſine cauſa negotiationis. Vndecimo compellentes deſiſtere impetrantes literas Apoſtolicas, aut litigantes. Duodecimo Domini temporales prohibẽtes fieri obſequia communia Clericis Decimotertio Religioſi profeſſi dimittentes habitum, & magiſtri eos detinentes

nentes, in ſcholis audientes leges, aut Phyſicam. Decimoquarto ſepelientes hæreticos in Eccleſiaſtica ſepultura,& non ſunt abſoluendi, niſi extumulent. Decimoquinto Domini temporales cognoſcentes de crimine hæreſis, vel non obedientes Dioceſano, aut Inquiſitori in his. Decimoſexto mandantes occidere Chriſtianũ per aſſaſſinum etſi mors non ſequatur,& occidentes. Decimoſeptimo Eccleſiaſtici locantes domos vſurarijs. Decimooctauo concedentes repreſalia contra Eccleſiaſticos.

In Clementinis Excommunicantur occupantes fructus beneficij nõ pacifici ſequeſtratos per Ordinariũ, & impedientes ſententiam. Secundo ſepelientes mortuos tempore interdicti in Cœmeterio ſcienter, præter caſus iuris. Et non permittentes ſolui decimas,niſi deſtiterint. Tertio Regulares euntes ad Curias Principum, vt Prælatis, aut Monaſterijs ſuis damnum inferant. Et habentes arma intra ſepta ſine licentia. Quarto impedientes viſitationem Monialium, Quinto contrahentes Matrimonium ſcienter in gradu prohibito. Et Clerici, ac Religioſi profeſſi contrahentes per verba de præſenti. Sexto Inquiſitores extorquentes pecunias illicite, vel applicantes bona Eccleſiaſtica fiſco ob clericorũ delictum. Septimo Iudices facientes ſtatutum de ſoluendis vſuris,& non repetendis donec deleuerint. Octauo Religioſi mendicantes ſine licentia Papæ loca accipientes, aut ex intentione prædicantes, vt retrahant a ſolutione decimarum, neque facientes conſcientias de hoc. Nono Non ſeruantes Religioſi Interdictũ, ſcientes Cathedralẽ, aut Parochialem loci ſeruare.

In Extrauagantibus, excommunicantur impedientes Nuntios, aut Legatos Papæ. Secundo alienantes bona Eccleſiæ extra caſus iuris, Locantes vltra tres annos, ſed non eſt recepta ſecundum Silueſt. Tertio impugnantes literas Papæ, antequam coronetur.

In Concilio Tridentino, Excommunicantur ipſo facto imprimentes, mandantes, retinentes libros de rebus ſacris, ſine nomine Auctoris, examine,& approbatione Ordinarij, & ſui ſuperioris ſi regularis fuerit, & alijs iuxta cõſuetudinem loci. Seſ.4. Secundo Aſſerentes aliquam duarũ opinionum de Conceptione Beatæ Virg. eſſe hæreticam. Seſſ. 5. Eſt reſeruata Papæ. Tertio, Aſſerentes non eſſe neceſſariam Sacramentalem confeſſionem ante communionem habenti conſcientiã mortalis, habita copia Cõfeſſarij. Seſ.13. Cano.11. Quarto, Vſurpantes bona alicuius Eccleſiæ, aut beneficij, aut Montis Pietatis, vel impedientes. Seſſ. 22. c.11. eſt reſeruata. Quinto, Raptores mulierum. Seſſ.24 c.6. reform. Matr. Sexto, Cogentes ſubditos Matrimonia contrahere. Seſſ.24. cap.9. Septimo, Magiſtratus non dantes auxiliũ inuocatum ad clauſuram Monialiũ. Seſſ.25. cap.5. Octauo, Ingredientes Monaſteria Monialium abſque licentia, ibidem. Nono, Cogentes inuitam ingredi Monaſterium, vel ſuſcipere habitum,& impedientes ſine iuſta cauſa votum. Seſſ. 25. cap. 18. Decimo, Concedentes in terris ſuis locum ad duellũ inter Chriſtianos, & aſtantes, vel conſilium dantes. Seſſ.25. c.19.

SVSPENSIO.

Est Eccleſiaſtica Cenſura priuans vſu officij Eccleſiaſtici, aut beneficij. Eſt triplex. Prima ab officio ordinis, aut iuriſdictionis.

ctionis Secunda a beneficio. Tertia ab officio,& beneficio. Item alia eſt a iure, alia ab homine, & alia ipſo facto, alia comminatoria. Item aut eſt temporalis, aut perpetua. Demũ aut eſt ſuſpenſio a toto, vel a parte, vt a iuriſdictione tantum, &c. Regula ad cognoſcendas ſuſpenſiones eſt. Quod ſuſpenſus ſine limitatione intelligitur ab omnibus. At ſuſpenſus à maiori non eſt ſuſpenſus a minori; ſuſpenſus vero a minori, etiam eſt a maiori, quia præſupponitur vſus minoris ad maiorem, v. g. ſuſpenſus a Pontificalibus non ſuſpenditur a celebratione Miſſæ, ſed ab ijs, quæ ſunt propria Epiſcopi. Et ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ, non priuatur iuriſdictionalibus, neque celebratione extra Eccleſiam, neque facultate recipiendi Sacramenta, tranſeundi per eam, & orandi, quando diuina nõ dicũtur, ſed ne poſſit in ea audire diuina, vel exercere ordines. Item ſuſpenſus ab officio eſt ab ordine, & iuriſdictione, quia officium ſignificat vtrunque ſed poteſt intereſſe diuinis dummodo non officiet. Secus ſi ſimpliciter ſit ſuſpenſus a diuinis; nam tunc non poteſt intereſſe. Poteſt ſuſpendere, ſolum habens iuriſdictionem. Suſpendi poteſt ſolum perſona Eccleſiaſtica. Epiſcopi non incurrunt ſuſpenſionem iuris, niſi fiat ſpecialis mentio; poſſunt tamen incurrere excommunicationem, quod peius eſt. CAVSA propter quã eſt ferenda debet eſſe peccatum mortale. Differt ab excommunicatione in eo, quod poteſt ferri ſine contumacia in pœnam culpæ notoriæ. Debet tamen conſtare citata parte, & ferenda eſt in ſcriptis. Forma erit, ſuſpendo te, vel ſuſpendatur. Habet commune cum excõmunicatione, quod ſi feratur poſt legitimam appellationem eſt nulla. Et appellatio interpoſita ſuſpendit executionem.

EFFECTVS eſt. Quod exercens id in quo eſt ſuſpenſus peccat mortaliter. Etſi ſuſpenſio ſit ab ordine, & actum ordinis exerceat, fit irregularis. Non tamen ſi baptizet, vt laicus, quia non eſt actus ordinis. Similiter ſuſpenſus ab ingreſſu Eccleſiæ ſi audiat ibi diuina, peccat, ſed non eſt irregularis, quia audire non eſt actus ordinis. Secũdo ſuſpenſus ab officio non poteſt eligere, neque eligi ad beneficium, neque excommunicare. At ſuſpenſus a beneficio eligere poteſt, ſed non percipere fructus, niſi ad modicam ſuſtentationem, ſi ſit propter delictum, & reſiduum in Eccleſiæ vtilitatem eſt conuertendum. Quod ſi feratur propter contumaciam, ſuſtentatione priuatur, quia obediendo poteſt ſuſtentatione gaudere, & beneficium non poteſt adminiſtrare.

SVSPENSIONES IVRIS.

CLERICVS notorius concubinarius eſt ipſo iure ſuſpenſus ab officio, & beneficio, & etiã irregularis ſecundum cõem Doctorum. Vnde non eſt admittenda opinio non eſſe in vſu, ſed ſolũ eſſe ſuſpendendum. Immo in notorietate non requiritur citatio, neque declaratio ſecundum communem. Concubinarius eſt plus quam fornicator, habens fœminam modo vxorio. Quod ſi exerceat actum ordinis ante abſolutionem indiget abſolutione, & diſpenſatione ab alia irregularitate diſtincta, propter crimen celebrandi cum ſuſpenſione in qua ſolus Papa diſpenſat. In prima irregularitate ſecundum Nauarr. diſpenſare poteſt Epiſcopus de qua ſi ſolũ ſit abſolutus, & non diſpenſatus, tantum peccat celebrans. Præter has aliæ pœnæ ſtatuuntur in Tridentinó, *Azor. 2. p. lib 6. c. 7.*

vt infra. Secundo Epiſcopi Itali ordinantes Vltramontanum, ſine licentia Papæ, aut ſui Epiſcopi, ſuſpenduntur, vel ſine licentia ſui ſuperioris, ſcienter. Tertio conferens primam tonſuram infanti, aut illiterato, aut cõiugato, vel alienæ Diœceſis. Quarto recipiens ſacros ordines extra tempora, aut ſine legitima ætate, vel licẽtia. Quinto ordinans promittentem non eſſe vexaturum ordinantem. Sexto Clerici eligentes in Epiſcopũ, Curatum, vel dignitatem indignum in ſciẽtia, moribus, legitimate, ętate. Septimo, iudex excommunicans, ſuſpendens, interdicens, ſine ſcripto, & cauſa expreſſa. Octauo, excommunicationem promulgans, abſque preuia admonitione, & teſtibus. Nono, occupantes bona Epiſcopi mortui, vel vacationis, quę ſunt Eccleſiæ, aut ſucceſſoris. Decimo, prelati arripientes ad ſuos vſus, bona dignitatum vacantium, aut Eccleſiarum, niſi priuilegio, aut conſuetudine legitime pręſcripta. Vndecimo, iudex Eccleſiaſticus faciens contra iuſtitiam, & conſcientiam in damnum partis, prece, precio, odio, vel amore. Duodecimo, viſitatores accipientes munus, vltra ſuſtentationem, vel pro non viſitatis Eccleſijs procurationẽ, quæ ratione vnius diei vnica debetur. Decimotertio, Mendicantes fratres facientes ante annum profiteri. Decimoquarto, Iudex conſeruator immiſcens ſe in ijs, quæ non ſunt ſui officij. Decimoquinto, Epiſcopi, & ſuperiores non procedentes in crimine hæreſis gratia, aut commodo, vel odio vexantes. Decimoſexto, Preſidens Monaſterij eius iura concedens alicui, ſine vtilitate. Decimoſeptimo, Clerici partita, vel virgata veſte vtentes. Decimooctauo, Simoniace ordinati, & ordinantes.

In Concilio Tridentino, Epiſcopus exercens Pontificalia in aliena Diœceſi, ſine licentia, aut in perſonas Ordinario non ſubiectas, ſuſpenſus ipſo iure, & etiam ordinati, ſeſſ. 6. c. 5. Secundo, Epiſcopus titularis ordinans abſque conſenſu, aut dimiſſorijs ſui Prælati, ſimiliter, & ordinati, ſeſſ. 14. c. 2. Tertio; Epiſcopus ordinans alienum ſubditum, etiam prętextu priuilegij, ſine teſtimonio ordinarij, quo probitas, & mores commendentur, ſeſſ. 23. c. 8. Quarto, capitulum concedens licentiam ordinandi infra annum a die vacationis (niſi obligatis ratione beneficij) interdicitur, & ordinati in maioribus ſuſpenduntur, ſeſſ. 7. c. 10. Quinto, Abbas, vel exempti dantes licentiam ordinandi Clericis, ab alijs, quam ab Epiſcopis, in quorum Diœceſi ipſi ſunt, ſeſſ. 23. c. 10. Sexto, Sacerdos Matrimonio iungens ſponſos, aut benedicens, ſine Parochi licentia, ſeſſ. 24. c. 1. Septimo, præfecta monaſterij, ante profeſſionem Monialis per menſem, Epiſcopum certiorem non faciens, ſeſſ. 25. c. 17. Octauo, Epiſcopus a Synodo admonitus non ſe emendans a concubinatu ipſo facto ſuſpenſus, ſeſſ. 25. c. 14. Nono, ſecundum veriorem ſententiam, ordinatus per ſaltum ſcienter eſt ſuſpenſus. Quia Trident. ſeſſ. 23. c. 14. Concedit Epiſcopo facultatem diſpenſandi talibus in vtroque foro, ſi non miniſtrarunt. Ex quo ſequitur ante diſpenſationem, non poſſe miniſtrare in ſuſcepto, neque ad maiores progredi, nec ſuſcipere omiſſum. Quod ſi miniſtrent, ſine ea fiunt irregulares.

Tollitvr ſuſpenſio temporalis tranſacto tempore, abſque abſolutione. Non tamen excommunicatio. Quod ſi ſit lata, donec ſatisfaciat, declaratio Iudicis de ſatisfactione ſolum requiritur. Si eſt perpetua lata ab homine, neceſſaria eſt abſolutio ſuſpendentis, aut ſucceſſoris, vel

ſuperioris. Si eſt lata a iure non poteſt ab Epiſcopo tolli ante tempus, niſi a poteſtate æquali: ſi ſit reſeruata, is cui eſt reſeruata. Si non, ſed propter contumaciam poteſt Epiſcopus; ſi propter delictum, in quo non poteſt Epiſcopus diſpenſare, neque abſoluere poterit ſecundum veriorem ſententiam. FORMA abſoluendi non eſt determinata, ſed ſi intendat abſoluere, quibuſcumque verbis exprimatur valet. Communiter tamen fit dicendo; Abſoluo te a ſuſpẽſione, quam incurriſti propter hoc, & reſtituo te priſtinæ executioni ordinum, aut beneficiorum, in nomine Patris, &c.

DEGRADATIO eſt perpetua depoſitio ordinis. Reducitur ad ſuſpenſionem. Quæ non tollit characterem, ſed legitimum vſum, duæ ſunt ſpecies verbalis, & actualis. Verbalis fit tantum verbis, & poteſt a Vicario Epiſcopi fieri, ſecundum Trident. quod in hoc mutauit ius antiquum, ſeſſ. 13. c. 4. hac forma. Auctoritate Dei omnipotentis Patris, &c. & noſtra auferimus tibi clericalem habitum, & deponimus, & degradamus, expoliamus, & exuimus te ordine beneficij, & priuilegio clericali. Et debet fieri præſentibus Abbatibus, & Iuriſperitis, quando Canones requirunt cõuentum Epiſcoporum. Poteſtque in abſentia fieri, non tamen ſine accuſatione. Neque ferri poteſt, niſi propter crimen expreſſum in iure. Poteſtque talis ab Epiſcopo reſtitui, non tamen actualiter degradatus ſi a Papa. Actualis fit rebus, & verbis, denudando veſtibus, quibus fuit ordinatus. Vt auferimus tibi veſtem ſacerdotalem, & te ſacerdotali honore priuamus. Hæc non poteſt fieri, niſi ab Epiſcopo. Et traditur iudici ſæculari. Quæ fit propter tria crimina, propter hæreſim pertinacem, vel falſificationem litterarum Apoſtolicarum, vel contumeliam proprio Epiſcopo illatam.

INTERDICTVM.

EST Eccleſiaſtica cenſura, Sacramentorum vſum, diuina officia, & Eccleſiaſticam ſepulturam prohibens. vt bona ſunt Eccleſiæ. Eſt triplex; Locale, Perſonale, & Mixtum; Locale eſt duplex generale, vt Regni, Ciuitatis, ſpeciale, vt alicuius Eccleſiæ. Et tunc ſi perſonæ non ſint interdictæ, ſed locus poterunt in alio loco diuinis intereſſe. Item perſonale, aut interdicit omnes perſonas, vel aliquas tantum. Itẽ aliud interdictum eſt a iure, aliud ab homine. Interdicere poteſt habens iuriſdictionem Eccleſiaſticam Interdici poteſt, qui poteſt excommunicari. CAVSA debet eſſe peccatum grauiſſimum, vt inobedientia, & contumacia contra Eccleſiam; propter quod vult Eccleſia triſtes ſe oſtendere filios, quo magis confundatur, qui dedit cauſam, & facilius conuertatur. FORMA non eſt determinata, ſolet tamen ſequens adhiberi Interdicimus talem locum, ciuitatem, vel Clerum. Et faciendum eſt in ſcriptis cum expreſſione cauſæ rationabilis, & trina admonitione facta, ei cuius cauſa imponitur. Et cum Ciuitas interdicitur ſatis eſt intimari matrici. EFFECTVS generalis interdicti; Localis ſunt non poſſe publice officia diuina celebrari; Neque pulſari campanas (licet poſſint ad Aue Maria) neque organa. Poſſunt tamen dici ianuis clauſis ſub miſſa voce. Et predicatio publica haberi poteſt; quia nomine diuini officij non comprehenditur. Item non poſſe adminiſtrari Sacramenta, niſi Baptiſmum, Confirmationem, Pœnitentiam, at Extrema vnctio, Euchariſtia,

ſtia, non niſi in mortis articulo. Ad officia admitti non poſſunt, niſi Clerici, vel Priuilegium habentes; qui tenentur in feſtis Miſſam audire, cũ poſſint. Ex priuilegio Pontificum celebrari poſſunt diuina (tempore interdicti) In Natali Domini, in Paſchate, Pentecoſte, in octaua Corporis Chriſti, & Aſſumptione Beatæ Mariæ. Perſona interdicta priuatur Sacramento Ordinis, Extremæ Vnctionis, & Confeſſione, ſi nolit obedire, & ſepultura Eccleſiaſtica, & ſi ſcienter ſe immiſcet ſacris peccat mortaliter. Clericus violans interdictum, exercens maiores ordines mortaliter peccat, & eſt irregularis. Sæcularis non. In ſpeciali interdicto nõ licet officia celebrare, niſi ſemel vnũ ſacrum in hebdomada.

INTERDICTA IVRIS.

QVANDO Dominus aliquis impedit officium Nuncij Papæ, loca illius ſunt interdicta generaliter. Secundo quando Vniuerſitas exigit Guidagia, vel Pedagia a Clericis, pro rebus ſuis, non cauſa negotiationis. Tertio, quando quis dat fauorem inſecutoribus Cardinalium. Quarto, quando locus in quo Papa moritur, non ſeruat capitulum de electione in ſexto, quod claudantur Cardinales poſt decem dies. Quinto, quando locus detinet Epiſcopum inuitum, aut committit aliquid contra proprium Epiſcopum. Sexto, ſpirituale interdictũ incurritur, quando Clerici, vel Religioſi inducunt ad promittendam ſepulturam, relicto loco, quod habet Ius, donec reſtituant.

Tolli poteſt, ſi eſt ab homine, ab eo, qui impoſuit, vel a ſuperiore. Poteſt etiam ſuſpendi. Et tunc eſt ſeruãdum in ijs, quæ non tolluntur. Si eſt a iure, ab eo cui reſeruatur. Ceſſante cauſa, poteſt tolli ab ordinario. Non ceſſante a ſolo Papa. Si ponitur a iure, ad certum tempus, ante illud non poteſt tolli ab ordinario.

CESSATIO a diuinis, eſt ablatio diuinorum officiorum, & executionis ſacrorum, vt neque ſecreto dici poſſint. Eſt ſicut interdictum ſpeciale. Sed differt, quod ceſſatio, non eſt cenſura; Et in iure nunquam imponitur, ſed permittitur. Vnde fit, vt violans ceſſationem non ſit irregularis, ſicut violans interdictum. Imponere illam pertinet ad Epiſcopũ, non ad Capitulum, niſi ſede vacante conſuetudine, aut priuilegio; Et tunc omnes Canonici, debent conuenire, ſicut ad electionem, & multum conſiderare. Cauſa debet eſſe graue crimen contra Eccleſiam, cum contumacia, vt incarceratio Canonici, vel Presbiteri, impedire reditus Eccleſiæ, & ſimilia. Poteſt tolli ab Epiſcopo, ſi partes conueniant.

DE IRREGVLARITATE.

TRIA ſcienda ſunt, Quid ſit, & quotuplex, & quomodo tollatur.

Irregularitas eſt inhabilitas Iure Canonico introducta ad ſuſcipiendos ordines Eccleſiaſticos, vel ſuſceptos exercẽdos. Duplex eſt vna procedens ex defectu, altera procedens ex delicto commiſſo. Irregularitas ex defectu habet octo ſpecies. Prima ex defectu natalium hoc eſt, ex illegitimitate, quæ impedit ordines propter dignitatem Sacramenti ordinis, & propter criminis deteſtationem, periculum incontinentiæ, & propter ſcandalum. Secunda ex defectu originis hoc eſt eſſe ſeruum emptitium. Tertia ex defectu liberationis qua quis ligatus eſt Curiæ ad red-

dendam rationem propter crimen dolum, aut aliam cauſam. Quarta ex defectu ætatis legitimę, vt 21. annorum ad Subdiaconatum, 23. ad Diaconatum 25. ad Presbiteratum, & 30. ad Epiſcopatum. In qua ſolus Papa diſpenſare poteſt. Quinta ex defectu honeſtæ famæ, ſiue ſit infamia facti, ſiue iuris de crimine graui. Ad quam reducuntur Hiſtriones, & alij iuris infames. Sexta ex defectu corporis per exceſſum, aut defectum membrorum, vel inhabilitatem, quæ impedit miniſterium ordinis; Vel ſit notabilis deformitas cauſans ſcandalum, vt carens manus pollice, vel indice, aut oculo Canonis; parte naſi, aut media lingua. Item leproſus, aut morbo caduco laborans. Septima ex defectu animæ, vt inſani, demoniaci, illiterati; nouiter ad fidem conuerſi, donec diſcant mores, & conſtantia probata ſit. Octaua ex defectu Sacramenti, hoc eſt ex bigamia, quæ eſt plura contraxiſſe, & cõſumaſſe matrimonia. Sed cum ſit vera bigamia, altera interpratatiua, altera ſimilitudinaria, cum vero bigamo difficile diſpenſat Papa, Epiſcopus non poteſt, niſi cum occulto, aut ficto bigamo. Et dicitur Sacramenti defectus, quia ſecundum matrimonium eſt defectuoſum carens perfectione ſignificationis, quam habet primum, quod eſt vnius cum vna, quod ſignificat vnionem Chriſti cũ Eccleſia. Ad hanc ſpeciem reducitur irregularitas ex homicidio iuſto, quia deficit in tali ſimilitudo Chriſti mitis cuius ſymbolum eſt miniſter Chriſti.

Irregularitas ex delicto ſex habet ſpecies. Prima ex delicto hæreſis exterioris, aut Apoſtaſiæ, quod ſi in ea moriatur tranſit ad nepotes. Secunda ex rebaptizatione, aut bis ſuſcepto baptiſmo ſciẽter, aut craſſa ignorantia. Item ex ſuſceptione baptiſmi ab hæretico, vel ex dilatione eius, vſque ad mortem, quia præſumitur in voluntaria. Tertia ex indebita ſuſceptione, vel adminiſtratione ordinũ, vt ſi fiat cum cenſura, vel ab excommunicato, ſimoniaco, aut depoſito; In qua ſolus Papa diſpenſat. Quarta ex Monachi exitu a Clauſtro ad audiendas leges, aut medicinam vltra duos menſes. Et extenditur ad Plebanos, Archidiaconos, & Presbiteros. Quinta ex notorietate enormis delicti, quando etiam poſt pœnitentiam perſona remanet infamis cauſans ſcandalum, vt adulterium, ſacrilegium, homicidium, hæreſis, ſimonia, nefandum. Sequitur, quod ex occulta Sodomia non oritur, hæc irregularitas, vt bene dixit Nauar. Quia non eſt in iure, & occulta pœnitentia delentur. Et notorietas debet eſſe facti, vel iuris. Notorium iuris appellatur, quod conſtat ex confeſſione in iudicio, vel clara probatione, aut ſententia. Notorium factũ eſt euidens, quod celari non poteſt. Vnde plus eſt, quam famoſum, quod ſolum circumfertur, ſed probari non poteſt; & plus eſt, quam manifeſtum, quod paucis teſtibus probari poteſt; requiritur ergo ita eſſe publicum, vt conſtet a maiori parte viciniæ, aut vici, vt ſi Collegium, aut vicinia habeat viginti, non ſufficiunt ad notorium ſex. Et iſta ſpecies coincidit cum quinta ex defectu, quia immediate non oritur ex delicto. Sexta ex delicto homicidij, vel mutilationis: quale eſt homicidium corporale voluntarium illicitum, vel homicidiũ linguæ directum, & propinquum. Sequitur quod ſi neceſſarium ſit ad defenſionem vitæ propriæ cum moderamine inculpatæ tutelæ non incurritur irregularitas; quia iure naturali licet, etiam Eccleſiaſticis vim vi repellere. Secus eſſet ſi propter defenſionem proximi, aut bonorum

fiat:

fiat: Quia in Clementina ſolum defendens vitam ſuam excipitur. Neque ex homicidio mere caſuali incurritur etiam ſi mors ſequatur dũmodo operetur rem licitam, & non ſit culpa, quia eſt præter intentionẽ, & nullo modo voluntarium, at debet eſſe actus humanus. Secus eſſet ſi opus ſit illicitum, & periculoſum, & mors interueniat. Item ſequitur ex homicidio linguæ remoto, & indirecto quale eſt Inquiſitorum, & hortantium in bello pugnare fortiter pro fide non contrahi; bene tamen ex conſulente mandante, & defendente homicidam. Eccleſiaſtici vero accuſantes de crimine ſi proteſtentur nolle pœnam ſanguinis non incurrunt ex priuilegio iuris. Sequitur etiam effunſionem ſanguinis non ſufficere ad irregularitatem.

Tollitur tribus modis per baptiſmum, per religionis ingreſſum, proprie tamen per diſpenſationem, per baptiſmum tollitur illegitimitas, & irregularitas ex homicidio, & nulla remanet ex factis ante baptiſmum, niſi ſolum bigamia, & defectus corporis ſi qui ſint. Per ingreſſum religionis tollitur irregularitas, illegitimitatis quantum ad ordines, ſed nõ ad Prælaturam. In irregularitate ex homicidio publico, ſiue licito, ſiue illicito voluntario ſolus Papa diſpenſare poteſt. Epiſcopis datur in Tridentino facultas diſpenſandi in prouenientibus ex occulto homicidio. Vbi non loquitur de occultis per ſe, ſed per accidens, quæ ſua natura nota eſſe poſſent, ſed de facto ſecreta ſunt non erat teſtis, qualis eſt hæreſis verbo prolata, & a nemine audita, huiuſmodi enim iudicio prohibenti ſubiecta ſunt, & de his loquitur ſi non ſint publica, neque deducta ad forum exterius. Sequitur Epiſcopum poſſe diſpenſare cum homicida occulto ad ſui defenſionem

Seſſ. 24. c. 6.

non ſeruata inculpata tutela in foro conſcientiæ. Quia data eſt eis facultas ab occulta excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, ſed prædictum homicidium non fuit pure voluntarium, immo mixtum cum inuoluntario, quia neceſſarium ad ſui defenſionem, ergo poteſt in eo Epiſcopus. Sequitur etiam per Iubilea non poſſe diſpenſari in irregularitatibus. Quia ſolum dant facultatem abſoluendi a peccatis, quæ diuerſa eſt a facultate diſpenſandi.

Seſſ. 14. c. 7.

DEFECTVS IVRISDICTIONIS.

IMPEDIT validitatem Sacramenti. Vnde ſimplex Sacerdos carens iuriſdictione, vt non Epiſcopus, neque Curatus non poteſt adminiſtrare Sacramentum Pœnitentiæ, quod ſi abſoluat nihil facit, niſi in tribus caſibus. Primo in periculo mortis. Secundo quando peccata ſunt venialia, aut iterum confeſſa, & abſoluta. Tertio ex licentia Epiſcopi, aut priuilegio eligendi confeſſarium. Ad ſolemnem etiam adminiſtrationem, & rectam aliorum Sacramentorum, vt baptiſmi ſolemnis, Euchariſtiæ extremæ vnctionis, requiritur iuriſdictio, ſine qua quamuis Sacramentum tenet peccatur adminiſtrando, niſi tempore neceſſitatis.

IMPEDIMENTVM RECTI VSVS Sacerdotij.

EST mortale peccatum, quia cũ illo adminiſtrare Sacramenta illicitum, & peccatum eſt quãuis valet Sacramentum. Vbi ſciendum tria eſſe genera miniſtrorum Eccleſiæ non tolerati, preciſi per cenſuras, vt hæretici, degradati. Et iſti

Rituale de ſacra in genere

Sa-

Sacramenta adminiſtrantes peccãt, ſed Sacramenta valent excepta confeſſione. Tamen Sacramenta ab iſtis recipere non licet, niſi tempore neceſſitatis baptiſmum, & in mortis articulo confeſſionem ſi non ſit alter. Alij ſunt tolerati ab Eccleſia ex officio adminiſtrantes licet peccatores occulti; & iſti peccant adminiſtrantes, niſi in neceſſitate, & cum contritione. Et ab iſtis licitum eſt Sacramẽta recipere, & petere, & etiam ab expoſitis in loco ad confeſſiones, vel in Altari, quia iſti ſibi tantum nocent non alijs Alij ſunt non expoſiti, neq; ex officio obligati, & ab iſtis ſi in peccato ſint non licet petere Sacramenta extra tempus neceſſitatis, quia eſſet inducere ad peccandum. Item peccatum non ſolum impedit Sacerdotibus rectum vſum officij, ſed etiã Diaconis, & Subdiaconis; nam peccant, exercentes in peccato publico Ordines propter ſcandalum. Immo etiam occulti, quia non digne miniſtrant, cum ſint publici Eccleſiæ miniſtri, ergo abſque conſcientia mortalis miniſtrare debent.

DISPOSITIO AD OFFICIA *Sacerdotalia, & Ordinum.*

IN duobus conſiſtit, in iuriſdictione, & quod non habeatur conſcientia mortalis peccati. Perfecta autem poſtulat Charitatem, Religionem, Sanctitatem, Scientiam, & Prudentiam. Charitas eſt neceſſaria, vt ſit Deo vnitus per amorem, & exaudiatur per pro pulo; nã inimicus non exauditur; Quæ debet excedere charitatem ſæcularium. Religio qua debitum honorem Deo reddat interius, & exterius, & cum maxima humilitate, & reuerentia ad Altare accedat. Sanctitas hoc eſt munditia animi, & corporis, ſicut aurum mundum dicitur carens mixtione terrenorum maxime vitijs carnis. Scientia qua in minoribus cõſtitutus ſciat bene legere, & latinam linguam intelligat. Diacono, & Subdiacono ſufficit intelligere, quæ Latine legũt, quamuis non penetrent Myſteria. Sacerdoti maior ſcientia neceſſaria eſt; Nam aliquam ſcripturæ ſanctæ cognitionem habere debet, quanta ſufficit ad intelligẽda myſteria, quæ tractat. Indignum eſt enim myſteria altiſſima tractare, & ea ignorare. Tũ quod nullum guſtũ percipiet, quod eſt indignum. In Curato maior ſcientia requiritur. Nam præter doctrinã neceſſariorum ad ſalutem ad alios inſtruendos, indiget cognitione peccatorum frequentium in confeſſionibus, & a quibus poſſit abſoluere, a quibus non, & cenſurarum; Caſuum vero occurrentium difficultates arduas, vel fidei, non tenetur ſcire, ſed a ſapientibus petere. Epiſcopus eſt, qui tenetur perfectam intelligẽtiam myſteriorum fidei vtriuſque Teſtamenti habere, & ſcire hæreſes refutare. Quia eſt Doctor ſedens in cathedra. Eius officium eſt ſacras ſcripturas exponere. Prudẽtia qua ſciat omnia gubernare, & moderari, remedia accommodata malis adhibere, quæ ad ipſum deferuntur, ne fructus ſubditorum impediantur, & vno verbo ſacerdos debet eſſe exemplar ſanctitatis perfectionis bonitatis hominibus, & lucerna in Candelabro lucens, vt fides Chriſti laudetur.

Azor. 2. p. lib 6. c. 6.

DE OFFICIIS SACERDOTIS *in ſpecie.*

CELEBRARE diuina diuiditur in officium diuinum, & ſacrificium.

DE OFFICIO DIVINO.

SCIENDVM eſt, quid ſit, & quotuplex, perſonæ obligatę ad officium diuinum, quomodo ſit dicendum, & cauſæ excuſantes.

OFFICIVM diuinum eſt Laus Dei vocalis ab Eccleſia inſtituta per Pſalmos, Lectiones, Antiphonas, Verſus, Orationeſque diſtincta, ad excitandam fidelium deuotionem, Laus eſt manifeſtatio Excellentiæ. Diuiditur in ſeptem horas Canonicas, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Veſperas, & Completorium. Quæ ſignificāt ea, quæ Chriſtus Paſſus eſt illis horis. Obligati ad dicendum officium ſunt Clerici in ſacris, Monachi, Moniales, & Beneficiati. Sed beneficiati ſi omittant tenentur ad reſtitutionem non omniū fructuum correſpondentium, ſed tertiæ partis, quę pro officio diuino datur, & facienda eſt fabricæ Eccleſiæ, vel pauperibus. AD bene dicendum officium ſex circumſtantiæ requiruntur, Numerus, Ordo, Qualitas, Tempus, Locus, Modus. Primo, ſeptē horæ quotidie recitandæ ſunt. Vnde vnam relinquere ſine cauſa mortale eſt niſi fiat per obliuionem. Ordo non eſt in præcepto extra chorum, tamen peruertere ordinem abſque neceſſitate, vel cauſa veniale eſt. Qualitas officij obligat in Choro, vt quod ſit Romanum officium, quod abſque diſpenſatione mutari non poteſt, immo, & priuatim ſcienter mutare Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem eſt mortale. Tempus in officio publico eſt iuxta conſuetudinem, & priuilegium, dicendi Matutinum. Priuatim tempus eſt, ab occaſu diei præcedentis vſque ad mediam noctem ſequentis, ita quod recitans intra id tempus non peccat mortaliter; dummodo in die præcedenti non anticipetur, niſi ſolum Matutinum. LOCVS dicendi officium publice eſt Chorus; priuatim non eſt determinatus, tamen laudabilius eſt recitare in loco ſecreto, ad reuerentiam, & attentionem. Modus eſt attente reuerenter, & deuote pronuntiare. Attendere eſt aduertere ad ea, quæ dicit. Attentio actualis, vel virtualis eſt neceſſaria. Actualis eſt triplex ad verba, ad ſenſum, & ad finem orationis, qui eſt cum Deo pręſente loqui. Virtualis eſt quando incipitur officium animo attendendi, & in diſcurſu non mutatur, licet patiatur diſtractionem. Mutare eſt aduertere ſe non attendere, & velle diuerti ad alia, quæ ſimul fieri non poſſunt, Poteſt tamen ſimul audiri Miſſa, & recitari officium, quoniam ad vnum finem ordinantur, quamuis aliqui contrarium exiſtiment. Vtile eſt prius præparari conſiderando eſſe omnipotentem perfectiſſimum, & beneficentiſſimum quem laudare volumus, Poſt officium petenda eſt venia negligentiarum. Cauſæ excuſantes a recitatione officij ſunt, infirmitas grauis ſi notabiliter noceat, opera miſericordiæ neceſſaria. Tertio impoſſibilitas recitandi. Quarto diſpenſatio Papæ, ſed non ſolet diſpenſare. Tandem tenuitas beneficij, quæ non miniſtret bonam partem ſuſtentationis, vel non recipere fructus, neque certo ſperare, ſine culpa.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

PRAETER tradita in Catechiſmo ſcienda ſunt definitio, partes, valor, quæ ante celebrationem, quæ in ipſa celebratione, & poſt requirantur, & remedia defectuum contingentium.

MISSA eſt ſacrificium corporis, & ſanguinis Chriſti ſub ſpeciebus

bus panis, & vini ſignificans ſacrificium cruentum ab ipſo oblatum in cruce. Sacrificium eſt actus exterior latriæ, quo Deo offerimus aliquod donum in ſignum recognitionis Dominij ſupremi, quo eſt Dominus vniuerſorum, & principium. Et proinde fuit in vſu apud omnes Barbaras nationes. In Veteri Teſtamento erat triplex Holocauſtum, Hoſtia placabilis, & Hoſtia pacifica, quæ omnia erāt figura excellentiſſimi ſacrificij in cruce a Chriſto peracti, qđ eſt holocauſtū, & vera Hoſtia placabilis, & laudis, per quam Chriſtus reconciliauit Deo humanum genus. Eſt differentia inter Miſſam, & ſacrificium Crucis, quod in Cruce oblatus eſt Chriſtus modo cruento moriendo, & ſanguinem fundendo. In Miſſa vero idem offertur Chriſtus, ſed modo incruento, repræſentando ad modum Tragediæ Chriſti mortem. Vocabulum Miſſæ eſt Hebraicum, ſignificat oblationem. TRES ſunt partes Miſſæ. Prima antecedit oblationem. Secunda eſt ſacrificium. Tertia gratiarum actio. Rurſus antecedens continet, Præparationem, Introitū, & Inſtructionem populi per Epiſtolam, & Euangelium, Introitus ſignificat deſideria Aduentus Chriſti antiquorum Patrum, & ingreſſum eius in mundum. Et iſta pars antecedens vocabatur Miſſa Catechumęnorum cui adeſſe permittebantur, eaque finita Diaconus cantabat, Ite Miſſa eſt, hoc eſt recedite; Nam incipit ſacrificium cui adeſſe non poteſtis donec baptizemini. Secunda pars incipit ab offertorio vſque ad finem Canonis, in qua fiunt conſecratio, oblatio, & ſumptio Sacramenti. VALOR Miſſæ copioſiſſimus ad bona omnia obtinenda, duplex eſt, Alter ex parte offerentis, & operantis, qui poteſt eſſe maior, vel minor ſecundum eius deuotionem. Alter eſt ex parte rei oblatæ, ex operæ operato, & iſte eſt vnus, & idem, & finitus Nam licet res oblata ſit infinita, effectus eſt finitus, ſicut in Sacramentis eſt limitatus gradus gratiæ. Valet Miſſa ad bona ſpiritualia, & temporalia obtinenda, & ad ſatisfactionē pœnarum, ſpiritualia bona ſunt gratia diſpoſitiones, ad gratiam, augmentum gratiæ, inſpirationes, & auxilia. Quæ bona conſequuntur Offerens, & pro quibus offertur, ſed diuerſimode. Si ſint in peccato non merentur, niſi forte de congruo; At ſi ſint in gratia, & ſint remoti offerentes, & pro quibus offertur; vt populus Chriſtianus, Epiſcopi, & capita Eccleſiæ, & Reges, ex intentione Eccleſiæ, conſequuntur aliquam remiſſionem pœnæ, & auxilia, non tamen gratiæ augmentum, quamuis Soto id exſtimat probabiliter. Quia ad augmentum de condigno diſpoſitio actualis requiritur. Propinquiores tamen offerentes, qui concurrunt ad Miſſam, vt Sacerdos, chorus, Miniſter Altaris, dans eleemoſynam, petens Miſſam, & intereſſentes, præter pœnæ remiſſionem, merentur augmentum gratiæ de condigno. Vnde qui Miſſas non audiunt, multa bona perdunt. Sequitur in tres partes poſſe diuidi valorem Miſſæ, ex opere operato. Vna pars eſt communis, quæ applicatur ex intentione Eccleſiæ. Alia eſt propria Sacerdotis. Tertia eſt media, quæ ſecundum Sacerdotis intentionem, poteſt ſibi, vel alijs applicari. Et licet offerentes multi ſint, non perdunt meritum ſui gradus Sequitur etiam deciſio quæſtionis. An Miſſa pro pluribus oblata tantum proſit, ac oblata pro vno; dicendum enim cum communi Doctorū, quod non, licet oppoſitum dicant alij. Quia effectus ex opere operato eſt finitus, ſed finitum diuiſum pluribus, nō obuenit ſingulis, ac ſi totum

detur

detur vni, ergo non tantum prodeſt pluribus. Ex quo ſequitur Sacerdotẽ accipientem plures eleemoſynas, dicentem vnam tantum Miſſam pro illis, peccare. Quia defraudat fructu integro, quem ſinguli erant percepturi, vt Naua. tenet. Ante celebrationem Miſſæ quatuor procedere debent. Ieiunium naturale; Eccleſiaſticum enim non ſufficit, aliter eſt mortale, niſi immemor inciperet, & non poſſet ſine ſcandalo relinquere. Vel ſi ſumpſit calicem, & inuenit non eſſe vinum, nam tunc eſt apponendũ conſecrandum, & ſumendum. Vel quando poſt ablutionem inueniuntur aliquæ particulæ, nam ſumendæ ſunt. Secundum eſt recitatio Matutini, ſine qua ſcienter facere ſacrum eſt mortale, ſecundum communem, ſed verius eſt non eſſe, quod vt practicari poſſit ſecure, ſatis eſt, id facere, cum cauſa rationabili. Tertio, tẽpus celebrandi, quod eſt ab aurora, vſque ad meridiem, iuxta conſuetudinem, quæ habet vim legis. Vnde ante lucem non licet, niſi in nocte Natiuitatis, neque poſt meridiem etiam ſine ſcandalo, contra Naua. Niſi in neceſſitate communicandi infirmum, & cum ſuperiorum licentia, vel cauſa rationabili. Quia non extat particularis prohibitio. Quarto, confeſſio eſt neceſſaria habenti conſcientiam mortalis; Nam contritio, ſine ſacramentali confeſſione nõ ſufficit, iuxta Triden. ſeſſ. 13 c. 7. & Cano. 11. Niſi in duobus caſibus. Alter quando celebrans recordatur cenſuræ, aut peccati, & non poteſt ſine ſcandalo relinquere, nam tunc poteſt cum contritione continuare. Secundo, quando tenetur celebrare. & non eſt copia confeſſarij. Ad ipſam celebrationem alia quatuor requiruntur; Locus Aptus, Veſtes, Altare, Miniſter. Locus aptus, eſt Eccleſia, aut Oratorium, viſitatum ab ordinario, non polluta humano ſanguine, aut ſemine; alias non licet, niſi in caſu neceſſitatis communicandi infirmum in articulo mortis, vel quando eſt præceptum audiendi Miſſam, tunc enim ſi non ſit facultas adeundi Epiſcopum, poteſt celebrari in loco non benedicto, dummodo non fiat in mari, aut flumine, vbi eſſet periculum effuſionis ſanguinis Chriſti. Veſtes Sacerdotales debent eſſe benedictæ, mundæ, & integræ; notabilis immunditia eſſet peccatum mortale. Quæ ſunt ſex, Amictum, Alba, Cingulum, Manipulum, Stola, Caſula, & Calceamenta. Et ſignificant virtutes Sacerdotis, & veſtes, ac chordas, quibus Chriſtus fuit irriſus. Altare, ſex ornamentis debet eſſe paratum, Ara lapidea conſecrata, & integra, quæ capiat hoſtiam, & calicem, & Mappis ad minus duabus, cum corporalibus lineis mundis, ac benedictis, & calice, cum patena, aureis, argenteis, vel ſtanneis conſecratis, Miſſali, & lumine. Miniſter debet eſſe vir. Poſt aduertendũ teneri Sacerdotem ter, vel quater in anno celebrare Miſſam, ſecundum graues Doctores, ſcilicet, quando laici ſolent communicare, alias peccat mortaliter, quia poteſtas non debet eſſe otioſa; Quotidie nemo tenetur. Curatus tenetur facere ſacrum quãdo populus obligatus eſt audire. Itẽ ſemel tantum in die eſt celebrandũ, quia pluries, neque communicare quis poteſt, niſi cum priuilegio, & in Natiuitate Domini, quia ſignificat vnam Chriſti mortem. Niſi eſſet rationabilis cauſa. Vt quando quis habet duas Parochias, & non poteſt vno ſacro ſatisfacere. Aut quando venit Epiſcopus, & vult Miſſam audire. Aut ſi in die præcepti veniant multi peregrini, & non ſit alia Miſſa. Aut quando infirmus debet communicare, & non eſt Sacramentum,

in his caſibus poteſt dici alia Miſſa, dummodo non ſumpſerit ablutionem, Sed in die Veneris Sancti, non licet conſecrare.

DEFECTVS qui contingere poſſunt, aut ſunt circa diſpoſitionem Sacerdotis, vel circa materiam, formã, vel ante conſecrationem, vel poſt. Primo, ſi recordetur peccati nõ confeſſi, ante conſecrationem pœnitere poteſt, & proſequi. Si autem inuenerit ſe cenſura ligatum, aut non ieiunum relinquenda eſt celebratio, niſi ſequatur ſcandalum. Si poſt conſecrationem contingat, pœnitendum eſt, & proſequendum, nec ideo peccat, nec incurrit aliam cenſuram, ſi oblitus eſt inculpabiliter. Secundo ſi inueniatur venenum in ſanguine reponendus eſt in ſacrario, donec ſpecies corrumpantur, quæ in piſcinam proijciendæ ſunt, & nouus eſt conſecrandus. Si cadat animal nauſeam prouocans extrahendum eſt, & lauandum, & lotio ſumenda poſt ſanguinem, ipſumque comburendũ eſt, & cineres in ſacrario reponendi. Si ante conſecrationem recordetur, non appoſuiſſe aquam ponenda eſt. Si poſtea non, quia non eſt de eſſentia. Si poſt ſumptionem calicis inuenerit non eſſe vinum, ſufficit vt ponatur, & dicantur ſuper illud verba conſecrationis. Quamuis alij dicant etiam nouam hoſtiam eſſe conſecrãdam. Si gutta ſanguinis cadat lambenda eſt, & radenda, & comburenda, cinereſque in ſacrario reponendi. Si timeatur vomitus probabiliter peccatum eſt celebrare. Quod ſi eueniat quærendæ ſunt particulæ, & in ſacrario ſeruandæ. Si hoſtia cadat intra calicem, ante fractionem, nihil eſt repetendum, quia illa non ſunt de eſſentia ſacrificij. Si aliqua pars remaneat; ſigna, & fractiones in ea fieri debent. Tertio, circa formam, ſi verba protuliſſe penitus oblitus ſit, dicenda ſunt; ſi non, & verſatur in ſequentibus non eſt curandum repetere. Si ſit dubium non quodcumq; dubium obligat ſcrupuloſos, quoniam multa ex vſu proferuntur quorum non recordamur. Quod ſi videatur multum certum reliquiſſe, aut valde probabiliter dubitat, poteſt cum conditione repetere, & ſit ſine periculo. Quarto, ſi ante conſecrationem impediatur morte, vel morbo. Vt non poſſit Miſſam finire; alter non debet proſequi. Si autem poſt conſecrationem, alius Sacerdos debet perficere; etiam non ieiunus, ſi non inueniatur ieiunus. Quia maius præceptum eſt de ſacrificio perficiendo, quam de ieiunio. Vnde ſi eſſet ſcandalum, tenetur Sacerdos, ſine mortali inuentus perficere, ſi non, conteri confiteri, & perficere. Et ſi maneret imperfectum reponendum eſt in ſacrario, vt ſumatur ſequenti die a ſacerdote poſt conſecrationem. Si venirẽt inimici volentes occidere ſacerdotem, vel domus rueret, poteſt ſtatim ſumere, vel Sacramentum, cum corporalibus recondere. Nam neque textus, neque ratio obligat ad proſequendum etiã ſi moriatur, & fugere licet. Tũ quia ſi proſequeretur, occideretur, & Sacramentum remaneret imperfectum, ergo ex duobus malis, melius eſt vnum euitare ſaluando hominem; niſi eſſet in fidei contemptum, ſequitur dicendum de adminiſtratione Sacramentorum,

CIRCA ADMINISTRAtionem Sacramenti Pœnitentiæ.

QVAEDAM ſcienda ſunt de Confeſſione, Miniſtro, & materia, præter tradita ex Catechiſmo.

CIR-

Circa Confeſſionem ſciēdum eſt poſſe eſſe inualidam ex duplici capite, tum propter defectum pœnitentis, tum propter defectum miniſtri. Pœnitens poteſt deficere in integritate Confeſſionis in contritione, in voluntate ſatisfaciendi, vel poteſt habere impedimentum cenſuræ. Integritas porro confeſſionis quatuor poſtulat confiteri ſpeciem peccati, numerum peccatorum, tempus, vel conſuetudinem. Item circumſtātias mutantes ſpeciem, aut notabiliter aggrauantes; Cenſuram, vel reſtitutionem annexam habentes. Vltimo, quod fecit dubitando, an eſſet mortale. At in quibuſdam caſibus non integra confeſſio valida eſt. Primo quando facta ſufficienti diligentia obliuiſcitur aliquorum. Tunc enim ſufficit confiteri, quæ ad memoriam veniunt, quod ſi poſtea recordetur tenetur ea confiteri tempore præcepto, non ſtatim. Secundo in mortis articulo quando non eſt tempus ad omnia confitenda, ſed tātum aliqua; & tunc poteſt abſolui. Tertio quando pœnitens habet peccatum reſeruatum, & confitetur Superiori, qui non vult alia audire, ſed remittit ad Parochum, ſi abſoluat datur gratia, ſed tenetur integre confiteri inferiori. Melius tamen eſſet petere facultatem, qua integre confitendo inferiori abſolui poſſit. Quarto quando ſequeretur damnum alterius ex confeſſione peccati, & perſona non poſſet occultari, neque adire alterū confeſſarium. Tunc ſecundum communem ſententiam Doctorum poſſet taceri peccatum, aut circumſtantia donec ſit commoditas confitendi abſque damno. Quod ſi damnum, quod timetur non eſſet mors, neque publica infamia, ſed ſolum infamia apud Confeſſarium Toletus tenet cum Bonau. Gab. Silueſt. contra Nauar. teneri ad confitendum. His exceptis, qui occultauit ſcienter peccatum, vel ex craſſa ignorantia, aut culpabili obliuione tenetur iterare confeſſionem.

Defectus attritionis etiam reddit inualidam confeſſionem. Nam illud potius eſſet narrare hiſtoriam, quam pœnitere. Idem dicendum ſi accedat cum animo nō vitandi aliquod mortale, vel cum conſcientia, quod non habet propoſitum ſufficiens. Tamen ſi diſpliceant peccata cum propoſito vitandi mortalia, propter pœnas Inferni ſufficit iuxta Triden. Seſſ. 13. c. 4. Quia ſufficit cognita attritio cū Sacramento ad gratiam conſequendam Sacramenti, Immo ſi exiſtimet ſe ſufficienter diſpoſitum, quamuis vere non ſit, neque gratiam conſequatur, non tenetur ſecundum Sotū iterare confeſſionem, niſi quando conſtiterit inſufficienter acceſſiſſe. Defectus voluntatis ſatisfaciendi eo modo quo tenetur, etiam inualidat; vt defectus voluntatis reſtituēdi, vitandi occaſiones acceptandi pœnitentiam, quia tacetur illa voluntas, quæ eſt peccatum mortale. Saltem requiritur non habere voluntatem contrariam. Cum confeſſio debeat eſſe obedire parata. Sequitur non eſſe admittendam ſententiam Caiet. non teneri pœnitentem acceptare pœnitentiam, & ſufficere velle implere in Purgatorio. Quia eſt contra communem Doctorum. Et quia Iudex poteſt obligare reum ad pœnā; ergo etiam Confeſſarius. Tandem inualidatur ſi pœnitens ſcienter, aut craſſa ignorantia ſit excommunicatus, & à peccatis abſoluatur, antequam ab excommunicatione.

In Miniſtro defectus poteſtatis, vel ſcientiæ etiam inualidat confeſſionem. Nam poteſtas, tam ordinis, quam iuriſdictionis non impedita per cenſuram neceſſaria eſt, niſi in mortis articulo, vt in materia de ex-

excommunicatione dictum eſt. At extra id tempus iuriſdictio ad abſolutiones aliqua neceſſaria eſt, aut ordinaria, aut delegata, aut iure conceſſa, conſuetudine, vel priuilegio. Ordinariam habent proprij ſacerdotes, vt Parochus, Epiſcopus, Archiepiſcopus in viſitatione, & Papa in toto mundo, & ſuperiores religionum in ſuis monaſterijs, cum quibus omnes tenentur confiteri, vel de eorum licentia. Sequitur Curatũ, & Epiſcopum poſſe ſubditum ſuum confiteri, & abſoluere vbicunque eum inuenerint. Iuriſdictio delegata, hoc eſt ex commiſſione, debet eſſe reſpectu pœnitentis. Ideoque non ſufficit facultas in altera Diœceſi, neque ratihabitio de præſenti, neque licentia Parochi, ſed neceſſaria eſt poſt Triden. ſeſſ. 23. c. 15. expreſſa licentia Epiſcopi. Niſi priuilegium habentes, aut commiſſionem a Papa, vt Pœnitentiarij Romani, qui poſſunt omnes ad ſe venientes abſoluere, & conſtituti in religionibus ad confeſſiones audiendas etiam ſine licẽtia Epiſcopi, quia prohibitio Concilij intelligitur ſaluis priuilegijs Papalibus. Iuriſdictionem iure conceſſam ex licentia eligendi Confeſſarium habent Epiſcopi, & ſuperiores religionum, quã etiam habent Cardinales ex vi conſuetudinis proſe, & familia ſua. Similiter habent iſtam viatores, vagabundi, & ſcholaſtici, qui poſſunt abſolui a Parochis in cuius iuriſdictione reperiuntur, tempore confitendi a quibus poſſunt abſolui a reſeruatis Epiſcopo illorum peregrinorum, ſi non ſint reſeruata in Diœceſi in qua inueniuntur. Eſt differentia, quod Parochis non datur licentia abſoluendi ab omnibus, ſed a non reſeruatis Epiſcopo ſuo, niſi exprimatur. Confeſſarius religioſus non habet maiorem poteſtatem, quam Curatus ſi nõ habet priuilegium. Epiſcopus nõ poteſt abſoluere, niſi a non reſeruatis Papæ. Et quando datur facultas abſoluendi a Papalibus caſibus datur etiam ad abſoluendum a cenſuris. Nam nullum peccatum eſt Papæ reſeruatum, niſi ratione cenſuræ, ideo ablata cenſura a Papa, peccata poſſunt a quolibet Confeſſario abſolui.

Val. *to. 4.*

Item reſeruata Epiſcopo quædam ſunt de iure, quædam ex conſuetudine communi, alia ex conſuetudine propria Epiſcopatus. De iure reſeruata.

Primo ſunt diſpenſatio votorum non Papalium, relaxatio iuramentorum, abſolutio irregularitatum.

Secundo peccatum incendiariorum, quod ſi excommunicationem habeat abſolutio pertinet ad Papã.

Tertio peccatum graue ſcandaloſum pro quo erat pœnitentia publica olim conſtituta. Sed alij hoc negant, quia non ſunt in vſu. Ex conſuetudine communi reſeruantur homicidium, & mutilatio. Crimen falſariorum, rapinæ rerum Eccleſiaſticarum, vulnerationes in loco ſacro. Diuinationes, & incantationes, & inuocationes Dæmonum, ſed ſciendũ eſt quædam Epiſcopo reſeruari non ſolum ratione ipſorum peccatorum.

Defectus ſcientiæ Miniſtri, etiam inualidat confeſſionem. Nam iudex tenetur ſcientiam habere ad iudicandum, quæ in ſuo foro accidunt, ergo Confeſſarius tenetur ſcire, quæ ſint mortalia, quæ venialia, quæ obligent ad reſtitutionem, vel habeant cenſuram, & quæ poſſit abſoluere, quæ non; & de difficilibus ſcire dubitare, & agnoſcere dubios caſus ad conſulendum. Duo ſunt caſus in quibus etiam ſi ſit ignorans valet. Primus in mortis articulo, & quando deficit doctus, vt in terris infidelium. Secundus quando pœnitens eſt doctus, & fidelis. Quanta autem ſcientia requiratur ex qualitate ſubdito-

dito-

ditorum iudicãdum eſt. Qui quamuis non habeant caſus difficiles, & in eo loco ſint docti viri non excuſatur, niſi habeat mediocrem ſufficientiam. Vnde graue peccatum eſt omnino ignarum tale officium exercere propter pericula errorum, & ſacrilegiorum.

In Miniſtro requiritur etiam ad rectum vſum Sacramenti Pęnitentię ſecretum, & prudentia. Secretum eſt obligatio occultandi mortalia confeſſa in genere, & ſpecie. Venialia ſolum in ſpecie, item & circumſtãtias, & defectus infamiæ cognitos in cõfeſſione; ita, vt, nec verbo, nec ſigno pœnitens manifeſtetur; etiam propter vitam, aut ſalutem Reipublicæ, niſi tantum in vno caſu, de licentia pęnitentis cui ipſe voluerit. Sequitur, quod in caſu eminentis nocumenti Reipublicæ ſolum licet aduertere in genere, vt ſibi prouideant. Item extra confeſſionem non licet etiam cum pęnitente, loqui de peccatis auditis in confeſſione, quod ſi male abſoluit rogare poteſt pęnitentem, vt iterum confiteatur, quia deceptus eſt, & tunc pænitens obedire tenetur; ſi nolit relinquendus eſt. Item quando conſilium petendum eſt prudenter eſt faciendum ne facile venire poſſit ad notitiam pænitentis. Tamen ſi peccatum extra confeſſionem, ſciat poteſt pænitentem accuſare, dummodo non dicat illud ſibi confeſſum, nec ſcandalum ſequatur quaſi reuelet confeſſionem.

Prvdentia requiritur ad examen in confeſſione, ante, & poſt. Ante confeſſionem, primo interrogandum de impedimentis cenſurarum, de examinis defectu, doloris, propoſiti, & ſcientiæ neceſſariorum ad ſalutem. Secundo de defectibus ſubſtantialibus ſacramentorum in Quadrageſima. Tertio de ſtatu. In confeſſione audito pænitente interrogandus eſt de circumſtantijs, numero, intentione, & conſcientia, ſi forte fuit erronea, de occaſione, de tempore, & conſuetudine. His eſt vtile differre abſolutionem, niſi ſit neceſſitas, aut periculum non confitendi. Tutus manebit confeſſarius ſi annuntiet talibus remedium generaliſſimum eſſe frequentem confeſſionem, vt qualibet hebdomada, vel menſe, ſine qua vix poſſet liberari a periculo licet ad id non obliget. Vt breuius agat, quando ſe accuſat, circa aliquod præceptum, antequam tranſeat ad aliud interroget, quæ videbuntur præter ab eo confeſſa, ne cogatur, iterum redire. Poſt confeſſionem, autem interroganda ſunt relicta per obliuionem, aut ignorantiam, non tamen nimiæ circumſtantiæ in carnalibus, neque de multis ſpeciebus contractuum, ne mala diſcant. Intelligentibus vero non eſt petendum, an ſciant fidei rudimenta; ſed ea ſolum, in quæ veriſimiliter exiſtimari poteſt incidiſſe. Et quando ſunt duæ opiniones contrariæ, probabiles, vt tutum ſit, quamlibet ſequi, pænitens poteſt obligare confeſſarium, vt abſoluat, licet teneat cõtrariam. Eſt etiam prudentia neceſſaria ad medicinam præſentium, & remedia peccatorum futurorum adhibenda, & ad pænitentes cum diſcrimine tractandos aliquando ſeuere, aliquando ſuauiter reprehendendo, inſtruendo, incitãdo ad bonum. Item ad pænitentiam imponendam, in qua inſpicienda ſunt grauitas peccatorum, pænitentis diſpoſitio, & perſona. Vnde iuſta eſt imponenda quantum fieri poſſit; ſed multis ex cauſis imponenda eſt minor, vt propter magnam contritionem, imperfectionem, impedimentum, debilitatem, aut propter tempus Iubilæi; Et quando alia via iuuatur ſatisfactio,

vt

vt imponendo bona facienda, & mala patienda. Sequitur teneri ad imponendam pænitentiam, excepto quando non poteſt acceptare, vt ſi extra ſe poſitus abſoluatur in virtute confeſſionis præcedentis. Quam ſi nolit acceptare adimplendam, ſi vixerit, non eſt abſoluendus. Quod ſi eã impleat in peccato mortali, Deo non ſatisfacit ſecundum communẽ, contra Scotum. Sed non tenetur iterare pænitentiam, neque peccat de nouo. Tandem ad pænitentiam, ab altero impoſitam mutandam, quod fieri poteſt, tamen cum cauſa. In Abſolutione ſunt de neceſſitate formali, verba illa, ABSOLVO te, reliqua antecedentia, & ſubſequentia non ſunt, nec de rigoroſo præcepto. At ex conſuetudine, & decentia, dicendæ ſunt deprecationes illę. *Miſereatur tui omnipotens, &c.* & *Indulgentiam, &c.* Et poſt abſolutionem. Paſſio Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & merita Beatæ Mariæ, &c. *Item vltra prædicta nominanda eſt auctoritas Dei, aut Chriſti, per quam abſoluit, vt* DOMINVS NOSTER IESVS CHRISTVS TE ABSOLVAT, ET EGO AVCTORITATE IPSIVS QVA FVNGOR, TE ABSOLVO A PECCATIS TVIS; *In nomine Patris, & Filij. & Spiritus Sancti.* Quia omnes concedunt eſſe decens. Et Conc. Florent. & Triden. inſinuant aliqua eſſe dicenda, præter Ego te abſoluo. Sequitur, quæ aliqui præter dicta addunt ſuperflua eſſe. Quod ſi ſit pænitens excommunicatus, ante prædictam abſolutionem a peccatis danda eſt abſolutio ab excommunicatione. Item in abſolutione non poteſt apponi conditio de futuro, quia non poteſt confeſſarius differre effectum Sacramenti, neque verificationem formæ, pro tempore futuro, quia ſignificatio Sacramenti, & effectus in ſubiecto recte diſpoſito inſeparabilia ſunt, vt Caie. recte dixit. Vnde ſi apponatur, nihil valet. Quod ſi apponatur conditio de præterito, aut de præſenti impleta conditione valet. Item quando dubium eſt, an abſoluerit, tunc dicendum eſt, ſi non es abſolutus, ego te abſoluo, &c.

MATERIA remota Sacramenti Pænitentiæ, ſunt peccata, de quibus in communi ſcienda ſunt, quid ſit peccatum, & quotuplex, & effectus. Peccatum eſt ſeparatio voluntaria a regula diuina, cum qua homo tenetur conformare ſuas operationes. Regula vocatur præceptum ſupernaturale, aut naturale, aut humanum. Ad voluntarium tria requiruntur, procedere a voluntate eliciente, vel imperante, & cum deliberatione, ita vt ſit in noſtra poteſtate. Et quod fiat cum cognitione, hoc eſt non ignorãdo agere contra regulam. Diuiditur peccatum in mortale ex genere, & veniale ex genere. Mortale ex genere, poteſt fieri veniale per accidens dupliciter, ex leuitate materiæ, aut ex imperfectione actus non perfecte volũtarij, vt motus ſubitus vindictę. Veniale eſt, quod licet non ſit contra præceptum, eſt tamen extra præceptum; Tamen vere peccatum eſt, ideo, vt alij dicunt, eſt contra pręceptum; ſed non grauiter, quod impediat conſecutionem beatitudinis, vt furtum paruum. Veniale poteſt quatuor modis fieri mortale. Primò, quãdo conſtituitur vltimus finis, id eſt, quod fieret, etiam ſi eſſet mortale. Secundo, quando ordinatur ad finẽ mortalem. Tertio, quando ſequitur ſcandalum. Quarto fit exiſtimando erronee eſſe mortale. Item peccatũ aliud eſt commiſſionis, aliud omniſſionis. Et aliud cordis, aliud oris, aliud operis. Rurſum in peccato ſunt duo, materiale, vt actio, & formale, quod eſt eſſe contra diuinum præceptum. Sequitur ex hoc formale peccati Val. to. 2.

cati

cati non eſſe, quid poſitiuum; ſed carentiam conformitatis ad regulam. Præterea in peccato ſunt, Auerſio a Deo, qua contemnitur eius præceptum, & conuerſio ad bonum creatum, propter quod peccatur. Effectvs peccati ſunt macula, & reatus. Macula eſt priuatio gratiæ. Reatus eſt obligatio ad pœnam. Igitur mortale peccatum eſt materia neceſſaria pœnitentiæ, ſine qua deleri non poteſt. Veniale vero eſt materia ſufficiens non neceſſaria, niſi quando dubitatur, an ſit mortale. Sequitur Tractatus de peccatis in ſpecie, vt ſunt materia pœnitentiæ.

DE PECCATIS CONTRA Dei mandata, & Eccleſiæ, & ſeptem vitijs.

PRimo loco dicendum eſt de peccatis contra fidem, ſpem, & charitatem. Contra fidem ſunt Hæreſis, Apoſtaſia, & Infidelitas.

Hæreſis eſt error pertinax Chriſtiani contra partem Catholicæ fidei. Pertinacia non eſt nimis adhærere dictis, ſed ſcire aliquid eſſe contra fidem Eccleſiæ, & nihilominus velle ſentire cõtra Eccleſiam. Quod poteſt contingere interius tantum, & exterius tantum, & interius, & exterius ſimul. Dubius autem in fide infidelis eſt, hoc eſt non credens, neque diſcredens ſed ſuſpenſus voluntarie dubitans. Quia fundatur in iudicio hæretico, res fidei non eſſe infallibiles. Dubia autem inuoluntaria, vt quæ patiuntur ſcrupuloſi potius ſunt apprehenſiones contra fidem ex dæmonum ſuggeſtione quã vera dubia.

Apoſtaſia eſt error baptizati toti fidei Catholicæ contrarius, vt Chriſto renuntiare, quod peius eſt, quàm hæreſis. Quod contingit mente ſolum, vel tantum exterius, aut ſimul interius, & exterius.

Infidelitas eſt error non baptizati contra fidem, vel contra aliquam eius partem. Quæ mortale peccatũ eſt in duobus caſibus. Primo quando habetur ſufficiens notitia Chriſtianæ fidei, & nihilominus in errore perſiſtitur, vt viuentes prope Chriſtianos. Secundo, quando fit aliquid contra fidem, quod rationi naturali aduerſatur, vt Idolatria. Et iſti non excuſantur, ſicut neque facientes contra præcepta naturalia.

Fides oppoſita eſt aſſenſus, & credulitas eorum, quæ ſunt reuelata Eccleſiæ a Spiritu ſancto, quia Deus dixit, & reuelauit per Eccleſiam. Vnde non eſt fides ſupernaturalis credere propter miracula, vel propter rationes, neque quia dicunt fide digni, ſed quia Deus dixit. Credibilia per fidem ſunt contenta in Canonicis ſcripturis, & traditionibus Eccleſiæ. Et quæ a ſummis Pontificibus, & Concilijs Generalibus definita ſunt, & quæ Sancti Patres concordes afferunt, & quæ ex ijs inferuntur per neceſſarium argumentum. Neceſſaria eſt fides explicita, vel implicita ad beatitudinem, & ad opera meritoria. Tenentur omnes ad fidẽ partim explicitam articulorum fidei partim implicitã eorum, quæ Eccleſia credit. Confeſſio exterior fidei eſt actus fidei, & eſt in præcepto in duobus caſibus. Primo quando non confitendo ſubtrahitur Deo honor, quaſi eſſet falſa, vel ſubtrahitur proximo vtilitas, ita quod alij recederent ab ea. At quando non examinatur, neque ſperatur vtilitas melius eſt cum ſupradictis fugere. Tamen ſemper eſt neceſſarium ſigna non dare ſe ſequi ſectam infidelium, quamuis oſtendere ſe eſſe Chriſtianum non ſemper ſit neceſſarium.

Spes Theologica eſt inclinatio

ad beatitudinem, Dei auxilio conſequendam. Cui oppoſita ſunt præſumptio, & deſperatio. Illa eſt velle beatitudinem conſequi viribus naturalibus, aut ſine bonis operibus, quod eſt facere Deum iniuſtum; Iſta eſt putare Deum, ſibi non parciturũ, aut ſe nunquam bene facturum.

CHARITAS eſt amicitia hominis ad Deum ſupernaturalis, qua diligimus Deum, & proximum propter Deum. Et neceſſaria eſt ad opera meritoria, & ad beatitudinem. Charitas proximi obligat ad volendum omni homini cum effectu bona ſpiritualia, & temporalia, & beneficia communia. Spiritualia tenemur velle cum effectu exiſtenti in extrema neceſſitate etiam cum vitæ noſtræ diſpẽdio, vt fidem, & gratias. Extra hos caſus curati tenentur miniſtrare ſpiritualia ex officio, & procurare ſalutem ſubditorum, & inquirere neceſſitates. Vnde non poteſt fugere tempore peſtis, & ſinere oues, ſine Sacramentis. Ad temporalia omnes etiam tenentur in extrema neceſſitate etiam cum detrimento rei temporalis; In graui vero etiã cum paruo aliquo detrimento temporali ſi poſſint ſuccurrere. Beneficia communia omnes tenentur inimicis exhibere, vt Eleemoſinas ſalutationes non tamen particularia. Sequitur omnes teneri ad remittendas iniurias quantum ad odium, non quantum ad ſatisfactionem. Eſt exceptio, quod licet iniquis, velle malum propter emendationem, vel ne noceant. Contra Charitatem ſunt quatuor peccata. Primum odium Dei, quia punit. Secundum amare Deum principaliter propter aliquod bonum creatum, vt propter beatitudinem, quæ ſi non eſſet, non amaretur. Tertium amare non quatũ debetur hoc eſt non ſuper omnia. Quartum nõ diligere tempore, quo Deus eſt diligendus, vt quando peruenitur ad vſum rationis, & in mortis articulo, & adminiſtrando Sacramenta, & quando recipitur notabile beneficium, aut incipitur opus arduum, quod multum indiget gratia. Quia in his temporibus obligat contritio. Schiſma etiam eſt contra charitatẽ. Nam eſt ſeparatio ab vnitate, & obedientia Eccleſiæ ſub vno capite. Prædicta ſunt contra actum charitatis peccata vero contra obſeruationem mandatorum ſunt contra executionem charitatis. Nam dupliciter diligitur Deus, & quantum ad actum, & quantum ad executionem operum, vel effectum.

PECCATA CONTRA DEI mandata.

SVNT mortalia, niſi excuſet leuitas materiæ, vel defectus plenæ deliberationis, aut pleni vſus rationis. Item mandata obligant ad actum incluſum in præcepto non autem ad finem charitatis. Ideo communiter dici ſolet poſſe impleri mandata ſine charitate, quãtum ad ſubſtantiam, ſed non quantum ad modum.

CONTRA primum ſunt Impietas, Blaſphemia, Superſtitio, Tentatio Dei religioni contraria. Nam præcipitur actus religionis hoc eſt adoratio interior, & exterior præſupponens cognitionem excellentiæ Dei, ex qua ſequitur ſubiectio. Impietas eſt pietati cõtraria, qua Deũ, & ſanctos honoramus. Blaſphemia eſt negare Deo bonum, quod habet, aut tribuere, quod non habet, aut maledicere, vel irridere, quod eſt officium damnatorum, & in iure magnis pœnis punitur. Superſtitio eſt falſa religio exhibens cultum indebitum hoc eſt falſum, aut ſuperfluũ,

aut

aut Dæmoni exhibitum. Cuius ſpecies ſunt Idolatria, Magia, Diuinatio, Vana obſeruantia, Maleficium, ad ſciendum, vel operandum, vel nocendum ſupra naturam virtute Dæmonis. Tentatio Dei eſt dictum, vel factum ad capiendam experientiam attributi diuini. Huc reduci poteſt Apoſtaſia a religione contra votum ſolemne. Votum eſt promiſſio libera Deo facta cum intentione ſe obligãdi ad perfectiora in honorem Dei, & melius conſequendam beatitudinem. Vnde non ſufficit ad votum motus primo primus voluntatis adeo celer, vt viſo obiecto non ſit in hominis poteſtate impedire, ideo non eſt meritorius, neq; ſufficit motus ſecundo primus, qui imperfecte reprimi poteſt, & in eo ſolum veniale eſſe poteſt. Ergo requiritur actus perfecte liber, & cognitio eius, quod fit, & poteſtas, qua poſſit promittere, & non promittere.

Materia voti debet eſſe bona non indifferens, & poſſibilis, & de meliori bono, quod non repugnet conſilijs Euangelicis. Duplex eſt votum ſimplex, & ſolemne. Similiter Apoſtaſia, aut eſt contra ſolemne religionis, aut contra votum clericale. Item aliud eſt votum abſolutum, aliud conditionatum aliud pænale. Tollitur tribus modis per irritationem ſuperioris, per commutationẽ, & per diſpenſationem. Epiſcopus poteſt vota ſubditorum commutare, & diſpenſare cum cauſa exceptis reſeruatis Papæ, quæ ſunt religionis, caſtitatis perpetuæ, & peregrinationis in Ieruſalem, ſanctum Iacobum, & ſanctum Petrum.

Val. p. 13. CONTRA ſecundũ eſt iuramentum falſum; nam iurans tenetur veritatem iurare, & non poteſt vti æquiuocatione, immo iuridice interrogatus a ſuperiore, aut vendens tenentur vti communi ſignificatione uocabulorum ad mentem interrogantis. Non tñ qui cogitur iurare, is enim poteſt amphibologia vti.

CONTRA tertium ſunt opera ſeruilia in feſtis; niſi ſit paruitas materiæ, aut fiat propter neceſſitatem.

CONTRA quartum ſunt peccata filiorum, & etiam patrum ſpiritualium quales ſunt Parochi, & Epiſcopi. Epiſcopus ante electionem peccat ſi ſit indignus appetendo Epiſcopatum, & in ipſa collatione acceptando. Item peccat recuſando ſi ex obedientia ei præcipiatur, vel populus ſit in neceſſitate. Item ſi fiat per ſimoniam, vel fictionem ſine requiſitis a Tridentino, ætate vita bona, ordine, & doctrina notabili, & poſt collationem ſi intra tres menſes non conſecretur. Poſt conſecrationem, niſi præſtet ea quæ tenetur. Primo reſidere. Secundo bonos miniſtros in vtroque foro conſtituere. Tertio dignos ordinare, & beneficia dignioribus conferre. Vnde prætermittere ad beneficium notabiliter digniorẽ eſt peccatum mortale. Quarto prædicare. Quinto viſitare Diœceſim, & facere implere teſtamenta. Sexto diſcordes concordare. Septimo Synodum quotannis celebrare. Octauo bona Eccleſiaſtica pauperibus diſtribuere exceptis neceſſarijs ad decentes ſumptus ſuos, & ſuorum. Nono menſa, victu, & ſuppellectili modeſta frugali, ac neceſſaria contentum eſſe, contemptis vanitatibus ad exemplum humilitatis, & continentiæ iuxta Triden. ſeſſ. 25. Decimo irreprehenſibilem ſe exhibere, & dare exempla omnium virtutum. Vndecimo conſiderare mores ſui populi, & publica peccata prohibere, & caſtigare. Duodecimo non niſi graui ex cauſa excommunicare. *Seſſ. 22. c. 1.*

PAROCHVS item peccat, niſi ſit idoneus. Qui debet eſſe legitimus, & animum habere clericandi, & 25.

annum attingere iuxta Triden.ſeſ.7. c.3.& ſi in peccato ſit habere animũ ſe emendandi, & addiſcendi ſi opus fuerit, aliter peccat ſuſcipiendo Curatum. Poſt collationem intra annũ fieri ſacerdos, & procurare ſi aliquid ei deſit ad officium neceſſariũ, & ſi inhabilis ſit renuntiare. Si habeat duo curata, vnum relinquere. Tenetur etiam reſidere, nec poteſt abeſſe,niſi de licentia Epiſcopi, & rationabili de cauſa ad duos menſes,conſtituto ſufficienti ſeruitio.Itẽ facere profeſſionem fidei in manibus Epiſcopi intra duos menſes, & ſi reditus ſint pingues quotidie celebrare, vel iuxta conſuetudinem, & prædicare in feſtis neceſſaria ad ſalutem,vel conſtituere alium,qui prædicet, & Sacramenta adminiſtrare, etiam quando ex deuotione petuntur, & publicos peccatores inquirere, & corrigere, vel Epiſcopo manifeſtare, & viſitare infirmos periculoſos, eoſque ad Sacramenta, teſtandum hortari, & ad ſalutem neceſſaria. Negligentia in hac parte eſt grauiſſima; quia damnantur multi, qui ſaluarentur ſi Sacramenta reciperent. Tandem pauperes ſepelire, & animas Deo commendare ſine eleemoſyna.

Contra quintum iniuſta hominis occiſio, vel damnificatio, eſt illicita,niſi auctoritate publica ex iuſtitia cum probatione ſufficiẽti fiat; aut propter neceſſariam defenſionẽ. Item & occiſionis ſui permiſſio, peccatum eſt, niſi propter iuſtitiam,aut fidem Chriſti, vel commune bonũ.

Contra ſextum eſt fornicatio, ſeptem habens ſpecies. Prima fornicatio ſimplex ſoluti cum ſoluta; quam aſſerere nõ eſſe peccatum, hæreticum eſt. Secunda Stuprum. Tertia Adulterium. Vbi ſciendum teneri adulteram manifeſtare filios illegitimos, ſi poteſt ſine periculo vitæ, & infamiæ, & ſperat eius dictum eſſe credendum. Immo Soto tenet etiam cum periculo obligari,ſi hæreditas ſit pinguis,vt ducatus. Pœna adulteri eſt perdere ius petendi debitum. Quarta Inceſtus cum conſanguinea,vel affine intra quartum gradum. Quinta Raptus. Sexta ſacrilegium cum Deo dicata. Septima peccatum contra naturam, cuius quatuor ſunt ſpecies, Mollities, Concubitus inordinatus, Sodomia, Beſtialitas. Item etiam ſunt peccata delectationes, deſideria, deliberata, locutiones, & opera imperfecta.

Contra ſeptimum ſunt furta Vſuræ,Simoniæ,Cenſus, & Cambia iniuſta. Vnde ex acceptione alieni, detentione,vel damnificatione contra rationem oritur obligatio reſtituendi. Cuius cognitio Sacerdoti neceſſaria eſt. Quæ eſt actus iuſtitiæ, quo redditur alienum Domino, de qua octo capita ſunt ſcienda; Quis teneatur reſtituere, & quid, cui, quantum,quomodo,quando, vbi,& cauſæ excuſantes. Regula ad cognoſcendum, quis teneatur eſt;qui alienum iniuſte accepit, vel qui iuſte accepit, ſed detinet iniuſte, inuito Domino,rationabiliter, aut fecit aliquid iniuſte circa alienum; iſte tenetur reſtituere; nam qui nihil fecit circa alienum ad nihil tenetur. Sequitur eum, qui iuſte accepit, ſed ad certum tempus, vel cum conditione teneri,vt depoſitarius, emptor tenentur ad conditionem. Qui vero iniuſte accepit alienum, vel damnũ intulit tenetur, quia vera cauſa eſt vt alter minus habeat, licet non ſit cauſa, ſine qua non,vt melius aliqui ſentiunt. *Val. materia de reſtit.* Sequitur etiam octo genera perſonarum teneri ad reſtitutionem, vt ſupra.Circa quid diſtinguendum eſt, retinens alienum,aut poſſidet bona fide,vel mala,ſi mala tenetur ad damna, & rei reſtitutionem

etiam res pereat. Si bona fide tenetur quando cadit a bona fide. Vnde reſtituenda eſt res ipſa ablata, aut valor ſi nō ſit; Et vltra hoc in male acceptis damna, & fructus rei acceptæ. Circa cui, dicendum eſt; Domino, aut ei qui poſſidebat faciendam eſſe reſtitutionem, vel hęredibus, aut pauperibus. Circa quantū, dico eſſe reſtituendum quantum prudens iudicauerit, vt ſi damnum fuerit illatum in ſeminibus. Circa quomodo dicendum faciendam eſſe per ſe, vel per alium, & ſi commode fieri poſſit, ſine damno reſtituentis; circa vbi in male acceptis facienda eſt in loco Domini proprijs expenſis reſtituentis. Cauſæ excuſantes à reſtitutione ſunt ſeptem remiſſio, vel condonatio, Domini recompenſatio, ceſſio bonorū, præſcriptio legitima, ignorantia, neceſſitas, & habere alienum via licita, vt per ludum. V S V R A eſt accipere lucrum pecunia ęſtimabile ex vi mutui. Quæ triplex eſt, mentalis, realis, ſiue manifeſta, & palliata colore aliquo iuſtitiæ: Sunt cauſæ propter quas lucrum exigi poteſt nō tamen ex obligatione mutui, quod eſt damnabile. Primo in pęnam non ſolutionis. Secundo ratione damni emergentis. Tertio ratione lucri ceſſantis. Quarto quando lucrum erat alias debitum. Quinto quando a caſu mutuum plus valet tempore ſolutionis. Sexto quando potius eſt ſors quam mutuum. Item ſciendum ad vſuras teneri etiā Iudices Notarios conſulentes factores. Et vſurarius notorius non eſt abſoluendus niſi reſtituat, vel det cautionem ſufficientem. C E N S V S eſt ius exigendi penſionem de re vtili alterius. Tria requiruntur ad Cenſum iuſtum, vt vere ſint bona fructifera ſupra quę ſundatur Cenſus, & Cenſus non excedat fructus rei, & pretium ſit iuſtum. Eſt duplex temporalis, & perpetuus, item redimibilis, & irredimibilis. C A M B I V M eſt permutatio pecuniarū pro pecunijs cū lucro. Quattuor ſunt eius ſpecies, cambium minutum, cambium per litteras, Reale & ſiccum. S I M O N I A eſt voluntas contractum efficiendi cum pretio circa rem ſpiritualem. Rerum ſpiritualium quinque ſunt genera. Virtutes, ſacramenta, actus poteſtatum ſpiritualium, annexa officio ſpirituali, vt ius ad fructus, & præparatoria, vt vaſa ſacra: Circa iſta poteſt committi ſimonia. Pretium eſt triplex pecunia, vel pecunia ęſtimabile, pretium linguæ, vt laus, & obſequium, ſequitur ad ſimoniam non ſufficere dare tēporale pro ſpirituali, aut recipere, niſi detur tanquam pretium quo compenſetur, & tanti ęſtimetur. Vnde ſi temporale accipiatur tanquam motiuum, hoc eſt ex affectu ad temporale, vel tāquam compenſatio gratuita, & non tanquam pretium, vt per modum ſuſtentationis, eleemoſynę, vel conſuetudinis non eſt ſimonia. Triplex eſt ſimonia mentalis, conuentionalis, & realis. Pœna ſimoniaci realis in ordine, & beneficio eſt excommunicatio Papalis ipſo facto; Immo ſtylus curiæ eſt etiam conuentionalē hanc pœnam incurrere, quando datum eſt beneficium, & pretiū eſt promiſum, licet nondum ſit datum. Secunda pęna eſt priuatio beneficij empti, aut venditi, & obligatio reſtituendi pecuniam acceptam. Beneficium eſt ius, & poteſtas percipiendi fructus ex bonis Deo dicatis, & ſunt quattuor genera illorum; Quædam ſimplicia, quædam curata ſine iuriſdictione, alia curata cum iuriſdictionem, vt epiſcopatus. Alia iuriſdictionem habentia ſine cura, vt Abbatiæ. Dans beneficium peccat ſi non dat gratis, & ſecundum iuſtitiam dignis, imò dignioribus, vt ſupra dictū eſt,

Valerius in materia ſimonia.

Similiter accipiẽs beneficium ſi non ſit aptus, vel accipiat per Simoniam peccat. Plura habere beneficia non eſt intrinſece malũ, quia poteſt eſſe bonum cum quibuſdam conditionibus, ſecundum Triden. in duobus caſibus, ſcilicet propter tenuitatem beneficiorum, vel cum diſpenſatione: Tamen vt ſit tutus, diſpenſatus debet fieri cum neceſſitate, vel vtilitate Eccleſiæ. Vnde ſi plura excedant conuenientem ſuſtentationem habita ratione perſonæ loci, & tpis, non poteſt cũ bona conſcientia retinere.

Contra octauum peccat teſtis, niſi offerat ſe ad teſtificandum, quando paratur malum contra bonum commune, vel quando proximus indiget ſuo teſtimonio, ſi poteſt abſque detrimento. Item ſi non teſtificatur vere, & ſi dixit falſum niſi reiteret teſtimonium etiam cũ vitæ periculo, ſi accuſatus, ſit in graui periculo. Quod ſi poſt depoſitionem intelligat eſſe falſum quod dixit, tenetur, comparere coram iudice, ſi poteſt ſine damno, & ſperet proficere. At poſt ſententiam ſatis eſt partem admonere. Peccatur etiam contra octauum detrahendo. Detractio eſt ablatio famæ per verba cum intentione nocẽdi, quod de ſe eſt mortale; ſit tamen veniale in tribus caſibus. Nempe quando non eſt nocendi expreſſa intentio, vel actus eſt indeliberatus cum inaduertentia, vel eſt leuitas materię: Et ſunt octo modo detrahendi, imponendo, augendo, manifeſtando, in malum conuertendo, negando, minuendo, tacẽdo remiſſe laudando fama poteſt reſtitui quattuor modis, primo dicendo vere eſſe falſũ, ſecũdo laudando pſonã, tertio dicẽdo male feciſſe, quarto dicendo audiuiſſe nõ tñ certo ſcire.

Contra nonum eſt appetitus immoderatus diuitiarum, vt contra iuſtitiam, aut charitatẽ, ex quo oriuntur plura peccata, vt impoſitiones iniuſtæ reipublicæ, cum ſit tributum a Principe in commune bonum impoſitum quattuor ſunt ſpecies, prima vectigal, ſiue portorium in mercibus, pro ędificio viarum, & ſuſtentatione Principum, ſecunda guidagium in mercibus pro ducatu ſecuro, tertio ſtricte gabella ſuper ijs quæ in ciuitate emuntur, & venduntur, quarta Tallia exacta a quolibet ſubdito. Vectigal poteſt imponi ab habente poteſtatem dũmodo ſit moderatum, & non exigatur ab eccleſiaſticis, neq; ſuper his quæ portantur ad vſus proprios; Alia imponi non poſſunt niſi pro graui neceſſitate cui aliter ſuccurri non poſſit, præſertim Tallia, ita quod ceſſet ceſsãte neceſſitate, & modo iuſto, vt non plus grauetur pauper q̃ diues.

Contra primum eccleſiæ pręceptum eſt frangere ieiunium eccleſiaſticũ quod tria poſtulat vnitatem prandij a media nocte in mediam noctem, qualitatem ciborum ne ſint carnes, vel lacticinia. Et tempus prãdij ſit circa meridiem. Excuſant quattuor cauſæ infirmitas paupertas, labor, & pietas.

Contra ſecundũ nõ eſt intereſſe Miſſæ ſacrificio, vel nõ attendere ad ea quę fiunt in eo, in feſtis colẽdis de præcepto. Vnde non obligat ad audiendum, neque ad intelligendum quæ dicuntur, cum non poſſint hoc facere ruſtici, & qui a longe aſtant. Obligantur tamẽ omnes non diſtrahi voluntarie. Excuſatur omittens Miſſam propter damnum ſpirituale, vel corporale vitandum.

Contra tertium eſt, non confiteri ſemel in anno, ſi habeat mortale. Tempus non eſt determinatum; Et ita ſatis eſſet confiteri in Natali Domini, & ita Paſchate non habens mortale poſſet communicare; tamẽ propter ſcandalum tenetur ad confeſſionem

feſſionem accedere, & confiteri venialia, vel dicere ſe non habere materiam neceſſariam. Quia conſuetudo eſt confiteri in quadrageſima, vel in Paſchate propter communionem. Nam hoc præceptum obligat habentem mortale quando eſt communicandum. Atque etiam in periculo graui, vt commiſſurus bellum nauigaturus, prægnans, & credens non habiturum eo anno ſacerdotem ſi prætermittit occaſionem.

CONTRA quartum eſt non communicare in Paſchate, hoc eſt a feria quinta in Cæna Domini, vſque ad octauam Paſche, vel vt obtinet conſuetudo multorum locorum per totam quadrageſimã; Niſi confeſſarius aliud expedire iudicauerit. Obligat etiã in mortis articulo.

CONTRA Quintum eſt non ſoluere decimas Miniſtris Eccleſię iuxta conſuetudinem patriæ, vel partem decimarum ſufficientemque ſuſtentationem; quia hoc eſt de iure diuino, & naturali immutabili.

SEPTEM VITIA CAPITALIA, non ſunt omnia ex genere mortalia, ſed mortalium radices. Mortale peccatum dupliciter dicitur, mortale abſolute ſine addito, & mortale ex genere. Mortale abſolute eſt actus liber contra Dei præceptum priuans gratia Dei, & dignus pœna ęterna. Mortale ex genere, quod ex ſe priuat gratia Dei, niſi impediatur ob defectum materiæ, vel libertatis. Superbia eſt inordinatus appetitus propriè excellentiæ. Quæ non conſiſtit in cognitione, ſed in volitione qua homo vult eſſe maior quam ſit contra rationẽ in ęſtimatione propria, vel in ęſtimatione aliorũ, aut in opere cum vult facere ſupra id quod vere eſt. Quattuor ſunt eius ſpecies, prima bonum quod habet ab altero ſibi tribuere, ſecũda bonum quo habet ſine merito tribuere ſuo merito, tertia tribuere ſibi bonum, quod nõ habet, quarta velle excellentiam ſupra alios; ſed hæc non ſemper ſunt mortalia, niſi cum contemptu Dei, vel cum præparatione animi, frangendi Dei præceptum, vel quando ſequitur damnum notabile proximi, vt iniuria, infamia, inhonoratio; aliter eſt veniale, periculoſum tamen, & radix malorum. Ex ſuperbia naſcitur vanagloria, & ambitio honorum, & dignitatum immoderata. Quæ mortalis eſt ſi finem habeat mortalem, vti coniungatur, cum præparatione tranſgrediendi pręceptum, vel Dei contemptu, aut proximi iniuria. Vanagloriæ filiæ ſunt multæ, vna eſt inobedientia, nõ materialis, nam hæc communis eſt omnibus vitijs, ſed eſt ſpecialis trãſgreſſio mandati, quia mandatum eſt. Et eſt quadruplex, religioſorum, clericorum, filiorum, & legum. Inobedientia religioſi eſt tranſgredi ſuperioris mandatum de contentis in regula quam profitentur, vel circa neceſſaria ad impletionem illorum, aut circa pœnas pro culpis contra regulam. Eſt mortalis ſi præcipiatur intentione obligandi ad mortale. At facere contra mandatum ſuperioris in his in quibus nõ eſt ſuperior, non eſt inobedientia, neque tenetur, vt ſi præcipiantur actus pure interni, vel peccatum veniale, vel aliquid contra præceptum diuinum, aut ex eo ſequatur damnum alterius, vel ſcandalum. Quia non tenentur obedire in ijs quæ ſunt ſupra regulam, vel præter regulam, vel cõtra regulam. In dubijs vero, an bene præcipiatur, inferior tenetur credere ſuperiori. Inobediẽtia Clericorum circa mandatum Epiſcopi in re graui pertinente ad ſtatum Clericalem eſt mortale. Atque etiam Laicorum in ſpectantibus ad ſalutem ſpiritualem, vt circa ſacrorum ſuſceptionem, & impletionem

nem mandatorum Dei, vel Eccleſiaſticorum. Inobedientia etiam filiorum in rebus domeſticis, & bonis moribus dum ſunt ſub parentum poteſtate ſi nolint acquieſcere in re grauj, mortale eſt.

INOBEDIENTIA legis diuinæ, & naturalis eſt mortale peccatum, niſi excuſet leuitas materiæ, vel imperfectio actus. Inobedientia etiã legis Eccleſiaſticæ, & etiam ciuilis præceptiue in re graui eſt mortalis, vt Toletus cum Soto tenet contra Naua. Imò, & pœnalium tranſgreſſio, quando ponitur pœna notabilis, vt exilium, amiſſio bonorũ eſt mortalis ſecundum communem. Quia pœne explicant intẽtionem obligandi ad mortale. Requiruntur ad legem humanam quattuor eſſe iuſtã, eſſe promulgatam, & receptam, & non abrogatam per contrariam conſuetudinem, neque ignoratam inuincibiliter. Ad iuſtam alia quattuor, vt ſit in commune bonum, vt fiat ab habente poteſtatem, & materia ſit bona, & ſit proportio. Lex enim eſt ordinatio rationis, in commune bonum inſtituta oſtendens, quid agendum, quid non agendum. Alia regula pro legibus Eccleſiaſticis eſt, tunc obligare ad mortale, quando vſus Eccleſiæ, & doctorum, ita interpretatur communiter obligare. Vel ſi præcipiatur ſub pœna maledictionis, aut excommunicationis licet nõ conſtet de intentione legislatoris. Talis eſt lex de ieiunio quadrageſimæ, & cõfeſſionis, & communionis in Paſchate conueniunt doctores in hoc poſſe ſuperiores Eccleſiaſticos, & Sæculares obligare ad mortale, & quando habent talem intentionem præceptum obligare. Sed quando de intentione non conſtat ex ſupradictis ſignis intelligi poteſt. Non tamen eſſet mortale agere contra verba legis ſi eius intentio ſeruetur, & non poſſit, ſuperior conſuli.

AVARITIA quæ eſt appetere diuitias ſine modo conſiſtit in retinendo, vel acquirendo contra rationem, vel in affectu immoderato quo quis eſt paratus, vt ea habeat tranſgredi præceptum, & his modis mortale eſt niſi excuſet leuitas materiæ, aut imperfectio actus. At quando eſt contra liberalitatem tantum, tũc eſt veniale ex hoc capitali oriuntur obduratio, fraus, & alia obduratio eſt non dare eleemoſynam conſtituto in extrema neceſſitate etiam de neceſſarijs ad ſtatus decentiã. Quod eſt mortale peccatũ, quia tunc obligat præceptũ eleemoſinæ; vita enim proximi magis æſtimanda eſt quam decentia ſtatus, & illa ſunt ſuperflua naturæ non ſimpliciter neceſſaria. Quod intelligendum eſt ſi conſtet de tali neceſſitate, & probabiliter ſciatur non eſſe per alium ſubleuandam. Et ſermo eſt de neceſſitate extrema hoc eſt vitæ periculo quo ſperatur mors, & vitari non poſſit niſi ſuccurratur. Imò etiam in graui non ſuccurrere eſt mortale ſecundum S. Thom. Nam perditur amicitia ſi non ſuccurratur amico grauiter laboranti, quando minori incommodo notabile malum auerti poteſt. Grauis neceſſitas vocatur periculum perdendi honorem, & decentiam, vt ſi cogatur filias proſtituere. Supponendum eſt eſſe de fide, quod datur præceptum eleemoſinæ, quod obliget aliquo tempore; patet ex illo, Ite maledicti quia eſuriui, & non dediſtis. Immo, & in communibus neceſſitatibus de ſuperfluis hoc eſt quæ neceſſaria non ſunt penſatis ſolitis periculis non dare eleemoſinam mortale eſt. Quia ſancti patres hoc damnant illis verbis eſuriẽtium panis eſt, quem tu detines; licet multi ſcholaſtici teneant quod non niſi in extrema, & graui. Sed his non ob-

ſtantibus

ſtantibus diuites timere debent, quia ſunt Echonomi Dei. Et confeſſarij conſulere debent, vt diſtribuant. Rurſus in caſibus, quibus obligantur ſæculares magis obligantur Eccleſiaſtici. Quoniam tenentur ad perfectiora. Et quia bona Eccleſiaſtica ſunt oblata Chriſto. Et quia paucioribus indigent, & magis habent ſuperflua. Vnde licet ſæculares ſatisfaciant ſuccurrendo neceſſitatibus occurrentibus, non tamen Epiſcopi, & Curati, quia patres pauperum ſunt, ideoque ad plus tenentur, nempe inquirere neceſſitates ſubditorum. Fraus eſt deceptio opere exhibita, quę ſolet committi in emptionibus, & venditionibus, tum in precio, tum in re vendita, & in modo vendendi. Vendere neceſſaria ad vitam maiori pretio notabiliter, quam communiter æſtimantur eſt mortale obligans ad reſtitutionē, non tamen pertinentia ad ornatum, aut delectationem. Item vitium occultum mercis in damnum emptoris non manifeſtare, & tanquam non defectuoſam vendere peccatum eſt. Tandem anticipata ſolutione emere minori pretio, quam infimo non licet; Neque credito maiori quā ſummo.

CIRCA SACRAMENTVM matrimonij.

SCIENDVM eſt. Materiam eſſe conſenſum internum, formam vero, verba, aut exteriora ſigna, vel nutus quibus exprimitur conſenſus. Cauſa efficiens matrimonij, vt eſt contractus ſunt ipſi contrahentes. Sed quatenus Sacramentum principalis cauſa eſt Deus. Miniſter eſt cauſa inſtrumentalis, qui ante Concilium non erat neceſſarius, at poſt Triden. ita eſt de eſſentia, quod clandeſtinum matrimonium non valet, ſine præſentia Ordinarij, Parochi, aut Sacerdotis de illorum licentia, & duobus teſtibus. Impedimenta matrimonij duplicia ſunt, quædam dirimentia, cum quibus ſi attentetur inualidum eſt. Et ſunt 14. Primum error perſonæ. Secundum conditio ſeruitutis. Tertium votum ſolemne religionis. Quartum cognatio ſpiritualis, legalis, vel naturalis, quæ eſt conſanguinitas intra quartum gradum a communi radice. Quintum adulterium, & homicidium coniugis. Sextum diſparitas cultus. Septimum violentia, vel metus. Octauum ordo ſacer. Nonum ligamen matrimonij rati. Decimum iuſtitia publice honeſtatis, ex ſponſalibus, vel matrimonio. Vndecimū affinitas. Duodecimum impotentia. Decimumtertium conditio contra bona matrimonij. Decimumquartum raptus poſt Concilium. Alia ſunt ſolum impedimenta impedientia, cum quibus licet contrahere peccatum ſit, ſed valet matrimonium. Et ſunt quinque. Primum interdictum. Secundum votum ſimplex caſtitatis, aut religionis. Tertium ſponſalia, cum alia. Quartum cognatio ex Catechiſmo. Quintum crimen aliquod ex ſequētibus. Inceſtus, Vxoricidium, Raptus alienæ vxoris; ſuſcipere proprium filium in baptiſmo, cum malo animo occidere Sacerdotem. Accipere monialem in vxorem. Cum quibus ſcienter contrahere, abſque diſpenſatione eſt mortale. Quia eſt prohibitum pro graui crimine. Hæc de Epitomate Inſtructionis Sacerdotum.

FINIS LIB. II.

DE OPTIMA CLERICORVM INSTITVTIONE.

Liber Tertius.

HIc eſt tertius Tractatus initio operis promiſſus, de his, quæ ſpectant ad eos, qui Eccleſiæ ordines ſuſceperunt, qui in tres partes diuiditur. In prima adducitur doctrina miniſtrorum Dei, ex ſacris literis, ex ſanctis Patribus, ex Pontificum, & Conciliorum Decretis; Et quid ſancta Eccleſia in Concilio Tridentino retineat. Tandem quid Scholaſtici doctores de illis aſſerant. In ſecunda ex prædictis colligitur Clericorum inſtitutum, viuendique forma, & inſtitutio ad intentum ordinis conſequendum. Econtrario vitiorum diuerticula, vt ait S. Hieron. quæ mundani homines talibus miſterijs indigni aduerſus Eccleſiaſticam Inſtitutionem, ac diſciplinam objiciunt. In poſtrema modus, & ratio, qua functiones, & officia Clericorum poſſint recte, ac legitime perfici.

SCRIPTVRAE VETERIS Teſtamenti, de Dei Miniſtris.

MVlta docent, & quamuis Sacerdotium illud vetus ceſſauerit, ſicut & lex, moralia tamen, quæ de ſanctitate miniſtrorum Dei traduntur illis, & nobis communia permanent; ac proinde illis vtitur Eccleſia Catholica, ad informandos miniſtros noui Teſtamenti, quamuis maior eſt perfectio, ac virtus Euangelicorum miniſtrorum. Hæc locorum genera tria ſunt. Primum docet creationem miniſtrorum Dei, iniunctaque eis munera. Secundum illorum ſanctitatẽ. Tertium aſſignationem neceſſariorum ad vitam.

In Exodo daturus Dominus legem ſtatim de creando ſummo Sacerdote cogitauit, de quo dixit Moy- c. 4.
ſi Aaron frater tuus, ſcio quod eloquens ſit. Poſt datam legem præce- c. 25. &
pit fieri tabernaculum, & ſanctua- 26.
rium, Arcam cum Propitiatorio, & duobus Cherubinis, menſam cum panibus, candelabrum aureum, Altare,

tare Incenſi, Atrium, Tabernaculi, & Altare holocauſti, deinde ſacerdotes (qui eſſent viua lex) creari iuſſit, c. 28. Applica Aaron fratrem tuum cum filijs ſuis de medio filiorum Iſrael, vt ſacerdotio fungantur mihi, facieſque veſtem Sanctam in gloriam, & decorem in quibus ſanctificatus miniſtret mihi. Veſtis deſcribitur cap. 29. Tunica linea balteo cincta, & hyacintina, ſuperhumerale, & rationale, & tiara in capite. In rationali ſuper pectus ſcripta erant, doctrina, & veritas. In tunica ſuperhumeralis deorſum per circuitum, mala punica cum tintinnabulis aureis, vt audiatur ſonitus quando ingreditur Sacerdos, & egreditur Sanctuarium. Quæ omnia executioni mandata ſunt per peritiſſimum artificem quem Deus ſapientia repleuit. Et Moyſes Leuiti. 8. conſecrauit Aaron, & filios eius, eoſque veſtiuit eo modo quo Deus preceperat, tunicis lineis balteis cinctis, impoſuitque mitras.

MVNERA adolendi incenſum ſuper Altare, & ſacrificandi iniunxit ſacerdoti Exodi. 30. Vnde Leuiti. 9. Moyſes locutus eſt Aaron, accede ad Altare, & immola pro peccato. Offer holocauſtum, & deprecare pro te, & pro populo; cumque mactaueris hoſtiam populi ora pro eo. Igitur obtulit ſacrificiũ Aaron pro peccato; & holocauſtum, & pacifica. Et Numer.. 20. creauit leuitas præcipiens. Applica tribum leui, & fac ſtare in conſpectu Aaron, vt miniſtrent ei, & obſeruent quidquid ad cultum pertinet, & cuſtodiant vaſa Tabernaculi, ſeruientes in miniſterio eius, Aaron autem, & filios eius conſtitues ſuper cultum ſacerdotij. Vnde Ezechias 2. Paral. 29. dixit Sacerdotibus, & Leuitis. Vos elegit dominus, vt ſtetis coram eo, & miniſtretis illi, colatiſque eum, & cremetis ei incenſum. Fecit ergo vt miniſtrarent, & confiterentur, & canerent. Munus item docendi iniungitur. Leui. 10. Vinum, & omne quod inebriare poteſt non bibetis, &c. vt habeatis ſcientiam diſcernendi, &c. doceatiſque filios Iſrael omnia legitima mea. Inſignis locus eſt ille 1. Reg. 12. de officio orandi, Abſit hoc a me peccatum in dominum (dixit Samuel) vt ceſſem orare pro vobis. Et docebo vos viam bonam, & rectam. Et Eccleſiaſtici 41. elegit Aaron ab omni viuente offerre ſacrificium Deo. Et dedit illi poteſtatem docere Iacob teſtimonia, & in lege ſua lucem dare Iſrael. Et Ioel 2. inter veſtibulum, & Altare plorabunt ſacerdotes miniſtri domini, & dicent, parce domine parce populo tuo.

DE SANCTITATE Leui. 21. dicitur loquere ad Sacerdotes; Sancti erunt Deo ſuo, & non polluent nomen eius. Incenſum domini, & panes Dei ſui offerunt, & ideo Sancti erunt. Et c. 23. loquere ad Aaron, & filios eius vt cuſtodiant præcepta mea, & non ſubiaceant peccato, & moriantur in ſanctuario cum pollue rent illud. Et 1. Reg. 2. deſcribitur peccatum duorum Sacerdotum, & ſeuera punitio; filij Heli neſcientes dominum neque officium Sacerdotum, per vim tollebant carnes ſacrificiorum, & retrahebant homines a ſacrificio, & dormiebant cum mulieribus; &c. Heli dixit eis, non eſt bona fama quam audio, ſed res peſſima, vt faciatis tranſgredi populum domini ſi peccauerit vir in virũ placare ei poteſt Deus, ſi autem in dominum peccauerit, quis orabit pro eo? Non audierunt vocem patris, quia voluit dominus occidere eos. Et Ierem. 8. dabo mulieres eorum, & agros exteris; quia à minimo vſque ad maximum omnes auaritiam ſequuntur à Propheta vſque ad Sacer-

dotem cuncti faciunt mendacium. Ezech.33. Paſtores reprehēduntur. Si me dicēte ad impiū morte morieris; nō fueris locutus, vt ſe cuſtodiat a via ſua, ipſe imp us morietur, ſanguinem autem eius de manu tua requiram. Et c.34. Vę paſtoribus Iſráel qui paſcebāt ſemet pſos. Lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod craſsū erat occidebatis, gregē autem meum non paſcebatis; ęgrotum non ſanaſtis, confractum non alligaſtis, quod perierat non quæſiſtis. Celebris eſt locus Malach.2. Ad vos ò Sacerdotes, ſi nolueritis audire, & ponere ſuper cor, vt detis gloriam nomini meo, mittā in vos egeſtatem, & proijciam ſtercus ſolemnitatum veſtrarum. Feci pactū cum Leui vitæ, & pacis, & timuit me, & a facie nominis mei pauebat. Lex veritatis fuit in ore eius, in pace, & ęquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate. Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus domini exercituum eſt. Vos autē receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos, propter quod dedi vos cōtemptibiles omnibus populis.

NECESSARIA ad ſuſtētationem aſſignatur Exodi 29. Numero 3. & Leui.2. & c. 18. dicitur Aaron. Omnis oblatio, & ſacrificium, & quidquid pro peccato redditur mihi, & cedit in ſancta ſanctorū, tuum erit, & filiorum tuorum. Item primitias quas obtulerūt filij Iſrael dedi tibi in vſus tuos, olei, vini, ac frumēti, & vniuerſa frugum initia, quæ domino deportantur. Et quidquid primum erumpit è vulua tam de hominibus, quam de pecoribus tui iuris erit, ita vt pro hominis primogenito pretium accipias, & pro animali immundo. Et infernus. In terra eorum nihil poſſidebitis, nec habebitis partem inter eos, ego pars, & hæreditas tua in medio filiorum Iſrael. Filijs autem Leui dedi omnes decimas Iſraelis pro miniſterio quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fęderis. Nihil aliud poſſidebunt decimarum oblatione cōtenti, quas in vſus eorum, & neceſſaria ſeparaui. Vnde 2.Paralip.31. Ezechias præcepit populo, vt darent partes Sacerdotibus, & Leuitis, vt poſſent vacare legi domini.

IN NOVO TESTAMENTO.

SIMILIA ſed maiora legimus. Nam de Electione Luc.6. habetur, quod Chriſtus dominus cū pernoctaſſet in oratione, & dies factus eſſet, vocauit diſcipulos ſuos, & elegit duodecim ex ipſis quos & Apoſtolos nominauit. Et c.10. deſignauit, & alios ſeptuagintaduos, & miſit illos bonos ante faciem ſuam in *Ioan.21.* omnem ciuitatem, & locum. Item *Mat.16* caput, & Paſtorem Chriſtianorum conſtituit Petrum illis verbis, paſce oues meas, quod ante promiſerat, dicens; Tibi dabo claues regni cœlorum. Et in nocte Cenę creauit ſacerdotes accepto pane, dicens; Hoc eſt corpus meum, hoc facite in meam commemorationem. Et poſt reſurrectionem inſufflans dixit Accipite Spiritum Sanctum quorum remiſeritis peccata remittuntur. Munera iniunxit dicens, hoc facite in meam commemorationem hoc eſt conſecrate, offerte Sacrificium. Et quęcunque ligaueritis erunt ligata, & quæcunque ſolueritis erunt ſoluta, &c. Item euntes prædicate Euangelium, & docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, &c. Et docentes ſeruare omnia, quæ man- *cap.5.* daui. Et per d. Iacobum. Infirmatur quis inducat presbyteros, orēt ſuper *cap.5.* eum vngentes oleo. Apoſtolus etiam de

de muneribus loquitur ad Heb. omnis Pontifex conſtituitur, vt offerat ſacrificia pro peccatis. Et omnis Sacerdos præſto eſt, quotidie miniſtrãs & eaſdem ſæpe offerens hoſtias. Et ad Tim. fiant obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarũ actiones, pro ijs, qui in ſublimitate ſunt, & pro omnibus hominibus. De officio ordinandi dicitur. Ne cito manus impoſueris; de correctione, Peccantes coram omnibus argue, de munere docendi; Prædica verbum inſta opportune importune argue, obſecra, increpa in omni patientia. Et ſic nos exiſtimet homo, vt miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorũ Dei.

Sanctitatem Chriſtus dominus grauiſſimis verbis deſcripſit, & præcepit dicens. Vos eſtis ſal terræ. Vox eſtis lux mundi. Vos eſtis ciuitas ſupra montem poſita, & lucerna ſuper candelabrum, vt luceat omnibus. In ſpecie docuit in duobus pręceptis charitatis legem; & prophetas pendere. Et hoc eſt præceptum meũ, vt diligatis inuicem. Et beati pauperes Spiritu, beati mites, beati miſericordes, beati mundo corde, beati, eſtis cum maledixerint vobis homines, propter me, &c. Manſuetudinẽ, prudentiam dicens, Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Contra auaritiam, gratis accepiſtis gratis date. Et nolite poſſidere aurum, neque argentum; de timore, nolite timere eos, qui occidũt corpus, ſed eum qui poteſt animam, & corpus perdere. de ſobrietate; Attendite ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ. Item Epiſcoporum ſanctitatem admirabili interrogatione ſignificauit dicens. Quis eſt fidelis ſeruus, & prudens quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore? Reſpondet, beatus ſeruus quem cum venerit dominus inuenerit ſic facientem. Si autem dixerit moram facit dominus, & ceperit percutere conſeruos manducet, & bibat cum ebrioſis, veniet dominus hora qua non ſperat, & partem ponet cum hypochritis. Apoſtolus etiam ſanctitatem illorum dilucide expoſuit ad Timoth. & Titum, dicens; oportet presbyterum irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudẽtem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem benignum, iuſtum, ſanctum, continentem, vt potẽs ſit exhortari. Non ſuperbum, non iracundum, nõ cupidum, &c. Similiter diacones non multo vino deditos non bilingues, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterijs fidei in conſcientia pura. Et 1. Coron. 4. Nemini dantes vllã offenſionem. Et in omnibus exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in multa patientia, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuauitate, in Spiritu Sancto. Et Timotheo Epiſcopo; Exẽplum eſto fidelium in verbo, in cõuerſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Et 1. Pet. 5. ſeniores paſcite, qui in vobis eſt gregem Dei, prouidentes non coacte, ſed ſpõtanee, ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia. Neque vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo.

De ſuſtẽtatione locutus eſt Chriſtus dominus, dicens, in quamcunq; ciuitatem intraueritis, & ſuſceperint vos, interrogate quis ſit dignus, & ibi manete. Item manducate quæ apponuntur vobis. Et dignus eſt mercenarius mercede ſua. Et 1. Corin. 9. Apoſtolus elegantibus comparationibus confirmat. Quis ſuis ſtipendijs militat? quis plantauit vineam, & de fructu eius non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte eius non manducat. Ita dominus ordinauit ijs, qui Euangeliũ annuntiãt de Euangelio

viuere. Sed abuſum damnat ad Tim. homines mente corrupti, & veritate priuati exiſtimant quæſtum eſſe pietatem. Nihil intulimus ad hunc mũdum haud dubium, quod nec auferre quid poſſumus; Habentes alimenta, & quibus tegamur his contenti ſimul.

DOCTRINA CLERICORVM EX SANCTIS PATRIBVS.

EPISTOLA D. HIERONYMI AD Nepotianum Presbyterum.

COGIS me dicere, qua ratione is, qui ſęculi militia derelicta vel Monachus eſſe cęperit, vel Clericus rectum Chriſti tramitẽ teneat, ne ad diuerſa vitiorum diuerticula rapiatur. Interpretetur primo vocabulũ ſuum, nitatur eſſe, quod dicitur, Cleros grecè ſors latinè appellatur. Clerici dicti, vel quia de ſorte domini ſunt, vel quia ipſe dominus ſors ideſt pars Clericorum eſt. Qui autem vel pars domini eſt, vel dominum partẽ habet, talem ſe exhibere debet, vt ipſe dominum poſſideat, & poſſideatur a domino. Qui dominũ poſſidet, & cum Propheta dicit, pars mea dominus nihil extra dominum habere poteſt, quod ſi quidpiam præter dominum habuerit, pars eius non erit dominus, v.g. ſi aurum, ſi argentum, ſi poſſeſſiones, ſi variã ſuppellectilẽ, cum iſtis partibus dominus pars eius fieri non dignabitur. Si autem pars domini ſum, & funiculus hæreditatis eius nec accipio partes inter cœteras tribus, ſed quaſi Leuita, & Sacerdos viuo de decimis, & Altari ſeruiens Altaris oblatione ſuſtẽtor habens victum, & veſtitum his contentus ero, & nudam crucem nudus ſequar. Obſecro te ne lucra ſæculi in Chriſti quæras militia, ne plus habeas quam quando Clericus eſſe cępiſti. Menſulam tuam pauperes, & peregrini, & cum illis Chriſtus conuiua nouerit. Negotiatorem Clericum, & ex inope diuitem ex ignobili glorioſum quaſi quandam peſtem fuge: Hoſpitiolum tuũ, aut raro, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes puellas, & virgines Chriſti, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto mãſites, nec in præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior Dauid, nec Sampſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. Memento ſemper, quod Paradiſi colonũ de poſſeſſione mulier eiecerit. Aegrotanti tibi quilibet, ſanctus frater aſſiſtat, & germana, vel mater, aut probatę apud omnes fidei, vt infirmitas tua fructum habeat Eleemoſynæ. Periculosè miniſtrat cuius vultum frequenter attendis. Si propter officiũ Clericatus vidua viſitatur, aut virgo, nunquam ſolus introeas; tales habeto ſocios, quorum contubernio non infameris; ſolus cum ſola ſecreto, & abſque arbitro, vel teſte non ſedeas. Caueto omnes ſuſpitiones, & quidquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuſcula, & ſudariola,

la,& faſciolas, & veſtes ori applicitas, & oblatos ac deguſtatos cibos, blandaſque,& dulces literulas Sanctus amor non habet.Mel meum;lumen meum,meum deſiderium,omnes delitias,& lepores,& riſu dignas vrbanitates,& cęteras ineptias amatorum in Comedijs erubeſcimus in ſæculi hominibus deteſtamur, quanto magis in Monachis, & Clericis? D I V I N A S Scripturas ſæpius lege, immo nūquā de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Diſce quod doceas,obtine eum,qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, vt poſſit exhortari, & contradicentes arguere. Paratus ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea,quæ in te eſt,ſpe. Non cōfundant opera tua ſermonem tuum, ne cum in Eccleſia loqueris,tacitus quilibet reſpondeat,Cur ergo hæc, quæ tu dicis,tu ipſe non facis. Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de ieiūnijs diſputat;Accuſare auaritiam,& latro poteſt, ſacerdotis Chriſti os manuſque concordent.

E S T O ſubiectus Pontifici tuo, amare filiorum, timere ſeruorum eſt. Illud etiam dico, Epiſcopi Sacerdotes ſe eſſe nouerint nō Dominos, honorent Clericos quaſi Clericos, vt & ipſis à Clericis,quaſi Epiſcopis honor deferatur. Scitum eſt illud Oratoris Domitij,Cur ego inquit te habeam, vt Principem, cum tu me non habeas,vt Senatorem.

D I C E N T E te in Eccleſia non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitetur. Lacrymę auditorum laudes tuæ ſunt.Sermo Presbiteri ſcripturarum lectione conditus ſit.Nolo te declamatorem eſſe, & rabulam,garrulūque ſine ratione,ſed miſteriorum peritum, & Sacramentorum Dei eruditiſſimum. Verba voluere,& celeritate dicendi apud imperitum vulgus admirationem ſui facere, indoctorum hominum eſt.Nihil tam facile,quam vtilem plebeculam, & indoctam concionem linguæ volubilitate decipere,quæ quidquid non intelligit plus miratur. Veſtes pullas æque de vita, vt candidas; ornatus, vt ſordes,pari modo fugiendę ſunt, quia alterum delitias, alterum gloriam redolet. S V N T qui pauperibus paulum tribuunt, vt amplius accipiant, & ſub prætextu eleemoſynæ quærunt diuitias,quę magis venatio appellanda eſt, quam eleemoſynæ genus;ſic beſtiæ, ſic aues,ſic capiuntur,& piſces. Modica in hamo eſca ponitur, vt matronarum in eo ſacculi protrahantur. Sciat Epiſcopus cui commiſſa eſt Eccleſia quem diſpenſationi pauperum curęque pręficiat. Melius eſt non habere,quod tribuā, quam impudenter petere, quod recondam. Nunc cum paupertatem domus ſuæ pauper Dominus dedicarit, cogitemus crucem eius,& diuitias lutum putabimus. Quid miramur, quod Chriſtus vocat iniquū Mammona? Quid ſuſcipimus,& amamus, quod Petrus ſe non habere glorioſe teſtatur? neque mihi aliquis opponat diues in Iudæa templum, menſam, lucernas,thuribula ſciphos, Mortariola, & cætera ex auro fabrefacta, ſcientes cum Paulo,quod lex ſpiritualis eſt. Sic intelligamus,vt Dominus noſter intellexit, aurum repudiemus cum cæteris ſuperſtitionibus Iudæorum, aut ſi aurum placet placeant, & Iudæi, quos cum auro, aut probare nobis neceſſe eſt, aut damnare. Gloria Epiſcopi eſt pauperum inopiæ prouidere. Ignominia ſacerdotis eſt proprijs ſtudere diuitijs.

C O N V I V I A tibi vitanda ſunt ſæcularium, & maxime eorum, qui honoribus tument. Turpe enim eſt ante fores Sacerdotis Chriſti crucifixi,& pauperis, & qui cibo quoque

veſcebatur alieno lictores cõſulum, & milites excubare, iudicemq; Prouinciæ melius apud te prandere, quam in Palatio. Quod ſi obtenderis te facere hæc, vt roges pro miſeris atque ſubiectis; Iudex ſæculi plus deferet Clerico continenti, quam diuiti, & magis ſanctitatem venerabitur, quam opes; aut ſi talis eſt, qui non audiat Clericos pro quibuslibet tribulatis, niſi inter phyalas, libenter carebo huiuſmodi beneficio, & Chriſtum rogabo, qui magis, & citius ſubuenire poteſt, quã Iudex; melius eſt enim confidere in Domino, quam confidere in homine. Nũquam vinum redoleas, ne audias illud Phyloſophi, hoc non eſt oſculũ porrigere, ſed vinum propinare. Vinolentos Sacerdotes, & Apoſtolus damnat, & vetus lex prohibet. Qui Altario deſeruiunt vinum, & ſiceтã non bibant hoc eſt potum, qui inebriare poteſt. Quidquid inebriat, & ſtatum mentis euertit fuge ſimiliter, vt vinũ. Nec damnatur a nobis creatura Deo, ſed modum pro ætatis, & valetudinis, & corporum qualitate exigimus; quod ſi abſque vino ardeo adoleſcentia, & in flãmor calore ſanguinis, & valido ſum corpore, libenter carebo poculo in quo ſuſpitio veneni eſt. Pulchrè dicitur apud græcos pinguis venter non gignit mentem tenuem. Tantum tibi ieiuniorũ modum impone quantum ferre potes; ſint tibi pura caſta ſimplicia moderata, & non ſuperſtitioſa ieiunia. Quid prodeſt oleo non veſci, & moleſtias quaſdam difficultateſque ciborum quærere, caricas piper nuces palmarum fructus, ſimilam mel piſtacia. Tota hortorum cultura vexatur, vt cibario nõ veſcamur pane, & dum delitias ſectamur a regno cęlorum retrahimur. Audio quoſdam contra rerum hominumque naturam aquam non bibere nec veſci pane, ſed ſorbitiunculas delicatas, & contrita olera baccarumque ſuccum non calice ſorbere, ſed Cõcha. Proh pudor non erubeſcimus iſtiuſmodi ineptias, nec tędet ſuperſtitionis? Inſuper etiam famam abſtinentiæ in delitijs quærimus; fortiſſimum ieiunium eſt aqua, & panis, ſed quia gloriam non habet, & omnes pane, & aqua viuimus, quaſi publicum, & comune ieiunium non putatur. Caue ne hominum rumuſculos aucuperis, ne offenſam Dei populorum laude commutes. Chriſti miles nec laude extollitur nec vituperatione frangitur, non diuitijs tumet, nõ contrahitur paupertate, & leta contemnit, & triſtia, per diem ſol non vrit eum neque luna per noctem. Nolo te orare in angulis platearum ne rectum iter præcum tuarum frangat aura popularis. Nolo te dilatare fimbriam, & oſtentui habere philacteria, & conſcientia repugnãte phariſaica ambitione circũdari. Quanto melius erat hæc non in corpore; ſed in corde geſtare, & Deum habere fautorem nõ aſpectus hominum. Inde pendet Euangelium, inde lex, & Prophetæ, ſiue ſacra, & Apoſtolica doctrina. Vis ſcire quales dominus quærat ornatus? habeto prudentiam, Iuſtitiam, Temperantiam, Fortitudinem, his ex omni parte decoraris atque protegeris. Caue quoq; ne aut linguam, aut aures habeas prurientes, ideſt ne aut ipſe alijs detrahas, aut alios audias detrahentes. Parce a detractione linguæ, cuſtodi ſermones tuos; & ſcito, quia per cuncta, quæ de alijs loqueris, tua conſcientia iudicaris, & in his ipſe deprehẽderis, quæ in alijs arguebas. Neque vero illa eſt iuſta excuſatio, referentibus alijs iniuriã facere non poſſum. Nemo inuito auditore libenter refert. Cum detractoribus, ait Salomon, ne miſcearis, quoniam repente

pente veniet perditio eorum,& ruinam vtriuſque, quis nouit? tam detrahentis quam eius, qui accommo dat aurẽ. OFFICII tui eſt viſitare lãguentes, noſſe domos matronarũ ac liberos earum, & nobilium virorum cuſtodire ſecreta. Officij tui eſt non ſolum oculos caſtos, ſed & ſeruare linguam. Nunquam de formis mulierum diſputes, ne quid agatur in alia, domus alia per te nouerit. Hipocrates adiurat diſcipulos antequã doceat, & in verba ſua iurare compellit, extorquet ſacramento ſilentium; ſermonem, inceſsum, habitũ, moreſque præſcribit; quanto magis nos quibus animarum cura cõmiſſa eſt, omnium Chriſtianorum domos debemus amare quaſi proprias? Con ſolatores potius nos in mœroribus ſuis, quam conuiuas in proſperis nouerint. Facile contemnitur Clericus qui ſæpè vocatus ad prandium non recuſat. Nunquam petentes raro accipiamus rogati. Beatius enim eſt magis dare quam accipere. Neſcio enim quomodo etiam ipſe, qui deprecatur, vt tribuat, cum acceperis viliorem te iudicat; & mirum in mo dum ſi eum rogantem contempſeris plus te poſterius veneratur.

PRAEDICATOR continentiæ nuptias ne conciliet, qui Apoſtolum legit dicentem, qui vxores habent, ſic ſint quaſi non habeant, cur Virginem cogit, vt nubat? Procuratores, & diſpenſatores domorum alienarum, atque villarum quomodo poſſunt eſſe Clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates?

IDEM IN EPITAPHIO Nepotiani.

NEPOTIANVS Clericatum non honorem intelligens, ſed onus primam curam habuit, vt humilitate ſuperaret inuidiam; deinde vt nullam obſcœni in ſe rumoris fabulã daret, vt qui mordebatur ad ætatem eius, ſtuperent ad continentiam, ſubuenire pauperibus, viſitare languentes, prouocare hoſpitio, lenire blanditijs, gaudere cum gaudentibus, flere cũ flentibus, cæcorum baculus, eſuriẽtium cibus, ſpes miſerorum ſolamen lugentium fuit. Inter Presbiteros, & coæquales primus in opere, extremus in ordine. Fit Clericus, & per ſolitos gradus Presbiter ordinatur, Ieſu bone, qui gemitus, qui eiulatus? Quærebatur ſe ferre non poſſe, & iuuenilem ætatem incongruam ſacerdotio cau ſabatur. Sed quanto magis recuſabat tanto magis in ſe ſtudia omniũ concitabat, & merebatur negando, quod eſſe nolebat, eoque dignior erat quod ſe clamabat indignum. vidimus Timothæum noſtri temporis.

IDEM AD PAMMACHIVM.

MINVS eſt tenere ſacerdotiũ, quam mereri. Monachus ſi ceciderit rogabit pro eo ſacerdos, pro ſacerdotis vero lapſu, quis rogaturus eſt?

IDEM AD HELIODORVM.

ALIA Clericorum cauſa eſt alia Monachorum Clerici paſcunt oues; ego paſcor. Illi de Altario viuunt, mihi quaſi infructuoſæ arbori, ſecuris ponitur ad radicem, ſi munus ad Altare non defero. Mihi ante Presbiterum ſedere non licet, illi ſi peccauero licet me tradere Sathanæ in interitum carnis. In veteri lege quicunque ſacerdotibus non obtẽperabat, &, aut extra

tra caſtra poſitus lapidabatur a populo, aut gladio ceruice ſubiecta cōtemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens ſpirituali mucrone truncatur, aut eiectus de Eccleſia, rabido Dæmonum ore diſcerpitur. Quod ſi te quoque ad eundem ordinem pia fratrum blandimenta ſollicitant, gaudebo de aſcenſu, timebo de lapſu. Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat; ſcimus iſta, ſed iunge, quod ſequitur; oportet huiuſmodi irreprehenſibilem eſſe, ſobrium, prudentem, hoſpitalem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum &c. Vę homini, qui veſtem non habens nuptialem ingreditur ad cœnam, nihil ſupereſt, niſi vt ſtatim audiat; amice quomodo huc intraſti? & illo obmuteſcente, dicatur miniſtris, tollite eum, & mittite in tenebras exteriores. Vę illi, qui acceptum talentum in ſudario ligans cæteris lucra facientibus, id tantum quod acceperat reſeruauit, illico indignantis Domini clamore ferietur; ſerue nequam, quare non dediſti pecuniam meam ad menſā, & ego veniens cum vſuris exegiſſē eam? ideſt depoſuiſſes ad Altare, quod ferre non poteras. Dum enim tu ignauus negotiator denarium tenes, alterius locum, qui pecuniam duplicare poterat occupaſti? Quamobrem ſicut, qui miniſtrat bonum gradum ſibi acquirit; ita qui indigne ad calicem Domini accedit reus erit Dominici corporis, & ſanguinis. Non omnes Epiſcopi Epī ſunt; attendis Petrum, ſed Iudam conſidera; Stephanum ſuſpicis, ſed Nicolaū reſpice, quem Dominus in Apocalypſi ſua damnat ſententia. Probet ſe vnuſquiſque, & ſic accedat. Non facit Eccleſiaſtica dignitas Chriſtianum; ſuper humilem Dominus requieſcit, & trementem verba ſua; Cui plus creditur plus ab eo exigetur. Potentes potenter tormenta patientur.

IDEM AD OCEANUM.

QVID tibi cum fœminis, qui ad Altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico te in agro ruſtico Aratores, ac vinitores quotidie grauiter lacerabunt, ſi contra diſpoſitum fidei cum fœminis habitare contendis, viſitare cum ſocijs; nō habitare ſimul, ſed ſegregari a fœminis oportet. Ferreas mentes libido domat; ſi alligauerit, quis ignem in ſinu ſuo, veſtimenta eius non comburentur? Totum comprehendit Apoſtolus cum irreprehenſibilem ponit. Non veſtis tenera Clericum facit, aut ſacerdotem, ſed caſta mentis intentio. Memento Thamar, quod a fratre corrupta ſit.

Hæc epiſtola eſt iuſta obiurgatio, cuiuſcūque ſit.

EX D. AMBROSIO DE dignitate ſacerdotali.

SI quis fratres Oraculi reminiſcatur Domini quo famulum nequam de ſeruata ſibi pecunia, quam ad erogandum ſuſceperat, increpauit dicens; quare non dediſti pecuniam meam ad menſam &c. Non iam otioſus auditor collatam ſibi diuini muneris gratiam ſuis, tantum vſibus reſeruabit, ſed cunctis eam communicabilem faciens copioſius erogando, ſecurius poſſidebit. Vt ſibi per hæc, & plurimis ædificationis exhibeat fructum, & velut decora arbor pomis referta non infructuoſe probetur occupare terram. Beato nos Apoſtolo ad hæc inuitante; non quæro quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiāt. Idcirco nos, quibus verbi diuini credita eſt diſpenſatio, & qui gregem

Chriſti alendum ſuſcepimus, non ſine ingenti periculo credimus euaſura, ſi minime prędicemus. Et licet ad hæc nos retardet vitæ huius improbitas, incitat tamen præcepti neceſſitas. Væ mihi ſi minime prędicauero, & ſi ſuſceptū theſaurum in terra defoſſum, ideſt in meo corde diu occuluero, & lucernam diuini fulgoris compreſſam ſub modio retentaue ro, & non ſuper candelabrum propoſitum cunctorum oculis manifeſtauero, & clauſtra humanæ imperitię per claues illas regni cęlorū (quas in B. Petro Apoſtolo cuncti ſuſcepimus Sacerdotes) minime reſerauero vt audire merear pro meo modulo, Euge ſerue bone; & fidelis quia in pauca fuiſti fidelis ſupra multa te conſtituam, &c. Vnde verens ijs increpationibus, & ſupplicijs ſubdi, timore penè perculſus, amore fraterno inuitatus: non iam ad ſubditum loquor vulgus, ſed ad ipſos prædicatores vulgi mea verba conuerto, & meis cōſeruis velut obediens ſeruus, ideſt Epiſcopus Sacerdotib. Antiſtes Pontificibus, audacter prædicare ſalutis communia, nō retardabo. Nec prærogatiuam mihimet ſcientiæ, ſi hæc meis cōſacerdotibus charitatis intuitu prædicem vendícabo, aut vitæ perfectæ me eſſe fatebor cum de vita perfecta alios moneo, ſed potius cum hæc ad illos loqui audeo, ſimul cum illis quæ loquor audiam.

Avdite me Beatiſſimi Patres & ſi dignum ducitis Sanctiſſimi Fratres audite me ſtirps Leuitica germen Sacerdotale propago ſanctificata, Duces, & Rectores gregis Chriſti audite me rogantem vos pariter, & trementem, & commodis commonitionibuſq; ſolicite conſulentē. Nihil eſt in hoc ſeculo excellentius Sacerdotibus, nihil ſublimius Epiſcopis reperitur, nihil tamen miſerabilius, ſi de Sancta vita Epiſcopis periclitetur, ſi ſacerdos in crimine teneatur. Ruina quæ de alto eſt, grauiori caſu collidit. Cui plus creditur plus ab eo exigitur. Scienti legem, & non facienti peccatum eſt grāde. Aliud eſt quod ab Epiſcopo requirit Deus, aliud quod a Presbitero, aliud quod a Diacono, aliud quod a Clerico, & aliud quod a Laico. Apoſtolica eſt nobis Regula reuoluenda quæ Epiſcopales actus depingit, fidelis ſermo, ac ſi diceret, de quo ſum locuturus veraciter loquor. Si quis Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat, hoc eſt ſi Epiſcopus eſſe deſideras, magnum eſt quod eſſe cupis, ſed ſi & opus bonum ſimul amplectaris; nam ſi aliter eſſe cupis Epiſcopus, eſſe non potes. Quia oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe ſobrium, prudētem, ornatum, hoſpitalem, docibilem, vt potens ſit exhortari; & contradicentes arguere, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, nō cupidum, ſed ſuę domui bene præpoſitum. Et teſtimonium habere bonum ab his qui foris ſunt. Reprehendendi ſunt, qui diffamant ſacerdotalem honorem, & pecunijs emerunt, qui cum Simone a Sancto Petro damnati, dicente, pecunia tecum ſit in perditionem, quia donum Sancti Spiritus crediſti pecunijs comparare. Et lepram cum Giezi a Sancto ſe ſuſcepiſſe Eliſeo credant. Nam ſicut validioribus morbis capite vitiato reliquum neceſſe eſt corpus inundatione ſuperioris morbi lethaliter irrigari. Ecce ad quæ mala deuoluitur deificus ordo. Si lux eſt Eccleſiæ Epiſcopus à Dño ordinatus, ita vt imperitiæ tenebras prædicationis ſuæ eloquio rutilante conſcientiarum latebras illuminet, cur ipſe palpabilibus tenebris tenetur obſtrictus? Cum voluptatibus illicitis, & actionibus vetitis ad ſimilem facinorum voraginem multitu-

titudinem populi prouocauerit? Ipſum magis credunt homines eſſe laudabile quidquid Epiſcopus habuerit delectabile. Epiſcopus interpretatur ſuperinſpector maxime cum ſolio in Eccleſia editiore reſideat, & ita cunctos reſpiciat, & cunctorum oculi in ipſum reſpiciant. Sufficiat hucuſque noſtris nũc Sacerdotib. dilataſſe ſermonem, in quo eorum excellentiam ſimul, & caſum demonſtrauimus, ne fidentes in ſublimitate honorum minime requirant perfectionem morũ, & in ſolo ſe crederent ſacerdotis nomine pluſquam opere gloriari.

IDEM SVPER EPISTOLAM ad Timotheum.

Cuiuſcũ que ſint iſta cõmẽtaria inter opera, Ambroſ. de q Belar. de ſcrip. Eccleſ.

FIANT OBSECRATIONES, &c. Hæc regula Eccleſiaſtica tradita eſt a Magiſtro gẽtium qua vtuntur ſacerdotes noſtri, vt pro omnibus ſupplicent, & pro ijs quibus ſublimis poteſtas credita eſt, vt in iuſtitia, & veritate gubernent, vt cum tranquillitate mentis Deo ſeruire poſſimus.

DIACONOS pudicos. Qui tanta cura diaconos eligendos præcipit quos conſtat miniſtros eſſe ſacerdotum, quales vult eſſe Epiſcopos? niſi vt ipſe ait irreprehenſibiles negotia publica, turpia viliaque lucra non habẽtes? ſcit ideo negotiari, vt capiant lucra. Turpia lucra dicit eſſe ſi ſub pia profeſſione quæſtibus ſtudeatur. Poſt Epiſcopum diaconi ordinationem ſubijcit, quare? niſi quia Epiſcopi, & Presbiteri vna ordinatio eſt? vterque enim ſacerdos eſt; ſed Epiſcopus primus eſt inter presbiteros, vt omnis Epiſcopus presbiter ſit, non omnis presbyter Epiſcopus.

ATTENDE lectioni. Intentum vult eſſe exercitio lectionis, vt omni cura, & diligentia enitatur exhortari, & docere. Exhortatio eſt cum miti verbo aliquos prouocamus ad bonum; docere vero quando ea quæ latent intimamus mentibus; ſi enim Rector populi ab his diſſimulat, negligit gratiam datam ſibi. Ad hoc enim creatur dux populi, vt eius ſalutis ſollicitudinem gerat, admonendo docendo, vt fructum habeat ordinatio; quem ad hoc Deus conſtituit, vt proficiat ſaluti plebis ſuæ. Qui ergo indiligens fuerit in hac auctoritate poſitus, Dei contemptor habebitur. Neque enim poterit facere, qui nec docere dignatur.

ADOLESCENTIORES mone, vt fratres, Cum dilectionis affectu, vt videntes amoris cauſa ſe commoneri, facilius ſe corrigant. Quãdo enim non cum imperio inſinuari ſibi videt quis, quę ad bonam pertinent; vitam conſentit, humilem ſe præbẽs admonenti. Blanditijs ſolent obtineri quæ auctoritate non poſſunt.

CONTESTOR MANVS cito nemini impoſueris. Sub teſtatione Dei, ordinationem Eccleſiæ mandat, ne facile aliquis accipiat Eccleſiaſticam dignitatem, niſi prius de vita eius, & moribus fuerit diſputatum, vt dignus approbatus miniſter, aut ſacerdos cõſtituatur, vt non poſtea ſi reprehenſibilis videatur pœniteat principem populi non ad liquidum prouidiſſe, quid mereretur, quẽ improbabiliter ordinauit. Nec illum, cuius peccata ad ſuſpicionem veniunt, ordinãdum, ne commaculetur ordinator vitijs, & delictis eius. Si omnia latentia ſunt delicta, immunis erit Rector, quia conſcientia eius libera eſt, ſuſpicio enim trepidum facit; Peccat ſi nõ probat, & ſic ordinat. Melior cæteris debet probari, qui ordinandus eſt. Non ſufficit eſſe ſine crimine, quia merita eius debent præire bonorum operum, vt dignus habeatur ad ordinationem.

QVI

QVI VOLVNT diuites fieri,&c. Nihil tam pernicioſum, quam ſi Eccleſiaſticus maxime,qui in ſublimiori loco eſt, diuitijs huius ſeculi ſtudeat,quia non ſolum ſibi ipſi, ſed & cæteris obeſt. Contrariam enim formã dat hominibus; neceſſe eſt enim multos imitatores eius exiſtere ad perditionem. Quanto enim honorificentior ordine eſt,tanto magis ſuadet imitandum ſe, maxime in hac re ad quam iſta vita procliuis eſt.

EX D. AVGVSTINO SERmone 49. de diuerſis,de communi vita clericorum.

PROPTER quod volui, & rogaui, vt hodie conueniretis, &c.

Duæ res ſunt conſcientia,& fama, conſcientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam,crudelis eſt, maxime in loco iſto poſitus, de quo dicit Apoſtolus ſcribens ad diſcipulum ſuum,circa omnes te ipſum bonorum operum præbe exemplum. Noſtis omnes ſic nos viuere in ea domo quæ dicitur domus Epiſcopi,vt quantũ poſſumus imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apoſtolorũ, nemo dicebat aliquid ſibi proprium, ſed erant omnia illis communia.

Veni ad iſtam ciuitatẽ; quærebam vbi conſtituerem Monaſterium, & viuerem cum fratribus meis,ſpem omnem ſæculi reliqueram, & quod eſſe potui; eſſe nolui,nec tamen quæſiui eſſe quod ſum.Elegi abiectus eſſe in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ab eis qui diligunt ſæculum ſegregaui me,ſed eis qui præſunt non me coæquaui, ſed inferiorem locum elegi, ſed placuit domino dicere, aſcende ſurſum,vſque adeo timebam Epiſcopatum, vt quoniam cęperat eſſe alicuius momenti fama mea,in quo loco ſciebam non eſſe Epiſcopum, ne illo accederem cauebam.Et hoc agebam quãtum poteram,vt in loco humili ſaluarer, ne in alto periclitarer; ſed vt dixi ſeruus domino contradicere non debet. Veni ad iſtam ciuitatem ſecutus,quia locus habebat Epiſcopum, apprehẽſus factus ſum preſbiter, & per hũc gradum perueni ad Epiſcopatum. Et quia diſponebam eſſe in Monaſterio cum fratribus cognito inſtituto,& volũtate mea, bonæ memoriæ ſenex Valerius dedit mihi hortum in quo nunc eſt Monaſterium clericorum.

Et infra de quodam legato Eccleſiæ.

Quicumque vult exheredato filio, hæredem facere Eccleſiam, quærat alterum qui ſuſcipiat non Auguſtinum.

Et inferius.

Ego ſtatueram nullum ordinare clericum niſi mecum vellet manere, vt ſi vellet diſcedere a propoſito recte illi tollerem clericatum,quia deſereret Sanctæ ſocietatis promiſſum cęptumque conſortium. Ecce in conſpectu Dei, & veſtro muto cõſilium; Qui volunt habere aliquid propriũ, quibus non ſufficit Deus, & Eccleſia ſua,maneãt vbi volũt,& vbi poſſunt, non aufero eis clericatum.Nolo Hypochritas,malum eſt cadere a propoſito,ſed peius eſt ſimulare propoſitũ.

EX SERMONE 50.

CHaritati veſtræ,&c.

Lectus eſt locus Actuũ Apoſtolorum 4. Cum oraſſent motus eſt locus in quo erãt congregati,

& repleti ſunt omnes Spiritu Sancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia. Multitudinis autem credentium erat cor vnũ,& anima vna: nec quiſquam,eorum quę poſſidebat,aliquid ſuum eſſe dicebat,ſed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant Apoſtoli teſtimonium reſurrectionis Ieſu Chriſti Domini Noſtri. Et gratia magna erat in omnibus illis. Neque quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum,aut domorũ erant vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum diuidebant autem ſingulis prout, cuique opus erat, &c. Omnes offerte quod vultis,offerte de volũtate veſtra; quod commune erit diſtribuetur vnicuique ſicut, cuique opus erit. Si quando meliorem dederit veſtem vẽdo,quod & facere ſoleo vt quando non poteſt veſtis eſſe communis, pretium veſtis ſit commune fateor vobis de pretioſa veſte erubeſco, quia non decet hanc profeſſionem, hanc admonitionem, hæc mẽbra,hos canos.Etiam illud dico ſi forte in noſtra ſocietate ęger eſt aliquis, vel poſt ęgritudinẽ,vt neceſſe ſit eum ante horam prandij reficere,non prohibeo religioſos,vel religioſas mittere eis,quod videtur, vt mittant, &c.

EX D. AVGVSTINO AD fratres in Eremo. Sermo. 36.

Cuiuſcũq; ſint iſti ſermones doctrinam vtilẽ continent.

FRATRES Chariſſimi,oportet manum mundam eſſe quæ polluti vaſis maculas debet purgare,ne polluta deterius coinquinet, dum ſordida ſordidum tractat; Propterea ſacerdotes altiſſimi Dei,vobis dicitur mundi eſtote, qui fertis vaſa domini. Vos eſtis qui vaſa domini ferre debetis,quibus datum eſt noſſe miſteria regni Dei. Vos eſtis ſal terræ,lux mundi,lucerna accenſa; ciuitas in monte poſita; Columnæ templi,lignum ſcientię in medio Paradiſi,patroni,& Rectores terrę,Paradiſi ciues,Prophetarum filij;Patriarcharum cognati,Apoſtolorum ſucceſſores.Mundamini ergo,vt digne poſſitis ferre vaſa domini, non ſolum aurea,& argentea, ſed etiã illa pro quibus redimẽdis dominus mori dignatus eſt. Propterea tales eſſe debetis quales ait Apoſtolus;Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe,tamquam Dei diſpenſatorem non proteruum, non iracundum,nõ vinolentum,non percuſſorem, non turpis lucri appetitorem. Hæc autem non ſolum ego Epiſcopus ſeruare debeo, ſed & vos vna mecum, Deo auxiliante ſeruare debetis. Per omnia ſine crimine ſicut Epiſcopum, ita iubet eſſe presbyterum,ideſt irreprehenſibilem, vt non quærat vxores, non diuitias, non honores,ne ſecularis dicatur. Nõ enim debet qui animarũ curam gerit tranſire de domo in domũ, non frequentare forum cum ruſticis,non mercantias acquirere, non ligonizare, non tabernas intrare niſi neceſſitate compulſus; ſic enim facientes irreprehenſibiles ſunt apud homines.Sed ſi contrarium fuerit (quod dominus auertat) quomodo poterit auferre malũ de medio ouium ſi in delicto ſimili ſimiliter corruerit? vel maiori? Talis non dicitur diſpenſator, ſed diſſipator. Aliud eſt diſpenſator aliud dominus,diſpenſator ſeruus eſt. Non licet diſpenſatori percutere ſeruos, non occidere, non iracundiam portare, quia dominus eius humilis,benignus & miſericors eſt. Non licet diſpenſatori furioſum eſſe,nihil fœdius, nihil damnoſius,nihil leuius,nihil turpius in paſtore furioſitate. Attendat igitur paſtor quid legitur? Seruum Dei non oportet rixari,ſed humilem ad omnes eſſe,patientem doctorem,

in

in manſuetudine erudiẽtem eos, qui contra moueāt. Diſcant ergo paſtores ſi offenduntur patientes eſſe, & vt patientiā mereamur, oportet presbiteros non ſolum abſtinere à rixis, ſed ab ebrietate cauere. Attendite preſbiteri mei, valde deſpicitur Clericus qui ſæpè vocatus ad prandium, non recuſat. Sæpè enim è cena, vel prandio vbi magna exiſtit multitudo rixę & ebrietates naſcũtur, & ea quæ ſunt opera carnis. Ideo ſumme cauere debet Clericus ne extra domum ſuam, vel Epiſcopi prandere audeat. Aliud etiam habere debemus, vt lucri appetitores non ſimus, omne enim lucrum remotum à præsbiteris eſſe debet. Nam non ſæculi, ſed eorum quę Dei ſunt negotiatores ſumus. Sermonem noſtrum audire voluiſtis, ſed veritatem loquendo veſtram miſeriam intelligetis. Paſtores eſtis; verum eſt; ſed quales dicere non audeo, omnes peccatores ſumus in peccatis nati, & concepti, & in peccatis viuimus. Expedit, vt verum dicam quia Epiſcopus, & paſtor ſum, & pro vobis ponere animā paratus ſum. Et omne quod verum eſt a quocumque dictũ a Deo eſt. Veniat Sāctus Ezechiel, qui portam clauſam viderat in domo domini; dic dic Sancte Ezechiel, dic preſbiteris meis; ait; Væ paſtoribus, qui paſcebant ſeipſos, nonne greges paſcuntur a paſtoribus? lac comedebatis, & lanis operiebamini, quod craſſum erat occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis; Quod infirmum erat non conſolidaſtis, quod ægrotum erat non ſanaſtis, quod cō fractum non alligaſtis, quod perierat non quæſiſtis, ſed cum auſteritate imperabatis, & cum potentia, & diſperſæ ſunt oues meæ. Sed ego ſuper paſtores requiram gregem meum de manu eorum. Ecce quomodo de vobis quæritur Deus, quia non eſtis paſtores, ſed lupi, quia omnia quaſi, quę facitis propter lucrum facitis. Non ſolum quæ Eccleſiarum ſunt quęritis ſed, & quæ mundanorum. Inquiramus veritatem. Nunquid Miſſam cātare, nunquid baptizare, mortuum ſepelire ſine pretio, vel promiſſione dignamini? Nunquid non citius mortem diuitum, quam ſalutem deſideratis videre? Ecce quomodo lupi eſtis? Ecce quomodo ſimonia infecti eſtis? O Sacerdotes quid agimus? Cur tantum dormimus? Ecce latro ſemel furatur, vel fœnus tollit, ſed ſi capitur verberatur, & tanquam latro iudicatur ad mortem. O Sacerdotes mei ſi fęnus in laico crimen iudicatur, & propter hoc condẽnatur quid de vobis erit in die nouiſſimo? Quid de vobis faceret mundus ſi ſuper nos poteſtatem haberet. Quapropter tenete iuſtitiam; nolite lucrum facere, ſed habentes victum, & veſtitum contenti per omnia eſſe debetis. Qui celebrat, vel pṛedicat, vel baptizat, vt inde lucrum acquirat, bonis cæleſtibus de facto ſe priuat. Ecce Romani Principes iuſtitiam mirabilem conſeruabant in cunctis, propter quæ, & alia bona, meruerunt magnifico imperio ſublimari, & timeri a cunctis in orbe; Pagani erant, ſtultiſſimũmque putabant pro Deo colere Crucifixum, & tamen Deum ſuum timebant. Et nos qui nomen Apoſtoli in fronte portamus, ſimoniam, & latrocinium quotidie procuramus fratres in pugna ſemper ſumus licet tẽtemur ad mundum redire, vxorari, negotiari, delicate viuere, cathedram etiam aſcendere, caueamus, ne cum mundo damnemur. Vos enim eſtis dij excelſi, vos eſtis eius vicarij, vos eſtis filij excelſi, quibus datur poteſtas ligandi atque ſoluendi, aperiendi cælum, & infernum claudendi. Eia ergo Sacerdotes Dei excelſi, aperite aures cordis veſtri, quieſcite iam agere peruerſe, diſcite benefacere, paſcite oues

verbo,

verbo,& exemplo, nolite eis cælum claudere; clauditis dum non corrigitis,clauditis dum male viuere oſtenditis. Oculi ſitis cæco,& pes claudo; quando viam veritatis demonſtratis vel quando fidem eorum roboratis, ſed ſi fidem veſtram pro vobis roborare neſcitis quomodo aliorũ fidem roborare poteritis? Attendite ne turbemini ſi veritatem dico. Scio quod amara eſt veritas,& qui eam amant, vel prædicant ſæpè replentur amaritudine. Tacere tamen nõ audeo,non vobis placere intendo, quia ſi hominibus malis placerem ſeruus Dei nõ eſſem. Obſecro vos. vt vitam emendetis,conculcantes auaritiam, deſpicientes luxuriam,vitantes ſuperbiam ſimoniam odientes, pauperes amantes, pompas huius ſæculi renuentes, & pro nobis intercedẽtes, ſine intermiſſione orãtes, vt & ego vobiſcum vaſa domini digne per gratiam merear portare.

EX EODEM AVGVSTINO *ſermone 37.*

HAec eſt ſanctificatio veſtra,vt exhibeamus nos metipſos ſicut Dei miniſtres in multa patientia,in tribulationibus,in neceſſitatibus, in caſtitate,in abſtinentia,in ſcientia,in ſuauitate, in charitate non ficta,in verbo veritatis;nemini dantes vllam offenſionem, vt nõ vituperetur miniſterium noſtrũ. Tunc miniſterium noſtrum vituperatur, & ſeruitus noſtra deſpicitur, quando ea, quæ Chriſti ſunt deſpicimus, & opere adimplere negligimus. Diſcutiamus mentem ſi ſerui Chriſti ſumus pauperes eſſe debemus, quia membra Chriſti ſumus. Mementote quod gratis accepiſtis gratis date. Sed dicetis ſcriptura dicit;vt qui Altari ſeruit de Altari viuat. Ita eſt,ſed Deus intuetur corda; nam ſi Sacramentum dare diſtuleris,non miniſter Chriſti es, ſed mercator. Non igitur petas,non tantum pro baptiſmo recipias, nam facto pacto ſacra vendidiſti, & cum Simone periјſti;ſincere & ſpontanee porrige ſacramenta nihil petendo, nihil expectando,ſed ſi tibi datur iuſte recipis,& poſſides. Memento quod pauperem vitam ſacerdos gerere debet, & ideo ſi ſuperbiam habet ſi magno beneficio gaudet præter victum, & veſtitum, quod ſupereſt pauperibus dare non differat,quia omnia pauperum ſunt. Verum eſt illud,vt qui Altari ſeruit de Altari viuat, quia non licet manibus operari, ligonizare ferrum fabricare, propter ſacramenti reuerentiam. Et inferius.

Diuites raro, aut nunquam pauperibus ſacerdotibus præbendas procurant,et ſi procurant non Dei timore procurãt, ſed vt cum vxore,& familia de bonis Eccleſiæ gaudere valeant. Ideo ſciat ſacerdos,qui timore, vel amore defraudari ſe a diuite permittit, quod impunitus non remanebit.Redeamus ad propoſitum, ſicut Dei miniſtri ſi perſecutiones patimur,non deficiamus;ſi paupertate premimur non deſperemus, ſed in Domino confidamus; ſi percutimur taceamus, ſi blaſphemamur non reſpondeamus, quia non eſt maior ſeruus Domino ſuo.

EX EODEM AVGVSTINO *ſermone 38.*

SI perſecutionem patimur, non deſperemus,non eſt ſeruus maior Domino. Patientia ornati debemus, ſi miniſtri Chriſti eſſe optamus.

Sed quid aliud? niſi quod in caſtitate noſmetipſos exhibere debemus?

mus? Hæc eſt illa virtus, ſine qua quis factus eſt omnium reus. Hæc eſt illa virtus, quæ nos Deo commendat, quæ nos angelos facit, quæ nos ſuper æthera volando conducit; Hęc eſt illa virtus, ſine qua vaſa Domini ferre non poſſumus. Hæc eſt, quam Apoſtolus docet; fornicatio, & omnis immunditia non nominetur in vobis, ne mens veſtra colloquijs malis poſſit corrumpi. Et non ſolum fornicatio remouenda eſt a vobis; ſed etiam omnis ſuſpicio falſa. Non decet clericum cum muliere ſedere, vel fabulari, vel domum eius frequentare, ne ſuſpicio mala inde progrediatur. O quam vilis, O quam miſer, & puſillanimis reputatur clericus, qui frequenter cum mulieribus conuerſatur. Inſipiens, & valde inexpertus eſt, qui amicitias mulierum procurat.

Idem ſermo. 42. de vita, & moribus Clericorum.

SAnctus Hieremias conſiderans Sacerdotum, & Prælatorum negligentias, lamentabiles voces emitten s dicebat; paruuli petierunt panem, & non erat qui frãgeret eis. Væ vobis paſtoribus, qui quod pingue erat comediſtis, quod confractũ erat, non conſolidaſtis, quod infirmum erat, non ſanaſtis. O fratres lupi rapaces hodie facti ſumus iuſtitiã poſtponentes, veritatem, & miſericordiam ignorantes. Cauete ne vobis. Dominus dicat; diſpenſatorem te poſui ſuper familiam meam, & tu panem eis non fregiſti. Non diſpenſator es, ſed diſſipator, non ſpeculator, ſed ſpiculator. O ſerue nequam mittam te in tenebras exteriores. *Frangendus eſt fratres panis, & diſtribuendus ſubditis, ne fame pereant.* Et inferius, ſicut impoſſibile eſt dæmonem in malo obſtinatum paradiſum intrare, ſic impoſſibile eſt luxurioſis paſtoribus, auaris, & ſuperbis, ſubditos bonos, & caſtos, & humiles facere; quia neceſſe eſt, *vt talis ſit grex, qualis & rex.* Et inferius. Panis oblationis eſt oratio, quæ debet eſſe ampla, deuota, & pura. Ampla, vt pro omnibus etiam perſequentibus. Deuota, vt non remiſſe, ſed affectuoſe, & perſeueranter. Sed petens debet eſſe bonus, & petitio debet eſſe vitæ, vel meriti vitæ. Et petendum eſt in nomine filij Dei. Panis propitiationis triplex eſt, Euchariſtiæ, doctrinę, & exempli, de quibus dixit Dominus Petro, paſce oues meas, hoc eſt Euchariſtia, doctrina, & vita ſancta. His paſcamus populum, ne gens pereat; Nam capita gentium ſumus cæcorum, & ignorantium duces, claudorum baculus, Terrarum principes, Angelis ſuperiores, ſed dæmonibus peiores, ſi hæc negligenter proſpiciamus.

EX D. IO. CHRISOSTOMO libro 3. de Sacerdotio.

SACERDOTIVM in terra peragitur, ſed in rerum cæleſtium claſſem referendum eſt. Et merito, quippe non mortalis quiſquam non Angelus non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, ſed ipſe Paracletus ordinem huiuſmodi diſpoſuit, qui mortalibus hominibus etiam in carne manentibus auctor fuit. Idcirco neceſſe eſt Sacerdotem ſic eſſe purum, vt ſi inter cæleſtes illas virtutes medius ſtaret. Terribilia, atque horrifica fuerunt, quæ gratiæ tempus præceſſerunt, vt Tintinabula, mala punica, lapides pectori Sacerdotis ſuperpoſiti. Mithra, ſtrophium, veſtis ad pedes vſque demiſſa, lamina aurea, ſancta ſanctorum, in-

ingens intus quies, atque ſilentium. At vero, ſi quis, quæ gratiæ tempus nobis aduexit, examinet, illa iudicabit eſſe admodum leuia. Nam dum conſpicis dominum immolatum, Sacerdotem ſacrificio incumbentem, ac preces fundentem, tum vero turbam circumfuſam pretioſo illo ſanguine intingi, ac rubefieri, etiamne te in terra conſiſtere cenſes, an potius in cælos transferri is? O miraculum; O Dei benignitatem. Qui cum patre ſurſum ſedet, in illo ipſo temporis articulo omnium manibus pertractatur, ac ſe ipſe tradit volentibus excipere. Num tibi iſta contemptu digna videtur. Vis ne, & ſanctimoniæ iſtius excellētiam alio miraculo perſpicere? Ponito ab oculos Heliā Prophetam, & infinitam illam turbam circumfuſam, & ſacrificium lapidibus ſuperpoſitum; Tū vero reliquos omnes admodum taciturnos, & ſolum Prophetam preces fundentem, & flammam repente de cælo delabentem, ſacrificiumque ipſum lambentem. Mira ſunt iſta profecto. Ab illis ergo ſacris ad noſtratia ſacra te transfer; non ea mira tantum eſſe videbis, ſed etiam omnem ſtuporem excedentia. Adeſt enim Sacerdos nō ignem geſtans, ſed Spiritum ſanctū: Is preces diuturnas fundit, non quo flamma cælitus delapſa ſacra abſumat, ſed vt gratia in ſacrificium influens per illud ipſum animos inflāmet, & puriores reddat argento igni ex cocto purgatoque. Hoc ergo Miſterium omnium maximè horrēdum verendūque ſi quis conſideret quantum id ſit, vt homo ipſe carne, ac ſanguine conſtans, ijſque inuolutus, beatæ, ac immortali naturæ propior fiat; tum probè intelliget quanto ſacerdotes honore, quanta dignitate Spiritus ſancti gratia dignata fuerit; operantibus enim illis ſacra hæc perficiuntur. Præterea ijs qui terram incolunt, datum eſt vt poteſtatem habeant quā Deus optimus, neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit; neq; enim ad illos dictum eſt quæcumque alligaueritis in terra erunt alligata, & in cælo. Habent quidem & terreſtres Principes vinculi poteſtatem, verum corporum ſolum, ſacerdotum autem vinculū animam ipſam contingit, &c. ad cęlos vſque peruadit, vſque adeo, vt quęcumque inferne ſacerdotes confecerint, illa eadem Deus ſuperne rata habeat, ac ſeruorum ſententiam dominus confirmet. Quænam obſecro poteſtas hac vna maior eſſe queat? Pater omnifariam filio poteſtatem dedit; cęterum video ipſam eandē omnifariam poteſtatem a Deo filio illis traditam. Nam quaſi iam ad cælum tranſlati, ac ſupra humanam naturam poſiti, ſic illi ad principatum iſtud perducti ſunt. Quid multa: rex aliquis ſi cui ex ſubditis ſuis honorem hunc detulerit, vt poteſtatem habeat quoſcumque velit in carcerem conijciēdi, eoſdemque rurſus laxandi, beatus ille iudicio omnium fuerit; At vero qui a Deo tanto maiorem accepit poteſtatem, quanto cælum terra pretioſius eſt, quanto etiam animæ corporibus præſtant; qua ratione poteſt tantum donum a Deo datum deſpicere? Inſania manifeſtaria eſt deſpicere tantum principatum, ſine quo, neque ſalutis, neque promiſſorum bonorum compotes fieri poſſumus. Nam ſi nō poteſt quis in Regnum cælorum ingredi, niſi per aquam, & Spiritum ſanctum regeneratus fuerit, &c. qui non manducat carnem Domini, & ſanguinem eius non bibit, æterna vita priuatur; omnia autem hæc haud aliter quā per ſacroſanctas illas manus Sacerdotum perficiūtur; qui fiet vt citra illorum ſpem, aut gehennæ ignem euitare quis poſſit, aut repoſitæ in cælo coronę præmia aſſequi?

Hi ſunt quibus concreditæ ſunt ſpirituales parturigines, & baptiſmatis partus a Deo commiſſus. Per hos Chriſtum induimus, vna cum filio Dei ſepelimur, beatæ carnis illius membra efficimur. Vnde Sacerdotes merito non modo plus reuereri debemus quam, vel Principes, vel Reges, verum etiã maiori honore quam parentes proprios honeſtare. Hi enim ex ſanguinibus, & voluntate carnis nos genuerunt, illi vero auctores nobis ſunt natiuitatis eius, quam a Deo habemus, beatæ regenerationis illius, atq; adeo adoptionis eius, qua nos per gratiam filij Dei ſumus effecti. Corporis lepra purgatos probare Iudæorum Sacerdotibus ſolis licebat, & magna cum ambitione, ac concertatione Sacerdotalis dignitas tunc temporis acquirebatur. At vero noſtris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ ſordes non dico purgatas probare, ſed purgare prorſus conceſſum eſt. Quare iudicio quidem meo, qui iſtos deſpiciunt, multo maiori ſupplicio digni ſunt, quam Dathã vna cum ſuis omnibus; Nam etſi principatum ad ſe nõ pertinentem ſibi vendicabant, tamen miram quandam de eo opinionem animo conceperant. Hi autem, tum cum iam Sacerdotalis honor incrementum præſtantiamque magnam accepit, contra quam illi, &c. multo maiora audent. Parentes nos in præſentem, Sacerdotes in vitam æternã generant. Atque illi certe, ne corporalem quidem interitum, tum a liberis amoliri poſſunt, neque ingruentem morbum propulſare: cum hi laborantem, ac morti iam iam propinquam animam identidem ſeruarint, alijs remiſſiorem pœnam infligẽtes: alijs prorſus labi non permittentes, non doctrinæ ſolum, atque commonitionis, ſed etiam precum præſidio.

Idem l.b.6. de Sacerdotio.

QVæ Sacerdotem præſtare erga Deum oportet, ingens, ſollicitum, exactum ſtudium requirunt. Eum enim qui pro ciuitate tota, imò vero pro vniuerſo terrarũ orbe legatus intercedit, deprecatorque eſt apud Deum, vt hominum omnium non viuẽtium modo, ſed etiam mortuorum peccatis propitius fiat, qualem quęſo eſſe oportet? Equidem neque Moyſis, neq; Heliæ fiduciam fore vnquã ſatis putauerim, ad ſupplicationem huiuſmodi peragẽdam, quandoquidem, quaſi mundus illi vniuerſus cõcreditus, atque omnium ſit pater, ſic ad Deum ipſe accedit, deprecans quidquid vbique bellorum eſt extingui, turbas ſolui, atque in horum locum pacem, ac felicem rerum ſtatum ſuccedere. Denique celerem malorum vnicuique imminentium, tam priuatim, quam publice defunctionem poſtulans. Porro illum ipſum oportet tanto omnibus in rebus ijs præſtare pro quibus intercedit, quanto par eſt, vt ſubditos præfectus excellat. Cum autem ille, & Spiritum ſanctum inuocauerit, ſacrificiumque illud honore, ac reuerentia pleniſſimum perfecerit, communi omnium domino manibus aſſidue pertractato; quæro a te quoto illum in ordine collocabimus? quantam ab eo integritatem exigemus? quantã religionem? Conſidera quales manus illas adminiſtrantes eſſe oporteat? qualem linguam quæ verba illa effundat? qua denique re non puriorem ſanctioremve eſſe conueniat animam, quæ tantum illum tanque dignum ſpiritum receperit? Per id tempus, & Angeli ſacerdoti aſſiſtunt, & cęleſtium poteſtatum vniuerſus ordo clamores excitat, &

S locus

locus Altari vicinus in illius honorem, qui immolatur Angelorum choris plenus eſt. Id quod credere abunde licet, vel ex tanto illo ſacrificio, quod tum peragitur. Ego vero commemorantem olim quendam audiui, ſenem quendam virum admirabilem, cui reuelationum myſteria multa diuinitus fuiſſent detecta, ſibi narraſſe, ſe tali viſione dignum habitum adeo eſſe; ac per illud quidem tẽpus derepente Angelorũ multitudinem conſpexiſſe, (quatenus aſpectus humanus ferre poterat) fulgentibus veſtibus indutorum Altare ipſum circundantium, ſic capite inclinatorum, vt ſi quis milites præſente Rege ſtantes videat; id quod facile mihi ipſe perſuadeo. Item, & alius quidam mihi narrauit, dignus quidem habitus, qui id, & vidiſſet ipſe, & audiſſet, quod qui de vita hac emigraturi sũt, ſi Myſteriorum huiuſmodi cum pura conſcientia fuerint participes, ſpiritum eſſlaturi, ab Angelis ſatellitum more ſtipãtibus, propter aſſumptum illud ſacrum, hinc recta in Cælum abduci.

Ex D. Gregorio Magno, Homilia 17. in Lucam.

PLus offenditur Deus a Sacerdotibus peccantibus, quam ab alijs: quia peccant, qui peccata compeſcere debuerant, & prauitatis exempla præbent, qui ad aliorum correctionem poſiti ſunt, &c. Vt ſupra initio huius operis. Item ſal non ſumus ſi corda audientium non condimus, quod veraciter proximo impendit, qui prædicationis verbũ non ſubtrahit. Sed tunc alijs recta vere prædicamus, ſi dicta rebus, & exemplis oſtendimus; curare namque Sacerdoti neceſſe eſt, quę ſingulis dicat, vnumquemque qualiter admoneat, vt quiſquis Sacerdoti iungitur, quaſi è ſalis tactu æternæ vitæ ſapore condiatur. Et qui vna exhortationis voce non ſufficit cunctos admonere ſtudeat, ſingulos in quantum valet priuatis locutionibus ædificare.

Ex declamatione D. Bernardi ſuper Euangelium, Ecce nos reliquimus omnia.

QVis rapuit ab ore Apoſtolorũ tempore verbum hoc gratiæ, fiducia verbum, Ecce nos reliquimus omnia? Ecce, vt populus ſic Sacerdos, ſimiliter volunt in hoc ſęculo fieri diuites, imò abundantius ſuam hic præripiunt cõſolationem. Presbitero Sancto liceat ſolita ſpiritus libertate nulli blandiri, ſed nude nudam promere veritatem Clericus inquit, qui partem habet in terra nõ habebit partem in cælo. Ipſi viderint quos tangat illud, in labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabantur, ideo tenuit eos ſuperbia. Habent ſingula genera hominum, aliquid laboris, aliquid voluptatis. Sed aduertere eſt prudentiam aliquorum, quemadmodum nouo artificio ſequeſtrantes ea, totum, quod delectat eligunt, quod moleſtũ eſt fugiunt. Cum militibus ſuperbiæ faſtus, amplam familiam, nobiles apparatus ęquorũ, accipitres, Aleas, & alia huiuſmodi frequentant; a mulierculis ornatos Thalamos, & rubricatas murium pelles, omnemque gloriam veſtium, & mollitiem mutuantur: cautè omnino, loricæ pondus, & inſomnes in caſtris noctes, muliebrẽ quoque verecundiam, vel ſi quis laboris ſexus ille habere cernitur declinantes. Sudant agricolæ; putant, & fodiunt vinitores, & qui inter hęc torpent otio, accedente fructuum tem-

tempore innouari ſibi horrea iubet, & promptuaria eorum plena ſunt. Negotiatores circumeunt mare, & aridam in labore corporis, & periculo vitę perituras diuitias congregant. Dura ſunt hæc; caueant ea prudentes noſtri (videlicet Clerici) dulces interea capiant ſomnos, ne dicam inſtratis laſciuiant ſuis. Quid fabros, quid cementarios, cæteroſque operarios numerare neceſſe eſt; victum ſibi multo labore quærunt, illi madent delitijs, copijs affluunt otioſi. Cum reſurgere cęperint homines vnuſquiſque in ordine ſuo vbi putas generatio iſta locabitur? Si ad milites diuerterint exuſſlabunt eos, eo quod minime ſecum laborem, aut pericula tolerauerunt. Sic Agricolæ, ſic negotiatores, & ſinguli quique ordines a ſuis eos finibus arcebunt, vtpote qui in labore hominum non fuerũt. Quid ergo reſtat niſi, vt quos omnis ordo repellit pariter, & accuſat, eum ſortiantur locum vbi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat? Nemo indignetur nobis, aut moleſte accipiat, quæ dicuntur. Nec enim reuelamus occulta, nec parietem fodimus, vt abominatio maior appareat: nullum adhuc de fornicatione fecimus verbũ, quamuis, & hæc in multis, & multipliciter regnet, qui puritatis auctori impuro corde, & corpore miniſtrantes, non verentur ſtare Angelum domini, qui ſecet medios, & diſperdat; ſed audẽt agni immaculati ſacras contingere carnes, & intingere in ſanguine Saluatoris manus nefarias quibus paulo ante carnes (proh dolor) meretricias attrectarunt, ſic altaria circuire, ſic frequentare pſalmos; cum & huiuſmodi laus execrabilis, & oratio ſit in peccatum. Sed nec eorum ſacrilegia recẽſemus, qui diligunt munera, ſequuntur retributiones, vendũt ſacramenta, iuſtitiam produnt. Manifeſta loquimur, & quæ vix aliqui erubeſcant. Poſtremo, & nos in clero fuimus; liceat vel noſtra ſcrutari. Videte vocationem, ait Apoſtolus; conſideremus, & nos an vocati venerimus iuxta præceptum domini, nemo ſibi ſumat honorẽ, ſed qui vocatur, a Deo tanquam Aarõ; per eum ſi quis introierit ſaluabitur, ſi vero aſcenderit aliunde plane fur eſt, & latro. Si quis vocauerit nos in honorem cleri conuenire velim conſcientias ſingulorum, vt ſecundum pręceptum domini ad cor Hieruſalem loquar. Paruulo enim forſitan, nec dũ nato Eccleſiaſtica beneficia prouida ſane parẽtum ſollicitudo parabat inquiens: Hunc nos illi tradamus Epiſcopo, apud quem habemus gratiam, vel cui ſeruiuimus, vt ditetur de bonis domini, nec inter tot liberos noſtra diuidatur hęreditas. Illum præpoſitus, aut decanus, vt ſibi ſuccederet pluſquam materno educauit affectu in delitijs enutriens, & delictis. Ille dignus Archidiaconatu, vt pote filius Principis, magis autẽ ſi ſit Epiſcopi conſobrinus; in quo nimirum tota eſt Epiſcopata progenies. Alius vndique circuit ſedulus explorator, blanditur, obſequitur, ſimulat, & diſſimulat, miſeraque ſibi ſuffragia, mendicare non erubeſcit manibus, & pedibus repens; ſi quomodo tandẽ aliquando ſe ingerere queat in patrimonium crucifixi, & bona domini, quæ ſola ex omnibus hodie inueniuntur expoſita. Quis ea intentione gradus Eccleſiaſticos, & miniſteria ſanctuarij quærit (cũ potius quæri ipſe debuiſſet quam quærere) vt ſine curis ſæculi in ſanctimonia cordis, & corporis illuminãdus accedat ad dominum, & ſuam pariter, ac proximorum operetur ſalutem, orationis ſtudio deditus, & verbo prædicationis? Nam ſi eo intuitu quærit, vt huius vita habeat neceſſaria; euangelizat, vt

manducet, & peruerſo nimis ordine cęleſtibus terrena mercatur. Quam amplius cōſentaneum rationi, vt pro carnali victu, negotia carnalia exerceret ne fieret inuerſor rerum, aut inhonoraret miniſterium ſpirituale? Sed modico eſt natura contenta, at multi ſola neceſſaria non quærunt; honorati incedere volunt, placere ſtudent hominibus, delectari, ſuperbire, & huic ſaculo conformari; Audi querelas domini, quid ſuper hac tanta hominum temeritate loquatur: Ipſi regnauerunt, & non ex me Principes extiterunt, & ego non
Oſee 8. vocaui eos. Vniuerſos ſiquidem inordinibus Eccleſiaſticis cæteriſque ad ſanctuarium pertinentibus honorem quærentes proprium, aut diuitias, ſeu corporis voluptatem, & quæ ſua ſunt non quæ Ieſu Chriſti; manifeſte prorſus, & indubitanter, nō ea quæ Deus eſt charitas, ſed aliena a Deo, & omnium radix malorum cupiditas introducit. Vbi timor Dei? vbi mortis memoria? vbi gehennæ metus, & expectatio illa terribilis iudicij? Verum etſi irreprebenſibilis videatur ingreſſus, & intentio caſta, nihilne vltra timendum eſt? timendum quidem, & maxime. Neque enim, qui cumque ſpiritu cęperunt, ſpiritu conſumātur, ſed carne nonnulli, vt Saul. In duodecim, vnus Petrus hodie, qui reliquerit omnia, vnus qui loculos habet Iudas. O miſer vtinam ſaperes, & nouiſſima prouideres, per foramē acus tranſituros, non diuitiarum cumulos, ſed delictorum. Nihil intulimus in hunc modum, haud dubium, quin nec auſferre, quid poſſumus. Vę væ in domo Dei horrendū videmus, Idolatras miniſtrantes? Mentior ſi non idolorum ſeruitus auaritia eſt, ſi non quibuſdam etiam venter ſuus factus eſt Deus ſuus. Quod enim quiſque præ cæteris colit, id ſibi Deū conſtituiſſe probatur. Quantos videmus qui diligunt munera, ſequuntur retributionem? Quātos qui Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri? Quis putas eſt fidelis ſeruus, & prudens quem conſtituit dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis eſcam in tempore? quam eſcam? voluntatis Dei; qua nec paſci, nec alios paſcere poterit niſi prudēs, vt eam intelligat, & diligat feruenter. Ignorantia excuſare hominē non poteſt, qui ſe magiſtrum, & doctorem inſipientium profitetur. Quid periculi ſit vbi non inuenitur paſtor, & paſcua, ſed ignorans dux itineris viam, Vicarius neſciens domini voluntatem, Eccleſia quotidie multipliciter, & miſerabiliter experitur. Occulta eſt Dei voluntas, quæ Dei ſunt nemo nouit, niſi ſpiritus Dei. Vtilis eſt lectio, vtilis eruditio, ſed multo magis vnctio neceſſaria, quæ ſola docet de omnibus. Vnde autem ſciet, quæ ſit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, qui nec pulſare, nec quærere, nec petere conſueuit; qui donec alienarum curam ſuſciperet animarum, nunquam ſuæ geſſiſſe curam, ſed in vano eam viſus eſt accepiſſe? Atque vtinam, vel tunc curaret ſuam. Paſtores, ait Propheta, abierūt in terram, quam ignorauerunt, Item ſacerdotes non dixerunt, vbi eſt dominus? & tenentes legem neſcierunt me.

Iam qui per Chriſtum in ſortem miniſterij huius introiſſe videtur, de cætero, quemadmodum ei ſeruiat, quemadmodū miniſtret, & quemadmodum paſcat tripliciter gregem domini, exemplo conuerſationis, verbo prædicationis fructu orationis, (vt diximus) ſollicita ſecum examinatione diſcutiat. Indignus lacte, & lana conuincitur, ſi non paſcit oues; ſi non vigilat in cuſtodia gregis, iudicium ſibi manducat. Væ, væ tibi clerice, mors in olla, mors in ollis carnium, mors in huiuſmodi delitijs eſt;

ob

ob id maximè, quia populi peccata comedis, ſumptus Eccleſiaſticos gratis te habere reputas? Cantando (vt aiunt) tibi prouenire videntur, ſed bonum erit magis fodere, aut etiam
Oſea.4. mendicare. Peccata enim populi comedis, ſollicitus eſto tanquam redditurus rationem pro eis: gemitus fundere, dignos agere penitētię fructus; alioqui tibi ea noueris imputanda, quæ modo inter delitias comedis, & paruipendis, & diſſimulas tanquam nihil attinentia tibi.

O iudiciorum Dei abyſſus multa. O terribilis Deus in cōſilijs ſuper filios hominum, fruſtra incipient miſeri dicere mōtibus, cadite ſuper nos, & collibus operite nos. Venient, venient ante tribunal Chriſti, audietur populorum querela grauis, accuſatio dura, quorum vixere ſtipendijs, nec diluere peccata, quibus facti ſunt duces cęci, fraudulenti mediatores. Quid tibi inſipiens delitiæ ſapiunt? quibus mercaris, tam graue iudiciū? tam duræ temetipſum obligas rationi? Vniuerſa ſiquidem, vſq. ad quadrantem nouiſſimum a te exigentur. Sed eſto; ſtudioſe quis, & fructuoſe laboret, periculum eſt ſuperbire dignus eſt mercenarius mercede, vt qui Altario ſeruit de Altario viuat, viuat inquam de Altario, vt alimenta, & quibus tegatur habens his contentus ſit; de Altario viuat, nō ſuperbiat, non luxurietur, nō ditetur, nec iuxta Sancti cuiuſdam dignam ſententiam, ex clericatu ditior fiat. Non ſibi de bonis Eccleſiæ ampla palatia fabricet, nec loculos inde congreget, nec in vanitate, aut ſuperfluitate diſpergat; non extollat de facultatibus Eccleſię conſanguineos, aut neptes (ne filias dixerim) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare ſacrilegij crimen eſſe dignoſcitur. Sane patrimonia pauperum facultates Eccleſiarum ſunt, & ſacrilega eis crudelitate ſurripitur, quidquid ſibi miniſtri, & diſpenſatores, non vtique domini, vltra victum accipiunt, & veſtitum. Nec enim ordinauit Deus ijs qui Euangelio ſeruiunt, de Euāgelio quærere, aut habere delicias, vel ornatum, ſed viuere, ait Paulus, vt ſint contenti alimenta corporis non irritamenta gulæ, aut incentiua libidinis, & quibus tegantur, non quibus ornentur, accipere]. At quando poterit neceſſarijs eſſe contentus, qui eo animo introiuit, vt ſtipendia Cleri in vſus voluptatis, curioſitatis, & vanitatis congregent, ſeruet, expendat? Triplex ergo funiculus, qui difficile rumpitur, hominem miſerum in perniciem trahit, qui impune intrat, indigne miniſtrat; ſed, & ipſo fructu abutitur temporali. Quid enim horum ſibi conſcius homo, tanquam qui iuſtitiam fecerit diuino ſe ſe vultui ſiſtere non veretur? tāquam domeſticus intrat, & exit, magiſtrum ſalutat, genuflectit, oſculatur ore ſacrilego doloſe agit? Sed in conſpectu Dei, vt inueniatur iniquitas eius ad odium. Odibilis planè Deo frontoſa temeritas, & impudentia execranda. Age ergo quoniam iudicium graue ijs qui præſunt fiet, & potētes potenter tormenta patientur; feſtina multiplicare præbendas, inde ad Archidiaconatū euola; demum aſpira ad Epiſcopatum, ne ibi quidem requiem habiturus, quoniam ſic itur ad aſtra. Quo progrederis miſer? an vt ab altiori gradu ſit caſus grauior, non paulatim decides, ſed tanquam fulgur in impetu, vehementi quaſi alter Satanas ſubito deijcieris? in labore hominum non ſunt, ideo tenuit eos ſuperbia, peccatum diaboli, quo ceciderunt. Forte aliqui dicāt? Quid peccamus? Bona eſt omnis creatura Dei, noſtra licite poſſidemus, noſtris vtimur facultatibus a rapinis, & latrocinijs abſtinentes. Ego ſane diuitem

uitem illum de quo in Euangelio, in nullo horum audio accuſari; induebatur, ait purpura, & byſſo, quotidie epulabatur ſplendide, ſi crudelitatis arguitur, quod ſubſtantiam mundi habens, & videns fratrem ſuum egere clauſerit viſcera ſua; quantos videtis, & ipſi Lazaros eſurietes, nudos, ægrotos, & plus de iumentis veſtris plus de eorum phaleris quam de iſtorum miſerijs cogitatis? Ad ſentẽtias Dei veniamus, memento quod recepiſti bona in vita tua, & Lazarus mala hæc eſt totius ſumma negotij. Expergiſcimini ebrij, & flete, terribilis enim Deus in iudicijs ſuper filios hominum. Heccine cruciatuum cauſa tota, quod in hoc ſęculo bona recepit? Ipſa plane, neque enim ad hoc nos de Paradiſo voluptatis animaduerſio diuina eieciſſe videtur, vt alterum Paradiſum ſibi hic adinuentio humana pararet. Homo ad laborem natus, ſi laborem refugit, non facit ad quod natus eſt, ad quod venit in mundum.

Ex eodem lib. 3. De conſideratione ad Eugenium.

SVpereſt, vt generaliter ſuper vniuerſum Eccleſiæ ſtatum intendat conſideratio tua ſi plebes Clericis, ſi Clerici Sacerdotibus, ſi Sacerdotes Deo in ea qua oportet humilitate ſubiecti ſint: ſi in monaſterijs, & religioſis locis ſeruetur ordo vigeat diſciplina; ſi floreant vineæ honeſtate, & ſanctimonia Sacerdotum ſi flores fructus parturiant obedientiæ fidelium populorum, ſi Apoſtolica mandata ea qua dignum eſt ſollicitudine obſeruetur, ne quid in agro domini, aut neglectu incultum, aut fraude ſubreptum inueniatur. Præcipimus iuſte, vt tam Epiſcopi, quam Clerici, neque in ſuperfluitate, ſeu inhoneſta varietate colorum, aut fiſſura veſtium, neque in tonſura intuentium (quorum forma, & exemplum eſſe debent) offendant aſpectum, ſed potius, ita in ſuis actibus errata condemnent, & amorem innocentiæ cõuerſione demonſtrent, ſicut dignitas exigit Clericorum. Quod ſi moniti non obtemperauerint priuentur. Prohibemus autem ne adoleſcentibus, vel infra ſacros ordines conſtitutis, ſed qui prudentia, & vitæ merito clareſcunt Archidiaconatus, Decani, Præpoſiti concedantur honores. Hæc tu ſanxiſti, quid effectui mancipantur? Adhuc adoleſcentes, adhuc qui infra ſacros ordines ſunt in Eccleſia promouentur. Quod ad primum capitulum pertinet, luxus veſtium interdictus, ſed non reſtrictus; pœna dictata, ſed minime ſecuta eſt. Iam quartus annus eſt ex quo datũ mandatum audiuimus, & minime adhuc Clericorum priuatum beneficio, neminem Epiſcoporum ſuſpenſum luximus. Quid hoc? impunitas incuriç ſoboles, inſolẽtiç mater, radix impudentiæ, tranſgreſſionum nutrix. Sed dicere ſolent, num de veſtibus cura eſt Deo, & non magis de moribus? At forma hæc veſtium deformitatis mentium, & morum indicium eſt. O miſerandam ſponſam talibus creditam Paranimphis, non amici profecto ſponſi, ſed æmuli ſunt, &c.

Ex ſermone eiuſdem de conuerſione ad clericos. cap. 29.

DIlatata videtur Eccleſia, ipſe etiam cleri ſacratiſſimus ordo fratrum numerus ſuper numerum multiplicatus eſt. Verum etſi multiplicaſti gentem, Domine, non magnificaſti lætitiam, dũ

nihil

nihil minus apparet deceſſiſſe meriti,quam numeri acceſſiſſe. Curritur paſſim ad ſacros ordines, & reuerenda ipſis quoque ſpiritibus angelicis miniſteria homines apprehendunt ſine reuerentia, ſine conſideratione; etiam hi, in quibus auaritia regnat,ambitio imperat,dominatur ſuperbia,ſedet iniquitas, luxuria principatur.Heu genus electũ, regale Sacerdotium, gens ſancta,populus acquiſitionis, quis inter tua illa primordia diuina, & ſpiritualibus effluentem chariſmatibus Chriſtianæ religionis ortũ,credere potuiſſet poſſe talia in te aliquando reperiri. Ingrediuntur cum hac macula tabernaculum Dei viuentis, inhabitant cum macula templum ſanctum polluentes,iudicium multiplex acceptu ri. Tales non placant Deum,ſed magis irritant. Vtinam qui continere non valent,perfectionem temerarie profiteri,aut cœlibatui dare nomina vererentur. Sumptuoſa turris eſt,& verbum grande,quod non omnes capere poſſunt. Eſſet autem ſine dubio melius nubere, quam vti, & ſaluari in humili gradu fidelis populi,quam in Cleri ſublimitate deterius viuere, & diſtrictius iudicari.

Ex Epiſtola 153. eiuſdem ad Inoocentium Papam.

INſolentia Clericorum,(cuius mater eſt negligẽtia Epiſcoporum,) vbique terrarum turbat, & moleſtat Eccleſiam. Dant Epiſcopi ſanctum canibus, & margaritam porcis, & illi conuerſi conculcant eos. Merito quales fouent, tales & ſuſtinent.Quos ditant Eccleſiæ bonis,nõ corrigunt eorum mala,maloſq; gra uati portant.Alienis laboribus locupletantur clerici,comedunt fructum terræ, abſq; pecunia & prodijt quaſi ex adipe iniquitas eorum.Mens quippe aſſueta delicijs, nec exculta diſciplinarum ſarculo multas contrahit ſordes, &c.

Ex ſermone 47. eiuſdem in Cantica, de modo recitandi horas.

MOneo vos dilectiſſimi, pure ſemper, ac ſtrenue diuinis intereſſe laudibus. Strenue quidem,vt ſicut reuerenter ita, & alacriter Domino aſſiſtatis, non pigri, non ſomnolenti,non oſcitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra tranſilientes,non fractis, & remiſſis vocibus muliebre quiddam balba de nare ſonantes.ſed virili, vt dignũ eſt, & ſonitu, & affectu voces Sancti Spiritus depromentes. Pure vero,vt nihil aliud dum pſalitis, quam quod pſalitis cogitetis. Spiritus enim ſanctus illa hora gratum non recipit, quidquid aliud obtuleris neglecto eo quod debes.

Dioniſius loco citato, citat Auguſtinum dicentem, plus Deo placent, latratus canum, mugitus boum,grunnitus porcorum, quam cantus luxuriantium clericorum. Quid prodeſt ſtrepitus labiorum, vbi cor fuerit mutum.

Ex P.M. Auila in exhortatione ad Sacerdotes, in latinum conuerſa.

SAcerdotes Domini tria a Domino poſtulare debent, quæ Propheta Dauid temporalis Rex magno affectu poſtulabat,cuius non, erat tanta dignitas, neque pericu'ũ, ſicut Sacerdotum, & eodem ordine quo ille petebat petenda ſunt; nempe Bonitatem, & diſciplinam,& ſciẽtiam doce me. Primum,& præſtantius

tius

tius eſt bonitas, ſecundum diſciplina, poſtremum ſcientia. Sed ſcientia ſine bonitate non prodeſt, dicente Apoſtolo ſi habuero prophetiam, & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; charitatem autem, (quæ bonum facit hominem) non habuero, nihil ſum. Nemo fallatur exiſtimans aliquid aliud prius eſſe curandum, aut deſiderandum, etiam propter proximorum ſalutem. Ioſeph, & Suſanna bonitatem prætulerunt omnibus alijs rebus mundi. Petamus igitur Dei gratiam, & æſtimemus eius eſſe ſeruos cum Dauid, bonitatem, diſciplinam, &c. doce me. Verum ſi ſacerdos extitiſſet maiora poſtulaſſet; in ijs enim requiritur præterea ſanctitas, qua bonitatem ſæcularium excedant, ſicut excedunt in dignitate. Probatur ex illo, quod canit Eccleſia Sacerdotes ſancti incenſum, & panes offerunt Deo, ideo ſancti erunt Deo ſuo. Ego, patres, tremo cogitans hæc verba quibus a me petitur ſanctitas, qui forte careo bonitate. Sanctus Iſidorus ait ſanctiorē, & doctiorem in populo eligendum eſſe in Sacerdotem. Ratio eſt, quia incenſum, & panes offerunt Deo, hoc eſt panem, qui de cælo deſcendit, qui eſt Ieſus Chriſtus Dominus Noſter, figuratus per illos panes, & incenſum orationis; quæ duo ſimul adhibenda ſunt. Sacerdos enim eſt mediator inter Deum, & homines ideo pro populo orare debet, ſed nō ſolis precationibus, ſed vltra offerendo donum placans iram Dei, ideſt, Jeſum Chriſtum Dominum noſtrū. Quod adeo verum eſt, vt D. Chryſo. in lib. de Sacerdotio dicat, tantam vim orationis requiri in Sacerdote, quantam in Moyſe, & Helia, immo, & maiorem confidentiam, quorum alter placauit Deū, vt parceret multitudini, alter claudebat Cœlos ſua oratione, & aperiebat vt ignis deſcēderet, & impios cōbureret. Eſt enim ſacerdos legatus, non tantum pro vna ciuitate; ſed pro mundo vniuerſo, vt ſua oratione bella, & omnia mundi mala extinguat, pacemque, & omnia bona obtineat. O nos miſeros, quando in Dei iudicio præſentabimur, & de bellis peſtilentijs hæreſibus peccatis, & malis ſpiritualibus, & corporalibus mundi ratio a nobis exigatur? Tunc profecto honor, & reditus Eccleſiaſtici, qui nunc dulces ſunt forte amari iudicabuntur. Terribile dictu; pro meis peccatis nō oro, neque plango, neque ſentio, & tamen in iudicio a me exigetur, tam incenſa charitas, & ſanctitas, quæ cor vrat, & peccata ſentiat, atque ſi eſſem pater totius mundi? feciſtis ne patres aliquādo quod de Aaron ſcriptura commemorat. Nume. 16 qui cum vidiſſet incendium ab ira Dei profectum vaſtans multitudinē populi accepit Thuribulum, & inter viuentes, & mortuos orans, & legēs incēſum offerebat Deo, & plaga ceſſauit? Væ nobis, qui neque habemus donum orationis, neque ſanctitatē, vt nos opponamus, tanquam murū pro populo, ne ira Dei in eum deſeruiat, ſicut Deus vult pro Ezechielem 13. & 22. At negotium hoc orationis ſecundum D, Hiero. fit potius gemitibus, quam verbis, & gemitibus, nō quibuſcūque, ſed inenarrabilibus, vt inquit Apoſtolus, quos ſoli norunt habentes, & adhuc eos narrare nequeunt ab Spiritu Sancto inſpirati. Nos vero leui quadam memoria, quam in memento pro fidelibus facimus alios pręponendo, alios poſtponendo exiſtimamus ſatisfeciſſe, & ſtatim ad conſecrationem feſtinamus. Proh dolor ſic ne placatur ira Dei? Itanè obtinentur res tanti momenti quales ſunt peccatorum conuerſio, perſeuerantia in bono, infidelium illuminatio, bellorum extinctio,

ctio,& malorum exterminatio? oratione adeo leui, & quaſi deluſoria? Gemitus, gemitus,non quicumque, vt rerum temporalium, ſed inenarrabiles requiruntur. Vultis ſcire patres quales debeant eſſe gemitus noſtri in conſpectu Dei? quales erant gemitus Chriſti Domini in Cruce pendentis; nam ſecundum Baſilium ſicut in officio Sacerdotali repræſentamus Chriſtum, ita in oratione, & gemitibus illum repreſentare debemus. Quare in præparatione ante Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſolitarie oportet cogitare quo affectu, qua compaſſione quibus lachrimis, & gemitibus Ieſus Chriſtus Domin. N. in Cruce pendens, & ſanguinem ex toto corpore fudens orabat, & ſe offerebat pro toto mundo veniam poſtulans;& aliquam partem, & ſimilitudinem illius vehementiſſimi affectus ſuppliciter ab eo petamus, vt exaudiri mereamur,ſicut ille cum clamore valido,& lachrimis offerēs exauditus eſt pro ſua reuerentia, vt Apoſtolus ait. Vnde ijs, qui non habent orationis donum, & malorum mundi compaſſiuum ſenſum, ſi Sacerdotes non ſint, non conſulerem, vt officium aduocati ſuſcipiant, ſi neſciant loqui.Nam ex doctrina patrum colligitur officium Sacerdotis poſtulare exercitium orationis, & vſum, ſanctitatem, & depoſitionem curarum huius ſæculi. Et ſecus facientes errant ordines ſuſcipiendo; Et forte peius faciunt Prælati tales ordinando. Nam ſecundum Gregoriū experientiam habere debent orationis ſuæ, & exauditionis.Qui vero incaute ordinatus eſt timeat iudiciū Dei,qui plene nobiſcum agere debet iuxta illud cui multū datum eſt multum ab eo exigetur,ſi peccator redarguendus eſt,quia ore ſuo impuro accipit verba Dei, iuxta illud,quare tu enarras iuſtitias meas? quid erit de Sacerdote ore ſuo conſecrante corpus Chriſti, & ſumente, ſine debita præparatione, & vita Sancta? Deficio corde,& viribus, patres, præ dolore,conſiderans Sacerdotem a Regibus,& Principibus honoratum, & ab Angelis, ad cuius verba Deus deſcendit de cælo, & in ſuis manibus collocatur, & nihilominus propter vitę fæditatem dęmonibus traditum in æternum torquendum. Excitet hoc tonitruum, nos a ſomno,patres, quod deſcendunt in infernum Sacerdotes Dei; Inſpiciamus vitam noſtram, vt ſit talis, qualis eſt dignitas.Sacerdotes induant iuſtitiam,ne nobis dicatur, quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialē? Deo nemo reſiſtere poteſt omnipotens ſapientiſſimus,& iuſtus eſt, & punit peccata, ſed expectat ad pęnitētiam. Agamus pęnitentiam, defleamus peccata; fornicatio, impudicitia, aut auaritia, nec nominetur in nobis, neque ſtultiloquium, aut ſcurrilitas; negotium ſalutis,non admittit iocoſa verba,Nugæ in ore Sacerdotis, ait Bernar. blaſphemiæ ſunt, & ſic faciēdo Dominus erit nobis propitius. Hæc de patribus ſufficiant.

Canones Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ex iure Canonico.

VT ingenue verum fatear cum perueniſſem ad lectionem iuris Canonici, ſicut mihi conſtitueram magnopere lętatus ſum,eo quod inueniſſem ſcriptam,immo tot oraculis ſtabilitam Regulam Eccleſiaſticorum, quam multis annis deſideraueram, vt non ſit neceſſe a religionibus illam mendicare. Nam in Decreto per centum ferè diſtinctiones Gratianus ex Canonibus Apoſtolorum Pontificum, & Conci- *Anno 1151. iuxta Belarm. de ſcript. Eccleſia.*

liorum decretis ſanctorumque patrum ſententijs, congeſſit omnia quę ad Cleri inſtructionem deſiderari poſſunt. Quæ poſtea in reliquo corpore iuris confirmantur, vel declarantur: quamuis permixta cum varietate caſuum, qui ad Sedem Apoſtolicam deferebantur. Verum quoniam difficile eſt omnibus Eccleſiaſticis totum iuris corpus euoluere ad diſcendam Eccleſiaſticam regulam, & ex altera parte integra, atque perfecta eius cognitio omnibus illis eſt neceſſaria; Idcirco omnia iſta diſperſa in vnũ colligere breuiter pluſquam vtile viſum eſt; & intolerabile nullo modo iſta cogitare velle; Nam ſtatum aſſumere, & neſcire, quid aſſumpſeris, neque eius aſſumpti vi ad quid tenearis, inſenſatorum eſt. Igitur methodo compoſitionis, qua cępimus præcipua huius rei capita abſque extraneorum mixtione, in medium proferemus. Poteſtque totum hoc negotium, ad ſex capita reduci, & Gratiani intento cõſonum erit.

Primum erit nomen, & diuerſitas Clericorum ex quibus, quid ſit colligi poteſt.

Secundum examinandos eligendoſque eſſe Clericos.

Tertium quomodo ſint ordinandi.

Quartum, quæ ſint illorum officia.

Quintum, qua ratione viuere debeant. Et hoc caput duas habet partes; Altera docet virtutes præcipuas, quibus lucere debent. Altera vitia ab illis fugienda.

Sextum, de lapſibus Clericorum reparandis. In quibus ſex capitibus videtur comprehendi vniuerſa doctrina, & perfecta Miniſtrorum Dei: Nam ijs formantur in anima, & corpore, & actionibus ſuis. Capitula iuris non citamus, ſed titulos, tum breuitatis gratia, tum quia ex pluribus capitibus multa deſumpta ſunt. Primo loco ponitur doctrina pro Epiſcopis, deinde pro presbyteris, & alijs clerici.

Nomen, & diuerſitas Clericorum.

CLeros Græcè, Latinè ſors, vel hæreditas interpretatur, inde Clerici vocantur, quia de ſorte domini ſunt, vel quia dominum partem habent. Appellatio ſumpta eſt ex eo, quod Mathias ſorte electus eſt, & primus per Apoſtolos ordinatus. Generaliter Clerici vocantur omnes, qui in Eccleſia Chriſti deſeruiunt. Quorum gradus, & nomina ſunt iſta: Oſtiarius Pſalmiſta, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter, Epiſcopus.

EPISCOPVS nomen græcum, eſt latinè ſuperintendens, vel ſpeculator interpretatur, quia ſpeculatur ſubditorum mores, & vitam, & primus eſt in Eccleſia, & ipſe efficit Sacerdotes, & Leuitas. Quattuor ſunt differentiæ Epiſcoporum. Alij ſunt Patriarchæ, qui olim erant quattuor Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hieroſolymitanus; Romanus vero Pontifex eſt Patriarcha orbis terrarum, Paſtor vniuerſalis, & Pater totius Eccleſiæ Catholicæ, Vicarius Chriſti, & ſucceſſor Petri. Alij ſunt primates, alij Archiepiſcopi, ſiue Metropolitani. Alij ſimpliciter Epiſcopi.

PRESBYTER græca vox eſt, id eſt ſenior, Sacerdos etiam vocatur hoc eſt ſacrum dãs, ſicut Epiſcopus, ſed apicem Pontificatus non habet, neque ſignat frontem Chriſmate. In nouo Teſtamento, primus Sacerdos fuit Petrus, cui dictũ eſt tibi dabo claues.

claues. Sancta Romana Eccleſia cęteris omnibus Eccleſijs prælata eſt, non ab Apoſtolis, ſed voce Chriſti Saluatoris Noſtri dicentis, tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam. Et tibi dabo claues Regni Cælorum. Cui ſocietas Beatiſſimi Pauli data eſt, qui eodem die ſub Nerone paſſi ſunt, quamuis cõtra garriant hæretici. Ambo Sanctam Romanam Eccleſiam conſecrarunt, & ſua præſentia, & venerando triumpho omnibus vrbibus in vniuerſo mundo prætulerunt. Et quamuis reliqui vndecim eſſent Apoſtoli, ſed Petro conceſſum eſt, vt præeſſet omnibus Apoſtolis, & caput, & principatum teneret Apoſtolatus. Maiorum, & minorum Sacerdotum diſcretio a Chriſto ſumpſit exordiũ, qui Apoſtolos duodecim inſtituit tãquam maiores Sacerdotes, & ſeptuaginta duos, tanquam minores, Petrum vero in ſummum Sacerdotem. Et Deus per Moyſen, Aaron in ſummus Sacerdotem, filios autẽ ſuos in minores Sacerdotes inſtituit. Hanc eandem formam Apoſtoli in ſingulis ciuitatibus ſequuti, Epiſcopos, & Presbyteros ordinauerunt, & Leuitas, vt Stephanũ; Eccleſia vero tempore procedente Subdiaconos, & Acolythos ſibi conſtituit. Ex Gelaſio Papa, & Iſidoro, diſtinctione 21. & 22. Decreti.

DE ELECTIONE, ET EXAmine Clericorum.

ELECTIO Summi Pontificis, iuxta decretũ Nicolai Secundi Papæ in Concilio Lateran. debet fieri a Cardinalibus Epiſcopis, & Cardinalibus Clericis, & reliquus populus ad cõſenſum accedat. Et fiat in vrbe, vel loco, vbi magis congrue videbitur, ſitque eligendus *Papæ electio.* de gremio ipſius Eccleſiæ Romanæ, ſi idoneus reperiatur; ſi nõ, aſſumendus eſt de alia Eccleſia, inhęrendo Regulæ Beati Leonis Papæ; Nulla ratio ſinit, vt inter Epiſcopos habeatur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a plebibus expetiti, nec a Comprouincialibus Epiſcopis cum Metropolitani iudicio conſecrati. Cardinales vero Metropolitani vices funguntur, diſt. 62. Vnde electio Papæ a duabus partibus Cardinalium concordantibus nulla exceptione obſtante valida eſt, licet tertia pars diſcordet, titulo de elect. & elect. pote. in decretalibus.

NON DEBET vacare Epiſcopo Eccleſia vltra tres menſes, vt in ſynodo Romana decretum eſt, eodem titulo. Item, neque eligendus eſt ex alia Eccleſia, niſi quãdo dignus non inuenitur in Clero ciuitatis, cui Epiſcopus eſt ordinandus; ſi autem dignus reperiatur, non ſunt pręferendi ex alijs Eccleſijs ijs, qui bene militãt in propria Eccleſia, quia vnuſquiſq; debet habere fructum ſuæ militiæ in Eccleſia, in qua per omnia officia ſuam tranſegit ętatem. Nec alter debet debitam mercedẽ, & ſtipendium obrepere. Ex Celeſtino Papa. Item electio Epiſcopi debet fieri a Canonicis matricis, & a religioſiſſimis viris, hoc eſt Prælatis, aliarum Eccleſiarum. Electio clericorum eſt, conſentire humiliter eſt populi; quia nõ debet præire populus, ſed ſubſequi; docendus eſt populus, non ſequẽdus diſt. 62. & 63. ex Caliſto 2. & d. 77. *Electores Epiſcopi.*

ELIGENDVS eſt Epiſcopus, vno ex tribus modis, vel per Scrutinium, vel per compromiſſum, vel per Spiritus ſancti inſpirationẽ. Scrutinium eſt, vt tres de Collegio fide digni vota recipiant aliorũ in ſcripto ſecrete. Compromiſſum eſt committere poteſtatem eligendi viris idoneis, titulo de elect. Vbi etiam dicitur, quod *Modus.*

ſanior pars capituli, non eſt maior pars Canonicorum, quando electio vitiata eſt, & idoneitas deeſt in electo.

Qualitates. GVBERNACVLA Eccleſię, neque imperitis, neque rudibus, neque laicis committenda ſunt, quamuis inter laicos ſint placiti mores. Quia prius eſt probandus longa obſeruatione, ſecũdum venerabiliũ Patrum ſanctiones, ne poſſit de eius prouectione dubitari, d.61. Item non debent eſſe infames, aut confeſſi ſcelera per publicam pęnitentiã. Neq; lapſi in hæreſim, vel in hæreſi baptizati, aut rebaptizati. Nec qui ſe abſciderunt, aut naturali defectu mem brorũ, aut deciſione aliquid minus habent. Nec qui duas habuit vxores. Neque Neophiti, aut ignoti. Nec ſerui. Nec ſęculari militiæ dediti. Nec illiterati. Nec curie nexibus obligati. Neque carentes ætate triginta annorum. Neque, qui per gradus Eccleſiaſticos non aſcenderunt. Nec qui ambitu honorem quærunt. Nec qui muneribus honorem obtinere moliuntur. Qui vero poſtulatus fuerit, & in nullo eorum deprehenſus, ſi examinatus probabili vita, & doctrina extiterit, a tribus Epiſcopis conſecretur, die dominica præſente Metropolitano. d.51. Item in Epiſco pum non eligatur, niſi in ſacris ordinibus religioſe viuens fuerit inuẽtus. d 60. ex Vrbano, Caliſto, Innocẽtio, & d.77. ex Caio Papa. Item illi cenſentur idonei, vt D. Leo, ait quorum omnis ætas a puerilibus, exordijs, vſq; ad perfectiores annos, & Eccleſiaſticę diſciplinæ, vita prior teſtimo nium præbeat. Quia oportet, vt pro laboribus multis, pro moribus ca ſtis, pro actibus ſtrenuis, celſioris locij præmium, & humilitatis fructus debeatur. Tũ quia ad honores mundi, nõ peruenitur ſine ſuffragio temporis, & merito laboris, atqui prudentior eſſe debet diuinorum munerum diſpenſatio; non ergo eſt aſſumẽdus, niſi per ſingulos gradus, tem porum approbatione, ſicut eſſet impudentia, in militia non exercitatum velle eſſe ducẽ, prius ergo debet eſſe lector, exorciſta, Subdiaconus, &c. non per ſaltũ, ſed ſtatutis ab Eccleſia temporibus; quia prius debet eſſe diſcipulus, quam magiſter, & prius diſcere, quam docere, & exemplum religioſę conuerſationis de ſe potius alijs præſtare, quam ſumere. d.61. & ex Hormiſda. Item non eſt cõſecrandus Epiſcopus, niſi canonice electus d.62. & 63. ex Caliſto 2.

EXAMINANDVM eſſe Epiſcopum, antequam ordinetur, ſtatuit Conci. Carthagi. 4. cui interfuit, D. Auguſtinus, ſi prudẽs eſt, ſi docibilis, ſi moribus temperatus, ſi vita caſtus, ſi ſobrius, ſi ſuis negotijs cauens, ſi humilis, ſi affabilis, ſi miſericors, ſi literatus, ſi in lege Domini inſtructus, ſi in ſcripturarum ſenſibus cautus, ſi in dogmatibus Eccleſiaſticis exercitatus. Et ante omnia ſi fidem ſimplicibus verbis afferat, vt cõſubſtantialitatem trium diuinarum perſonarum, & Incarnationẽ diuinam in Filio, non autem in Patre, aut Spiritu ſancto factam. Item quærẽdum eſt ab eo, ſi idem ſit Auctor veteris, & noui Teſtamenti. Et ſi credit iudicium futurum, & carnis reſurrectionem recepturoſque ſingulos pro ijs, quæ in vita geſſerunt pænas, vel præmia. Si matrimonia non dãnat. Si originale peccatum, & actualia in baptiſmo remitti credat, & extra Eccleſiam neminem ſaluari. Cum in his omnibus fuerit inuentus plenè inſtructus, tunc cum conſenſu Clericorum, & Laicorum, & cum Conuentu principalium Epiſcoporum, maxime Metropolitani ordinetur. Sed ſuſcepto Epiſcopatu in nomine Chriſti, nõ ſuæ delectationi,

nec

nec ſuis moribus,ſed his Patrum definitionibus acquieſcat.d.23. Renouantur prædicta in decretalibus, titulo de elect. fiat, inquit, inquiſitio Prælati confirmandi,vbi eſt conuerſatus de vita,& actibus eius,vt ſit dignus ſcientia moribus, & ætate 30. annorum,& legitimus,examinando electionis proceſſum,& perſonam electi. Idem ſtatuitur ab Alexan.3. in Conci. Lateran. tit.de elect.Cum in cunctis ſacris ordinibus,& Eccleſiaſticis miniſterijs ætatis maturitas, grauitas morum,& literarum ſcientia inquirenda ſint, multo fortius in Epiſcopo,qui ad curam aliorum poſitus in ſe ipſo debet oſtendere, qualiter alios in domo Dei oporteat cõuerſari. Eapropter,ne quod de quibuſdam pro neceſſitate temporis factum eſt trahatur a poſteris in exemplum,præſenti decreto ſtatuimus, vt nullus in Epiſcopum eligatur niſi, qui iam trigeſimum annum ætatis exegerit,& de legitimo matrimonio ſit natus, qui etiam vita, & ſcientia commendabilis demonſtretur. Inferiora etiam miniſteria, vt puta decanatum Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nemo ſuſcipiat, nec Parochialem Eccleſiam regendam, niſi vigeſimum quintum attigerit, & ſcientia, & moribus commendãdus exiſtat.

Triden. ſeſſ.7.c.1

Electio dignitatum.

De electione ad alias dignitatis inferiores eſt Canõ Vrbani, Caliſti, Innocentij,Caij. Nullus fiat Decanus, Præpoſitus, aut Archipreſbyter, niſi ſit Diaconus,neque honores prædicti concedantur Adoleſcentibus, quamuis ſint in ſacris ordinati;ſed ijs,qui prudentia,& merito vitæ clareſcunt.d.77. quod renouatũ eſt ab Alexan. III. vt traditum eſt,& ab Innocen.tit. de elect. Epiſcopi tales ad ſacros ordines, & Eccleſiaſticas dignitates promouere procurent, qui commiſſum ſibi officium digne valeant adimplere, ſi & ipſi canonicam cupiunt effugere vltionem. De provisione beneficiorum eſt famoſa conſtitutio, Alexan. III. tit. de præben. citata a Concilio Tridentino,ſeſſ.7.c.3. cap. Graue nimis abſurdum Prælatorum eſt, qui cum poſſint idoneos ad Eccleſiaſtica beneficia promouere non verentur aſſumere indignos, quos, nec morum honeſtas, nec literarum ſcientia ſuffragatur. Vnde quanta Eccleſijs damna proueniant nullus ſanę mentis ignorat. Quare in Concilio Prouinciali fiat inquiſitio, & tales ſuſpendantur a beneficijs conferendis.

Ordinãdorũ electio.

Sed maxime ad ordines Eccleſiæ conferendos,Canones exactam electionem,& examen ſtatuũt; Aetatẽ, qualitates,impedimenta,interſtitia,probationem, piæ vitæ propoſitum,idoneitatem,& titulum. Nam ſine examine præcedente nullus ordinandus eſt. Item Epiſcopus, ſine conſilio Clericorum ſuorũ, Clericos non ordinet, & ciuium conniuentiam,& teſtimonium quærat. Et quando Epiſcopus ordinare decreuerit, Feria 4. ante ordinationem vocandi ſunt, qui volunt ordinari cum Archipresbyteris, qui eos repręſentent. Item eligat Epiſcopus prudentes Sacerdotes peritos in diuina lege,& exercitatos in Eccleſiaſticis ſanctionibus,qui ordinandorum vitam,genus, patriam,ætatem,inſtitutionem,locum educationis,diligẽter inueſtigent. Etſi ſunt bene literati, ſi inſtructi in lege Domini, ante oĩa ſi fidem catholicam firmiter teneant. Caueantque ne fauore,aut muneribus a vero deuient, vt indignum, & minus idoneum ad ſacros gradus applicent,alias priuentur dignitate Eccleſiaſtica. Item per tres dies continuos examinentur,& probati inuẽti

repre-

Impedimēta ad ordi. repreſententur Epiſcopo. d. 25. De impedimentis eſt Canon Gelaſij Papæ. Qui ad clericale munus accedit requiratur vita eius ante acta, ita vt non ſit aliquo facinore infectus, vel illiteratus, aut bigamus, vel ab adoleſcentia ſordidatus, vel corpore vitiatus, vel ſeruilis conditionis, vel publicis nexibus implicatus, aut publica pęnitentia notatus, vel nulla congruentis temporis expectatione diſcuſſus. Item, nec vſurarij, neque ſeditioſi, neque iniuriarum vltores ordinandi ſunt, d. 55. & 77. Vnde in ſpecie impedimenta, ad ordines in iure 19. reperiuntur. Primo, clericandi non debent eſſe bigami, vt ſtatuitur Cano. Apoſtolorum 16. & titulo de Bigam. Quia vnius vxoris vij eſſe debent ſecundum Apoſtolum. Secundo, nec infames, qui publicam egerint pęnitentiam pro homicidio, furto periurio manifeſto, fornicatione. Occultus vero peccator, qui non ſit notorius poſt pænitentiam, non debet impediri in ſuſceptis, nec ſuſcipiendis (præter homicidam) quamuis ſuadēdus, ne ad ſuperiores aſcendat, nec miniſtrare debet ſine pęnitentia; titulo de tempo. ordinar. Tertio, nec ſerui, niſi libertatem cō̄ ſequantur; titulo de ſeru. non ordi. Ne Deo militans poſſit abſtrahi propter aliquod vinculum. Quarto, neque curiales, vt Tutores, Procuratores, Curatores obligati reipublicę ex aliqua obligatione, aut debito, niſi liberati ab officijs ſæcularibus; titulo de obliga. ad ratio. Quia non fiūt propter deuotionem, ſed vt fugiant rationem reddere. Quinto, neque officiales, aut iudices in cauſa ſanguinis, vt Aduocatus, Notarius, Teſtis, quamuis ſine peccato officium obierint. Quia non percuſſorem, ait Apoſtolus. Sexto, neque milites, vt ſtatuitur, d. 51. Septimo, neq; Hiſtriones, & ludis mimorum præfecti, neque ſcurriles, & verbis turpibus ioculatores. Octauo, neque qui ſe caſtrauit, aut virilia abſcidit, Cano. Apoſtolo 21. vel partem digiti, quia ſui homicida eſt. Bene tamen, qui caſu hoc paſſus eſt, vel a medicis rationabili de cauſa; titulo de corpo. vitia. Nono, neque filij presbyterorum ex fornificatione orti, niſi probati in monaſterio; titulo de fi. presby. Poteſt tamen diſpenſari ſi boni ſint, & non paternæ incontinentiæ imitatores. Decimo, neque baptizatus in ægritudine presbyter ordinādus eſt, quia fides non eſt voluntaria, niſi probabilis ſit fides, d. 57. Decimoprimo, neque decertantes in foro, d. 61. Decimoſecundo, neque Apoſtatę a profeſſione religionis redeūtes ad ſæcularem conuerſationem. Decimotertio, neque illiterati. Decimoquarto; neque Monachi, niſi voluntate proprij Abbatis oblati. Decimoquinto, neq; amentes, aut furioſi. Decimoſexto, neque morbo Epileptico laborantes. Decimoſeptimo, neque, qui habuit concubinam, aut cognouit mulierem præter vxorem poteſt Sacris Altaribus miniſtrare propter timorem incontinentiæ, ſecundum Cano. Apoſtolorum, & Conci. Aurelia. Decimooctauo, neque a dæmonibus vexati. Quia fideles non confiderent de ſua ſalute videntes humanæ curationis miniſtros tali calamitate vexatos. Cano. Apoſtolo. 78. & d. 33. Decimonono, neque corpore vitiati, ſi deformitas enormis ſit, vt ſine ſcandalo celebrare non poſſint, titulo de corpo. vitia. Rationes horum impedimentorum ſunt, quia Clerici debent eſſe interceſſores pro populo Dei, qui autem Deo diſplicent non poſſunt intercedere, immo magis iram Dei prouocant. d. 49. Tum quia indignum eſt dare Deo, quōd dedignatur homo accipere, ergo corpore vitiati cum

ab

ab hominibus repudientur ad Matrimonia, indignum eſt Deo offerre. d. 50. Poſtremo quia perſonæ defectuoſæ ſcandalo ſunt populo Dei, & retrahunt homines a ſacrificio Dei, ſicut olim peccantibus ſacerdotibus filijs Heli, & prauis exemplis talium peiores fiunt. Clerici autem debent eſſe venerandi populo, & exempla omnium virtutum. d. 50. De ætate, & Interſtitijs D. Leo Papa ait. Quid eſt manus cito imponere? niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis ante meritum obedientiæ, ante experientiam diſciplinæ ſacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid eſt communicare peccatis alienis, niſi talem effici ordinantem, qualis eſt ille, qui non meruit ordinari? d. 78. Item ſi ab Infantia quis dicatus ſit miniſterijs Eccleſiaſticis ſeruanda ſunt interualla, vt per quinquennium teneatur inter Lectores, & Exorciſtas, & poſt 14. annos Acolythus, vel Subdiaconus fiat, etſi mereatur ad diaconatum accedat, in quo ſi quinque annos inculpate ſe geſſerit, poterit ſuffragantibus ſtipendijs Sacerdotium mereri. d. 77. Item ad Subdiaconi ordinationem, ætas viginti annorum requiritur. Ad Diaconatum 25. ſicut in leuitis veteris legis. Presbiter vero, aut Epiſcopus nō ordinetur, ante perfectam ætatē 30. annorum; Ne per ætatem (vt aliquoties euenit) aliquo errore culpentur. Si neceſſitas expoſcit poſſunt ordinari Sacerdotes 25. anno. d. 79. Monachus vero ſi honeſtis ſit moribus, quia iam dicatus Deo. & non de laicorum conuerſatione veniens minori tempore ordinari poteſt; primo poteſt fieri lector, poſt tres menſes Acolythus, ſexto menſe ſubdiaconus, etſi honeſtę voluntatis, & modeſtę conuerſationis nono menſe Diaconus, & cōpleto anno Presbiter, quia ſupplet deuotio, quod erant collatura. Interſtitia. diſtinctio 77.

De propoſito Conc. Toleta. ſtatuit. Mancipati officio Clericatus a primis infantiæ annis voluntate patrum, in domo Eccleſiæ erudiantur detonſi, vel miniſterio lectorum traditi, ſub Epiſcopali præſentia. Et decimooctauo anno voluntas eorum coram clero, & plebe perſcrutetur; ſi gratia caſtitatis inſpirante Deo placeat, quam ſi promittant ſeruaturos ſine coniugali neceſſitate, tanquam appetitores arctiſſimæ viæ, læuiſſimo Domini iugo ſubdantur. Et vigeſimo anno facta probatione profeſſionis ſuæ ſubdiaconi fiant. d. 28. Item nullus eſt conſtituendus Subdiaconus, nec Diaconus, nec Presbiter, niſi profeſſionem faciant, & promittant Epiſcopo ſuo, caſte, & pure viuere, ſub Dei timore; quia ipſi templum Domini, & vaſa, & ſacrarium Spiritus ſancti eſſe debent, & ita indignum eſt eos immunditijs deſeruire. d. 28. ex D. Greg. & Innocen. & Conc. Tolet.

De idoneitate ſancitur ſic; In alijs dignitatibus, & officijs, & curatis præter Epiſcopum, ætas 25. annorum ſufficit, ſed requiritur idoneitas ſcientiæ, & morum, titulo de Elect. Item ex Innocen. III. Cum ſit ars artium regimen animarum diſtricte præcipimus, vt Epiſcopi promouendos in Sacerdotes diligēter inſtruāt, & informēt per ſeipſos, vel alios idoneos viros, vt diuina officia, & Eccleſiaſtica Sacramenta, rite valeant celebrare. Etſi de cætero rudes, & ignaros ordinare præſumpſerint, ordinatores, & ordinatos vltioni graui ſubiacere decernimus. Satius enim eſt (maxime in ordinatione Sacerdotū) paucos bonos, quam multos malos habere miniſtros; quia ſi cæcus cæcum ducit ambo in foueam dilabuntur. titulo de æta. & quali. De titulo. d. 40. eſt. Canon, Nullus eſt ordinandus

nandus ſine titulo, hoc eſt ſine Eccleſia, aut beneficio, vt in ea Eccleſia, in qua intitulatus eſt perſeueret.

DE ORDINATIONE Clericorum.

TEmpus, & modum Canones præſcribunt, quibuſdam ante annuntiatis.

Ordinandis tam Epiſcopis, quam Clericis prius ab ordinatoribus decreta Conciliorum auribus inculcāda ſunt iuxta Concil. Carthag. Tertium, Ne ſe aliquid contra ſtatuta Concilij feciſſe pæniteat. d. 38. Item qui ad Eccleſiaſticos gradus eſt aſcē ſurus ante honoris conſecrationem promittat fidem Catholicam ſincera cordis deuotionē cuſtodire, iuſte, & pie viuere, & in nullis operibus ſuis Canonicis Regulis contradicere, & debitum honorem obſequiū, & reuerentiam præeminenti ſibi impendere, iuxta Beati Leonis Papæ edictum. Qui ſe ſcit aliquibus eſſe præpoſitum non moleſte ferat aliquem ſibi eſſe Prælatum, ſed obedientiam quam exigit, etiam ipſe impendat. d. 23. ex Conc. Tolet. Item nullus alterius terminos vſurpet, nec Parochianum alterius iudicare, vel ordinare, vel excommunicare præſumat. d. 92. Cano. Apoſtolorum 34. Item latini a Grecis ordinari non debent, neque econtra, ſi ritus ſint diuerſi. Titulo de tempo. ordin.

Epiſcopus non a paucioribus, quā a tribus Epiſcopis ordinandus eſt. Quia Iacobus, cognominatus frater Domini, primus Hieroſolymorū Epiſcopus a Petro, Iacobo, & Ioanne Apoſtolis eſt ordinatus d. 66. & 69. Et cum ordinatur duo Epiſcopi teneant Euangeliorum Codicem ſuper caput, & ceruicem eius, & reliqui Epiſcopi præſentes manibus ſuis caput eius tangant & vnus benedicat. Metropolitanus vero ab omnibus ſuffraganeis ordinandus eſt. tit. de tempo. ordina. Item Epiſcopi ordinatio fieri debet, die Dominica hora tertia, & a ieiunis, cum precibus, & manus imponentes in ſanctis Euāgelijs, quæ prædicaturi ſunt, & orantes. Et Sacra vnctione exemplo Prophetarum, & Regum, capita eorum more Apoſtolorum, & Moyſis vngētes. Quia quando Apoſtoli Paulum, & Barnabam ex præcepto Spiritus Sancti ad Euangelium prædicandū gentibus miſerunt, ieiunantes, & orantes impoſuerunt eis manus. Ideo hæc forma ſeruanda eſt. d. 75. Item Archiepiſcopis vſus Pallij conceditur a Papa, quo vtantur in Miſſa diebus ſolemnibus, quo Pontificalis officij plenitudo, & appellatio Archiepiſcopi confertur. Papa vero vbique, & ſemper eo vtitur in Miſſa. Titulo de vſu Pallij.

CLERICI vſque ad Subdiaconatum, quando, & vbi libitum fuerit, ordinari poſſunt, Ordinationes vero Presbiterorum, & Diaconorū non debent fieri niſi in quattuor Tēporibus anni, vt initio Quadrageſimæ, & in medio, & in hebdomada Pentecoſtes, & menſe Septembris, atque Decembris, multis coram aſtantibus, & ipſis ordinandis ieiunis, & a ieiunantibus ſacra benedictio conferatur. d. 76. Immo non licet Epiſcopis ordinare maioribus ordinibus, niſi in quatuor Temporibus, vel Sabbato ſancto, aut Sabbato ante Dominicam Paſſionis, præterquam papæ. Titulo de tempo. ordi.

PRESBITER ordinandus eſt a proprio Epiſcopo tenente manus ſuper caput eius, & omnes Presbiteri, qui præſentes ſunt manus ſuas iuxta manus Epiſcopi ſuper caput illius teneant; & orario, ſeu ſtola vtroque humero ambitur; vt qui imperturbatus

tus præcipitur conſiſtere, inter aduerſa, & proſpera: virtutum ſemper ornamento vtroque circumſeptus, & illo vti debet in Miſſarum ſolemnijs. Item manus eius vnguntur non chriſmate, ſed oleo. Diaconum ſolus Epiſcopus benedicit, & ſolus manũ imponit, quia ad miniſterium non ad ſacerdotium conſecratur. Subdiaconus manus impoſitionem non accipit, ſed patenam, & calicem vacuum de manu Epiſcopi, & de manu Archidiaconi accipit Vrceolum, & Aquamanile, & Manutergiũ. d.23. Acolythus accipit ab Archidiacono Ceroferarium cum Cereo, & Vrceolos vacuos. Exorciſta debet accipere librum Exorciſmorum, & Epiſcopus dicit, accipe & commenda memoriæ, &c. Lector cum ordinatur, Epiſcopus tradit ei codicem dicẽs, accipe, & eſto relator verbi Dei, &c. Oſtiarius poſtquam fuerit inſtructus ab Archidiacono, qualiter in domo Dei debeat conuerſari, tradit ei Epiſcopus claues Eccleſiæ de Altari dicens, ſic age quaſi redditurus Deo rationem, &c. Pſalmiſta, id eſt, cantor abſque licentia Epiſcopi poteſt ſola iuſſione presbyteri officium cantandi ſuſcipere, dicentis, vide, vt quod ore cantas corde credas, & quod corde credis operibus comprobes diſt.23. Item in ordinatione Clericorum, Diaconus primus aſſiſtens Epiſcopo dicit hæc verba; poſtulat Sancta mater Eccleſia hunc Diaconum, vel Subdiaconũ ad onus presbyteratus, vel Diaconatus aſſumi: cui Epiſcopus ait, ſcis illum dignum eſſe? Reſpondit Archidiaconus, quantũ humana fragilitas noſſe ſinti, & ſcio, & teſtificor ad huiuſmodi onus officij eſſe dignum. Qua reſponſione docet Innocen. III. non peccare, quoniam ſimpliciter non dicit eſſe dignum ſi contra conſcientiam non loquatur, ſed in quantum humana fragilitas noſſe ſinit, cum illum quem indignum eſſe non nouit dignum debeat æſtimare. Vnde illa reſpõſione ſecure vti poteſt, niſi de indignitate ſibi conſtiterit; titulo de Scruti.in ordi.facien.

Itẽ huc reduci poteſt Canon Concilij Carthagi. Clerici non obtemperantes Epiſcopo volenti eos promouere ad ampliorem gradũ in ſua Eccleſia pro neceſſitate rerum Eccleſiaſticarum in ſuo gradu non miniſtrẽt. d.74. Vnde Alexan. III. cuidam, qui beneficijs abundabat, & nolebat promoueri, præcepit, vt ſi propter occulta peccata renuit promoueri auferantur ab eo beneficia, niſi ſit valde vtilis, ſi autem pro ſola voluntate renuit, compellatur per ſubtractionem beneficiorum, ſi vtilitas, vel neceſſitas Eccleſiæ ſuæ erit, & ipſe ſit idoneus tit. de ęta. & quali. præficien.

DE OFFICIIS CLERICORVM.

Ad oſtiarium pertinet claudere, & aperire templum Dei, & cuſtodire omnia, fideles recipere, excommunicatos, & infideles excludere. Ad exorciſtam, exorciſare, energumenos, & catechumenos. Ad Acolythum luminaria accendere, & portare, & vaſa pro Euchariſtia præparare. Ad Pſalmiſtam, canere, benedictiones dicere, laudes, offertorium, reſponſoria, & quidquid ad canendi peritiam pertinet. Ad lectorem lectiones Prophetarum pronunciare. Ad Subdiaconum calicem, & patenam ad Altare deferre, & leuitis tradere eiſque miniſtrare; Vrceolum, Aqua manile, & Manutergium tenere, & Epiſcopo, ac Presbytero pro lauãdis manibus aquam præbere. Ad Diaconum pertinet

tinet aſſiſtere Sacerdotibus in omnibus, præſertim, quæ aguntur in Sacramentis eiſque miniſtrare; oblationeſque inferre; componere, ac veſtire menſam Domini; Crucem ferre, & prædicare Euangelium, & Apoſtolum. Nam ſicut lectoribus vetus Teſtamentum, ita Diaconis nouum prædicare præceptum eſt. Ad ipſum pertinat officium precum, & recitatio nominum, ipſe præmonet habere aures ad Deum, ipſe donat pacem. Ad presbyterum pertinet Sacramentum corporis, & ſanguinis Domini in altario Dei conficere, orationes dicere, & benedicere dona Dei. Ad Epiſcopum Baſilicarum cõſecratio, vnctio altaris, & confecto chriſmatis; ordines Eccleſiaſticos diſtribuere; Sacras virgines benedicere. Et quomodo procedit quiſque in ſingulis ipſe eſt præordinator in cunctis. Clericorum miniſteria in Archidiaconi cura Archipresbyteri Primicerij, & Theſaurarij ſollicitudine ſunt ex Pontificali auctoritate. Archidiaconus imperat, Subdiaconis, & Leuitis, quomodo ſit veſtiendum altare. Ad eum pertinet cura incenſi, & ſacrificij, quis dicat Euangelium, & Epiſtolam, & reſponſoria, & reparationis parochialium ruralium, iurgia, & exceſſus clericorũ corrigere. Ipſe denunciat ieiunia, & ſolemnitates, & prædicat, & clericis proprias partes pecuniæ diſtribuit. Archipreſbiter curam agit animarum, ſuper omnes presbyteros. Aſſidue in Eccleſia adeſt. Et in abſentia Epiſcopi eius vice Miſſarum ſolemnia celebrat. Vocatur Decanus ab Innocen. III. titulo de officio Archidia. Vbi dicitur ſecundum ordinem Romanum, Archidiaconum eſſe Vicarium Epiſcopi, ad quem pertinet iurgia audire, & corrigere quæ viderit in eccleſijs, & clericis corrigenda, prout melius ſecundum Deum poterit. Quia redditurus eſt rationem in diſtricti examinis iudicio. Ideo oculus Epiſcopi appellatur, & maior eſt poſt Epiſcopum. Ad eum pertinet examinatio clericorum ad ordines, & beneficia. Archipresbiter vero prouidere debet cuncta, quę in Sacerdotum miniſterio perfici debẽt. Cuncta tamen referunt ad Epiſcopum, & contra eius decretum nihil faciunt. Ad Primicerium ſpectant Acolythi, exorciſtæ, pſalmiſtæ, & lectores. Et ſignum dare pro officio clericorum, pro vitæ honeſtate, & officij meditandi, & peragendi ſollicite. Lectiones, benedictiones, pſalmi, laudes, offertorium, & reſponſoria, quis clericorum dicere debeat. Et ordo, & modus pſallendi in choro pro ſolemnitate temporum. Item ordinatio luminarium, reparatio baſilicarum vrbis. Et matriculam diſponere in qua ſcribitur, quid quiſq; canonicus legere debeat. Itẽ ad eum ſpectat emendare clericos, quos non poteſt ad agnitionem Epiſcopi deferre. Ad theſaurariũ pertinet oſtiarij, & baſilicarum directio, incenſi præparatio, cura chriſmatis conficiendi, præparatio luminarium in ſacrario, & ſacrificijs, d. 21. & 25. ex D. Iſidoro.

IN SPECIE.

CONSECRANDAE ſunt Eccleſiæ. Nam cum in veteri lege Moyſes Deo præcipiente tabernaculum, altare precibus, & vnctionibus conſecrauerit, & miniſtros, veſtes, & vaſa; multo magis Chriſtiani quibus veritas patefacta eſt, templa Deo dicare debent, altaria, vaſa, & miniſtros ſacris precibus, & vnctionibus, ad ſacrificandum, & non in alijs locis, niſi cum ſumma neceſſitate, & tunc non in domibus, *Conſecratio eccleſiæ.*

ſed

ſed ſolum in tabernaculis a Pontificibus dicatis diuinis precibus, vel in oratorio ex permiſſu Epiſcopi. Ab exercitu, qui non habet eccleſiã Miſſa dicitur cum tabula conſecrata.

Secundo, neque eccleſia eſt ædificanda, niſi prius veniat Epiſcopus ciuitatis, & crucẽ figat, & atrium deſignet. Et Baſilicę ſemper cum Miſſa conſecrari debent.

Tertio ſolẽnitates dedicationum eccleſiarum ſingulis annis celebrandæ ſunt.

Quarto, in quibuſdam caſibus iterum conſecranda eſt eccleſia, vel reconcilianda, vt quãdo dubitatur de eius conſecratione, vel quando mutatum eſt altare maius, vel parietes de nouo reparati, & quando eſt exuſta, & quando eſt polluta propter homicidium, vel adulterium ibi commiſſum. Quia ſicut infans nõ debet rebaptizari, ita nec locus Deo ſacratus iterum dedicari.

Quinto, altaria ſine reliquijs Sanctorum, & permiſſu Epiſcopi erigi non debent. Si lapidea ſint chriſmatis vnctione, & ſacerdotali benedictione ſacrantur.

Sexto vaſa, & veſtimenta ad Domino miniſtrandum ſacrata, & honeſta eſſe debent, & ab alijs nõ ſunt tangenda, quam ab hominibus Deo ſacratis. Et corporalia non ſerica, ſed linea eſſe debent, ſicut Syndon quo Chriſti corpus inuolutum eſt. Et in ligneo, aut vitreo calice ſanguis Domini non debet conſecrari, ſed in aureo, argenteo, aut ſtanneo. de conſecra. d. 1.

Hora canonica. Ex antiqua conſuetudine, tres tantum pſalmos, & lectiones cantamus in Paſchate. In alijs feſtiuitatibus, nouem pſalmos, in dominicis 18. In alijs diebus 12. pſalmos, & tres lectiones. Poſt matutinum, & veſperas ſemper oratio dicatur a Sacerdote. De conſecra. d. 5. ex Gregorio.

Septimo, item presbyter mane matutinali officio expleto penſum ſeruitutis ſuæ canendo, primam, tertiam, ſextam, nonamque perſoluat, exemplo Prophetæ dicentis, ſepties in die laudem dixi tibi. Et media nocte ſurgebam ad confitendum tibi: ita nos Creatori Domino ſepties, & media nocte laudes referamus, ita tamen, vt poſtea horis competentibus, & ſignis deſignantibus iuxta poſſibilitatem, aut a ſe, aut a ſcholaribus publice compleantur. Deinde peractis horis, & infirmis viſitatis (ſi voluerit) ad opus rurale exeat ieiunus, vt iterum neceſſitatibus peregrinorum, & hoſpitum infirmorumq; ac defunctorum ſuccurrere poſſit, vſque ad ſtatutam horam pro qualitate tẽporis, & opportunitate, d. 91. & cap 1. de celebra. Miſſa. Concil. Carthagi. ſtatuit, vt clericus, qui vigilijs hoc eſt matutinis horis, non intereſt ſtipẽdio priuetur, & excommunicetur, ſi admonitus ab Epiſcopo non ſe emendauerit, niſi propter infirmitatem. d. 91. Item Prouincię cuiuſque Pontifices, & Eccleſiarum Rectores eundem in pſallendo teneant modum, quem in Metropolitana Sede cognouerint inſtitutum. Nam iuſtum eſt, vt quę ſacerdotalis dignitatis eſt mater, ſit eccleſiaſticæ magiſtra rationis. diſt. 12. ex Conci. Tole. Et Monaſteriorum conſuetudines non ſint permixtæ, cum eccleſiaſtica regula. Ibidem ex Cõci. Bracharen. Item a Paſcha, vſque ad Pentecoſtem non proſternant ſe in oratione, cauſa humilitatis, ſed recto vultu ad Dominum fungantur orationis officio, quia in his diebus gaudium Reſurrectionis Domini celebramus. d. 30. Item non voce tãtum cantare debemus, iuxta Apoſtolum dicentem cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Audiant hoc adoleſcentuli, quibus pſallendi

in eccleſia officium eſt, nõ voce cantandum, ſed corde, nec in Tragedore morem guttur, & fauces dulci medicamine liniẽdi ſunt, vt in eccleſia theatrales moduli audiantur, ſed in timore, in opere, in ſcientia ſcripturarum. d.92. ex Hyero. Item eſt Canon Innocen. III. celebris. Dolẽtes reperimus aliquos Clericos, & etiã Prælatos in commeſſationibus, & illicitis confabulationibus magnam partem noctis conſumere, & continua ſyncopa tranſcurrere matutinum. Alij ter, aut quater in anno vix celebrant, & quod deterius eſt, nec interſunt, & quando interſunt, chori ſilentium fugiunt, neque intendunt ad diuina, ſed collocutionibus ſæcularium. Hæc, & ſimilia inhibemus ſub pæna ſuſpẽſionis, & præcipimus in virtute obedientię, vt officium nocturnum, & diurnum ſtudioſe, & deuote celebrent. Titulo de celebr. Miſſa. Item eſt conſtitutio Bonifacij Octaui, de cler. non reſiden. in 6. Conſuetudinem improbamus cathedralium, & collegiatarum, qua Canonici, & beneficiati diſtributiones quotidianas (quæ tantũ reſidentibus tribuuntur) licet diuinis officijs non interſint ex integro percipiunt, in aliis locis exiſtentes. Vnde ſtatuimus vt tribuantur aſtantibus in eiſdem officiis, iuxta ordinationem, cuiuſlibet eccleſiæ, & qui receperit aliter niſi propter infirmitatẽ, aut iuſtam neceſſitatẽ corporalem, aut euidentem eccleſiæ vtilitatem teneatur ad reſtitutionem.

Miſſa. MISSA a Chriſto fuit inſtituta, ſed alii addiderunt, & ordinarunt, vt Iacobus frater Domini, & Baſilius Ceſarienſis ad decorem, & ſolemnitatem.

Secundo miſſarum ſolemnia ante horam tertiã, in qua Crucifixus eſt Dominus celebrari non debent, niſi in nocte Natiuitatis Domini. Item a ieiunis celebranda eſt.

Tertio, in vno die non licet, niſi vnam miſſam celebrare ex decreto, Alex. Secundi, quia Chriſtus ſemel paſſus eſt, & mundum redemit, &c. non modica res eſt vnam celebrare, immo valde felix, qui digne poteſt vnam, qui autem plures præſumunt celebrare non euadent damnationem,

Quarto, Hymni canendi ſunt exemplo Chriſti, & Apoſtolorũ præſertim gloria in excelſis, &c. Alleluia.

Quinto, nullus cum baculo preſbyter, aut Diaconus Altario aſſiſtere velato capite præſumat, quia ſic orare prohibet Apoſtolus ex Zacharia Papa.

Sexto, Epiſcopus niſi cum duobus presbyteris, & tribus diaconis non celebret. Presbyter cum duobus præſentibus, & ipſe ſit tertius, vt poſſit dicere dominus vobiſcum, & orate fratres.

Septimo, nemini prohibeatur ingreſſus Eccleſiæ, & audire verbum Dei, ſiue gẽtilis, ſiue Iudæus, aut Hæreticus ſit vſque ad Miſſam Catechumenorum.

Octauo, Euangelia non ſedendo, ſed ſtando attente, & fideliter adorando, audienda ſunt.

Nono, ſurſum corda dicitur, vt admoneatur populus nihil aliud, quam dominum cogitare debere, quando ſtat ad orationem, omnem carnalem cogitationem, & ſæcularem abijciendo, vt claudatur pectus contra aduerſarium, & ſoli Deo pateat.

Decimo, nouem præfationes ex antiquo Eccleſiæ vſu recipiẽdæ ſunt, cui additur decima, d.70.

Decimoprimo, in omnibus miſſis pro ſpiritibus defunctorũ quieſcentium preces fundendæ ſunt.

Decimoſecundo, veſtimẽta ſacra,

&

& vaſa vetuſtate conſumpta combu rantur, & cineres in locum ſecretum in baptiſteriū inferantur. Item mortui veſtimentis altaris non inuoluantur, de conſecr. d. 1.

Item in ſacrificio Domini panis, & vinum cum aqua, ſolummodo ſunt offerenda ex Chriſti inſtitutione, quia ſanguis, & aqua ex latere Chriſti fluxerunt. Non aues, aut animalia. Fructus poſſunt benedici Cano. Apoſtolo 3. Non eſt aliud admouendum ad altare, quam oleum in Candelabro, & incenſum.

Secundo, nulla oblatio poteſt cōparari oblationi corporis, & ſanguinis Domini.

Tertio, pax non debet dari, niſi in fine, quæ eſt ſignum conſenſus populi, quo miſteria concluduntur.

Quarto, quoties imolat Sacerdos corpus, & ſanguinem Chriſti debet ſumere vtrumque iuxta Apoſtolum.

Quinto, quotidie communicare, nec laudat, nec vituperat Auguſtinus, omnibus tamen dominicis ſuadet, ſi tamen ſit mens ſine affectu peccandi. Qui ſemper pecco, ſemper accipere debeo medicinam, ait Hila. & Ambroſ.

Sexto, ex Cōci. Elibertino, omnis homo, tribus diebus, quattuor, aut octo debet abſtinere, ab vxore, ante ſacram communionem. Nec inter catholicos numerabitur, qui in Paſchate, Pentecoſte, & Natali Domini non communicauerit.

Septimo, magnum interuallum temporis tranſactum poſtulat Clemens Papa poſt communionem, vt communis cibus ſumatur.

Octauo, quando miſſa celebratur Laicus in presbyterio ingredi non poteſt, hoc eſt vbi Sacerdotes, & reliqui Clerici conſiſtunt. Vnde de vi. & hone. cle. titulo renouatur ſtatutum, vt quando ſacra miſteria celebrantur Laici, ſecus altare ſtare, vel ſedere inter Clericos non præſumant.

Nono, pænitentia imponitur ei cuius negligentia, aliquid de ſanguine Domini ſtillauerit.

Decimo, inſtitutio miſſæ eo ordine agatur in qualibet Prouincia, ſicut in Metropolitana, & idem pſallendi modus, & miniſtrandi conſuetudo ſeruetur.

Decimoprimo, in tres partes frangitur Sacramentum corporis Chriſti; pars miſſa in calicem corpus Chriſti, quod iam reſurrexit, ſignificat Cōfeſſio, & abiuratio Berengarij facta coram Nicolao Papa Romæ, & 113. Epiſcopis ſic habet. Ego Berengarius indignus Diaconus cognoſcens veram Catholicam, & Apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipuè eam, de qua hactenus infamatus ſum, quæ aſtruere conatur panem, & vinum, quę in altari ponuntur poſt conſecrationem ſolummodo Sacramentum, & non verum corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe. Conſentio autem Sanctæ Romanæ, & Apoſtolicæ Sedi, & ore, & corde profiteor de Sacramentis Dominicæ menſæ eandem fidem me tenere, quam dominus, & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc Sancta Synodus auctoritate Euangelica, & Apoſtolica tenendam tradidit: ſcilicet panem, & vinum, quæ in altari ponuntur poſt conſecrationem non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum corpus, & ſanguinem Chriſti eſſe, & ſenſualiter, non ſolum Sacramento, in veritate manibus Sacerdotum tractari; iurans per Sanctam Trinitatem eos, qui contra venerint ęterno anathemate dignos, quod ſi ego ipſe aliquando contra venero ſubiaceam Canonum ſeueritati. Lecto, & perlecto ſponte ſubſcripſi. De conſecr. diſt. 2.

Officia Presbiteri. PRESBITERI præſentib. ſuis Epiſcopis, poſſunt ſacra conficere, prædicare eos decet, vtile eſt benedicere, conuenit reddere communionem. Benedicere populo, non debet, qui Chriſtum etiam meruit conſecrare? Quia ſcriptum eſt, presbyteri duplici honore honorătur, maximè qui laborăt in Verbo Domini. Preſbyteri ab initio, vt legimus, negotiorum iudices eſſe mandati ſunt, intereſſe Sacerdotum Concilio, quoniă, & ipſi presbyteri, vt legimus Epiſcopi nuncupantur ſecundum, quod ſcriptum eſt, vos poſuit Spiritus Sanctus Epiſcopos, regere Eccleſiă Dei? Sed oderunt hoc Sacerdotes ſuperbi in presbyteris nomen, qui nolunt eſſe hoc, quod Chriſtus, qui diſcipulorũ pedes lauit, qui baptizatus eſt a Ioanne, licet baptizandum ſe a domino Ioannes proclamaret. Propterea hæc ſcribo, vt ad præſens ſeruetur humilitas, vt Presbyteri hoc in Eccleſijs ſuis faciant, quod Romæ, ſiue quod in Oriente, quod in Italia, quod in Creta, quod in Cipro, quod in Africa, quod in Illirico, quod in Hiſpania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias, quod in omnibus locis, vbi perſeuerat humilitas. d. 95. ex Hiero. Item Epiſcopus in Eccleſia, & conſeſſu presbyterorũ ſublimior ſedeat, intra domum Collegam, ſe presbyterorum eſſe cognoſcat. Et in quolibet loco ſedens ſtare presbyterum non patiatur ibidem ex Concil. Carthag.

Feſta. FESTA ſunt nuntianda Laicis, nempe omnes dominici dies, & Natalis domini, cum tribus ſequẽtibus, & Octaua, & Sancti Siluestri, & Teophania, cum Purificatione, & Săcto Paſchatæ, Aſcenſione Pentecoſte cũ rogationibus, & Sancti Ioannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum, & Inuentio dominicæ Crucis, & Natiuitatis, & Aſſumptionis Beatæ Mariæ, & dedicationis Sancti Michaelis, & omniũ Sanctorum, & Săcti Martini, & aliæ feſtiuitates, quas ſinguli in ſuis Epiſcopatibus, cum populo collaudauerint.

Secundo, Epiſcopus non deſit Eccleſiæ die dominico.

Tertio, In hanc torum ſolemnitatibus diuinis officijs, non ſaltationibus, vel cantilenis populi vacare debent.

Quarto, exceptis diebus dominicis, non ſoluatur ieiunium quadrageſimæ.

Quinto, in dominicis, & diebus Pentecoſtes in oratione non eſt genu flectendum, ſed ſtandum.

Sexto, ſabbatho ieiunandum eſt, propter ſepulturam domini, non autem in dominica neque feria quinta, in quibus Pagani ieiunia celebrant, ſed quarta, & ſexta, feria. Quarta, quia eo die Iudas de traditione domini cogitauit.

Septimo, in die Cenæ domini nouum Chriſma conficiatur.

Octauo, Aquam Sale conſperſam mandamus benedicere Sacerdotib. nam ſi cinis vitulæ ſperſus ſanguine mũdabat populum, multo magis aqua, ſale, aſperſa, diuinis precibus ſacrata. Et ſi ſale aſperſo, ſterilitas aquę ſanata eſt, ab Eliſęo, quăto magis ſacratus diuinis precibus ſterilitatem aufert rerum humanarum, & coinquinatos mundat? bona multiplicat? & inſidias diaboli auertit? & a phantaſmatum verſutijs homines defendit? Sanctum Paſcha nonniſi in die dominico celebretur, per vniuerſum Orbem, & vno tempore, & vno die. Item Chriſtiani non ponũt ſpem in imaginibus, ſed ad recordationem eas venerantur, & adorant. de Conſecr. d. 3.

QVADRAGESIMA eſt ſumma obſeruatione obſeruanda, pręter dies Dominicos, A prima Dominica

Qua-

Quadrageſimæ, vſque ad Paſcha ſex hebdomadæ computantur, & fiunt quadraginta duo dies, ex quibus dies Dominici abſtinentiæ ſubtrahũtur, & triginta ſex dies remanent; qui ſine neceſſitate rationabili non ſoluantur. Item Epiſcopus, Presbiter, aut Clericus non ieiunans quadrageſimam deponatur, de conſec. d. 5. & Cano. Apoſtolico 68.

Quadrageſima.

Baptiſmus.

BAPTISMA generale non niſi in Sabbato Sancto Paſchæ, & Pentecoſtes celebretur ex Siricio Papa. Quia in ijs diebus, quæ geruntur in membris congruunt cum ijs, quæ geſta ſunt in capite, nempe ſicut triduana ſepultura, ita triduana demerſio, & in eo eſt mors peccati, & ab aquis eleuatio, inſtar reſurgentis eſt de ſepulchro. Vnde baptizans vna ſola immerſione deponatur, ait Cano. Apoſtolo. 49. Secundo, non eſt baptizandus, qui ab hæreticis baptizatur, in nomine Sanctæ Trinitatis. Et rebaptizans vere baptizatum deponatur, ait Cano. 46. Tertio, Symbolum viginti antea diebus eſt, prædicandum baptizandis decreto Conci. Agathẽ. Quarto, Exorciſandi ſunt antequã baptizentur. Nares vero, & aures ſaliua tangantur. Vnguntur etiam in cerebro, & veſtis candida eis traditur ſignificans Chriſtianã puritatẽ. Sed Iudæi octo menſibus ſint inter Catechumenos quorum perfidia frequenter ad vomitum redit. Quinto, quadraginta dierum abſtinentia Iudæis baptizandis a D. Gregorio indicitur. Sexto, propria vaſa ad baptizãdum habeat Sacerdos, & ad Corporale lauandum, & Pallas Altaris, in quibus nihil aliud fiat. Septimo, infantes baptizandi ſunt quoties non inueniũtur certiſſimi teſtes, qui eos baptizatos teſtentur, ſine dubitatione, neque ipſi per ætatem idonei ſunt reſpondere de Sacramentis ſibi traditis. Octauo, de veteri Chriſmate baptiſma conſecrare non licet, ſed de nouo, quod Diœceſani Presbiteri accipiant a ſuo Epiſcopo, ante Paſchæ ſolemnitatem, & petant ab eo per Diaconum, aut Subdiaconum, quo vngere debent baptizatos in pectore, non in fronte, quia hoc ſolis Epiſcopis licet. Nono, firmiſſime tene, & nullatenus dubites omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur cum peccato originali naſci impietati ſubditum mortique ſubiectum, & ob id natura, irę filium naſci, vt Apoſtolus ait. Eramus, & nos natura filij irę; a qua nullus liberatur niſi per fidem Mediatoris Dei, & hominum Ieſu Chriſti, ex Auguſtino de conſe. d. 4.

Confirmatio.

CONFIRMATIO vocatur manus impoſitionis ſacramẽtum, quod non eſt dandum niſi ieiun[i]s. Item omnia Sacramenta ſignaculo Crucis perficiuntur.

Miniſtri Altaris.

MINISTRI Altaris cantare non debent, niſi inter Miſſarum ſolemnia, canere vero pſalmos, & lectiones per alios Clericos fiat, quia Diaconi ad prædicationis officium, & eleemoſynas vacare debent. Et quia dum blanda vox quæritur congrua vita negligitur, ex D. Gregorio. DIACONI, tanquam oculi, ſint Epiſcopi circumluſtrantes cum verecundia actus totius Eccleſiæ, perſcrutantes diligentius, ſi quem viderint vicinum proximum eſſe peccato, vt referant Epiſcopo. Et de peregrinis refouendis, & alijs, quæ ad cultum Eccleſiæ, & diſciplinam pertinent. Qui ſint ſeptem in qualibet ciuitate, qui cuſtodiant Epiſcopũ prædicantem. d. 93. Item meminiſſe Diaconi debẽt, quoniam Apoſtolos hoc eſt Epiſcopos, & præpoſitos Dominus elegit, Diaconos autẽ poſt Aſcenſum Domini Apoſtoli ſibi conſtituerunt Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ Miniſtros. Vnde in ſancta Synodo præcipitur,

cipitur, ne Diaconus ſedeat ante preſbiterum licet in dignitate Eccleſiaſtica ſit. Et Romę presbiteri ſedent, & ſtant Diaconi.d.93. Et apud Paulum idem ſunt Presbiteri, qui Epiſcopi, vt patet ex illo; Paulus, & Timotheus omnibus, qui ſunt Philippis cū Epiſcopis, & Diaconis. Et ex illo; reliqui te Cretæ, vt conſtituas Presbiteros, ſi quis ſine crimine eſt, nā oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe. Et ex illo Petri ad Pſesbiteros, ego compresbiter. Et Ioannes presbiter electę Dominę. Quod vero poſtea vnus electus eſt, qui cæteris præponeretur in Chriſmatis remedium factum eſt; quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de ſe, quē induſtrium nouerint, & Archidiaconum vocent. Quid enim facit Epiſcopus excepta ordinatione, quod non faciat Presbiter? ex Hiero. ad Euagrium? Item ſciant quare Diaconi conſtituti ſunt, legant Acta Apoſtolorum, Non eſt æquum nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare mentis, cōſtituamus ergo viros ſuper hoc vt Stephanum recordentur conditionis ſuæ. Hæc dicuntur propter Diacones ſuperbos, qui præferebant ſe Presbiteris Diaconi ſūt quos in Apocalypſi legimus ſeptem Angeli Eccleſiarum virtutum operatione præclari, humilitate pręditi; quieti, humiles, euangelizantes pacem, annunciātes bona; diſſenſiones, rixas, & ſcandala reſecantes, docentes, ſoli Deo colloquentes in templo, nihil de mūdo penitus cogitantes, dicentes patri, & matri non noui vos. d.93.

In Prælatis non ſufficit bona conuerſatio, neque morum honeſtas niſi addatur ſcientia doctrinæ, d. 36. Item ignorantia omnibus eſt noxia, ſacerdotibus autem periculoſa. Excuſari poteſt ignorans, qui non inuenit a quo diſceret, non autem habentes a quo diſcant. Nam ſcriptum eſt, qui ignorat ignorabitur, qualis eſt; qui noluit intelligere. Vt bene ageret. Et qui ea, quæ Dei ſunt neſciunt. diſt.27. & 38. Si PONTIFEX quis vult non tam vocabulo eſſe, quā merito imitetur Moiſem, imitetur Aaron. Quid dicitur de eis? Quod non diſcedebant de tabernaculo Domini. Quod autem opus eius erat? vt a Deo aliquid diſceret aut ipſe populū doceret. Hæc duo ſunt Pontificis opera, vt aut a Deo diſcat legēdo ſcripturas diuinas, & ſæpius meditando, aut populū doceat. Sed illa doceat, quæ a Deo didicerit, non ex proprio corde, aut humano ſenſu, ſed quę Spiritus ſanctus docet. Eſt, & aliud opus, quod facit. Moyſes ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos; ſed quid facit? Orat, & donec ille orat vincit populus eius; ſi relaxauerit, & demiſerit manus, populus eius vincitur, & fugatur. Oret ergo Sacerdos indeſinenter, vt vincat populus, (qui ſub ipſo eſt) dæmones impugnātes eos, qui pie viuere volunt in Chriſto. Ex Hiero & Orige. diſt.36. Item omnes pſallentes promittimus Deo, in iuſtificationibus tuis meditabor; ſed præcipue qui Hierarchicam conſecuti ſunt dignitatem. Vnde definimus omnem, qui ad Epiſcopatus prouehendus eſt gradum, modis omnibus Pſalterium debere noſſe, vt ex hoc omnis clerus, qui ſub ipſo fuerit moneatur. Inquiratur ante diligenter a Metropolitano, ſi in promptu habent legere ſcrutabiliter, & non tranſitorie, tam ſacros Canones, & ſanctum Euangelium, quam diuini Apoſtoli librum, & omnem diuinā ſcripturam, atque ſecundum mandata Dei conuerſari, & docere populū ſibi commiſſum. Nam ignoratio ſcripturarum, ignoratio Chriſti eſt. Itē ſenſus ſcripturarum verus non eſt, quem quiſque præſumit, ſed qui traditur ab Eccleſiæ doctoribus, d.37.

Prelati opera. Lectio. Meditatio.

Prędicatio.

Oratio

Et locutio diuinarum ſcripturarum ſecundum cuiuſque linguæ proprietatem accipienda eſt; habet enim omnis lingua ſua quædam propria genera locutionum, quæ cum in aliam linguam transferuntur, videntur abſurda. d. 36. ex Aug.

Sciētia. SACERDOTES debent eſſe periti in ſacris, & ſæcularibus literis. Nam ignorantia cunctorū errorum mater eſt, & vix in laicis tolerabilis, quanto magis in his, qui præſunt, nec excuſatione, nec venia digna? Debent frequenter legere diuinas *Lectio.* ſcripturas, vt Paulus admonet; Attende lectioni, exhortationi, doctrinæ, & ſemper permane in his. Sciant ergo Scripturas Sāctas, & Canones, vt omne opus eorum in prædicatio*Prędicatio.*ne, & doctrina conſiſtat, & cunctos ędificent ſcientia, & opere. d. 38. ex Concilio Toletano. Item ne quid faciant, quod poſſit regulis Patrum repugnare, nulli ſacerdotum liceat Canones ignorare. Ibidem ex Celeſti. Papa. Item neceſſaria ſacerdotibus ad diſcendum, ſunt; liber Sacramentorū, Lectionarius, Antiphonarius, Baptiſterium, Computus, Canon pęnitentialis, Pſalterium, Homiliæ per circulum anni dominicis diebus, & ſingulis feſtiuitatibus aptæ. Ex quibus omnibus ſi vnum defuerit, ſacerdotis nomen vix in eo conſtabit: quia valde periculoſæ ſunt Euangelicæ minę, quibus dicitur ſi cęcus, cęco ducatū præſtet ambo in foueam cadunt. d. 38. ex Aug.

CLERICI omnes, qui ad operandum validi ſunt, & artificiola, & literas diſcant. d. 93. ex Conci. Carthagi. Et Eugenius II. præcepit, vt in omnibus Epiſcopatibus Magiſtri, & doctores conſtituantur, qui ſtudia literarum, & liberaliū artium dogmata doceant aſſidue. Item eſt vtile ſæculares literas legere ad errores gentilium deteſtandos, & quæ vtilia inueniuntur ad vſum ſacrę eruditionis conuertendum, non autem licet ad delectationem de figmentis Poetarum, neque ad verborum ornatū, d. 37. Item rationem recte loquendi, & inter vera, & falſa iudicandi hoc eſt Grammaticam, & Dialecticam non improbamus, Geometria etiam Arithmetica, & Muſica habēt ſuam veritatē, ſed non eſt illa ſcientia pietatis; ſciētia pietatis eſt noſſe legem, intelligere Prophetas, Euangelio credere Apoſtolos non ignorare. d. 37. ex Hiero.

VISITENT Epiſcopi diœceſim quolibet anno, & diſcutiant qualiter baptiſmum teneant, & Miſſarum ordinem clerici, & qualiter officia in Eccleſia peragant, & ſi recte inuenerint Deo gratias agant. Poſtquam ſuos clericos diſcuſſerint, alia die conuocata plebe doceant, vt errores fugiant idolorum, & homicidium, adulterium, periurium, falſum teſtimonium, & reliqua peccata mortifera. Et quod nolunt ſibi fieri, alteri ne faciant. Et credant reſurrectionē, & diem iudicij, in quo vnuſquiſque recipiet ſecundum opera ſua, 10. q. 3. Item Metropolitani Concilium Prouinciale ſingulis annis faciant, & Epiſcopi ſynodale ad motum reformationem, iuxta Sanctorum Patrum conſtitutiones ex Innocen. III. titulo de accuſa. & Cano. Apoſtolo. 36. Item presbiter quilibet regens plebem clericum habeat, qui ſecum cantet, & epiſtolam, & lectionem legat; Qui poſſit ſcholas tenere, & admonere ſuos Parochianos, vt filios ſuos mittant ad Eccleſiam ad fidem diſcendam: quos ipſe cum omni caſtitate erudiat. titulo de vit. & hone. cle. ex Conci. Maticen. Item Clerico licet victum, & veſtitum ſibi artificiolo, vel agricultura quęrere, ſi Eccleſia ei ſufficere non poſſit, exemplo Apoſtoli, qui de labore ma-

Viſitatio. *Cōcilia.*

X nuum

Obediētia Papæ.

nuum viuebat, ita tamen, vt occaſione operis vigilijs Eccleſiæ non deſit. d.91. Item inferiores ordines ſuperioribus debent obedientiam; Summo Pontifici debetur ab omnibus; Et chriſtiani non debent eſſe amici, nec loqui cum quibus Papa non loquitur; quia non eſt in Eccleſia, qui Cathedram Petri, non ſequitur, diſt. 93. Item Diaconus, obediat Presbitero; Subdiaconus Diacono; Subdiacono Oſtiarius; Oſtiario Abbas; Abbati Monachus repræſentent obſequium. Ibidem. Item clericus non peregrinetur, ſine licentia Epiſcopi, de conſec. d.5. Item, ſine literis commendatitijs proprij Epiſcopi, neque Presbiter, neq; Clericus extra ſuam ciuitatem miniſtrare poteſt. Neque ſuſcipi debet aliunde veniens, d. 71. Quas literas dimiſſorias Epiſcopus facere non debet, niſi Clerico eodem petente. Ne quis, quaſi perdita, aut errans inueniatur. d.72. Item transmarini homines ad clericatus honorem, & gradum, non ſunt ſuſcipiendi, niſi deſignati literis quinque Epiſcoporum, & commendati; quia multa per ſurreptionem ſolent euenire, d.98. & tit. de cle. peregri.

VITA, ET CONVERSATIO Clericorum in genere.

CLERICIS lege patrum cauetur, vt a vulgari vita ſecluſi, a mundi voluptatibus ſe ſe abſtineant. Non ſpectaculis, nō pompis interſint. Conuiuia publica fugiant, priuata non tantum pudica, ſed ſobria colant. Vſuris nequaquam incumbant. Amorem pecuniæ quaſi matrem cunctorum criminum fugiant, & ſecularia officia, negotiaq; abijciant. Honoris gradus per ambitionem non ſubeant; pro beneficijs medicinę Dei, munera non accipiāt. Doles, & coniurationes caueant, odium, ęmulationē, obtrectationē, atque inuidiam, nō vagis oculis, non effreni lingua, aut petulanti geſtu incedant; ſed pudorem, & verecūdiam mentis ſimplici habitu, inceſſuque oſtendant. Obſcenitatem etiam verborum ſicut, & operum penitus execrentur. Viduarum, & virginum frequentationem fugiāt. Caſtimoniam inuiolati corporis perpetuo conſeruare ſtudeant. Senioribus debitam obedientiam præbeant. Neque vllo iactantiæ ſtudio ſemetipſos attollāt. Poſtremo doctrinæ, lectionibus, pſalmis, hymnis, canticis iugiter incumbant. Tales enim eſſe debēt, qui diuino cultui ſe māciparunt, vt dum ſcientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis adminiſtrent. d.23. Ex Iſidoro. Item qualis ædificatio erit diſcipuli, ſi ſe intelligat magiſtro eſſe maiorem. Ideo non ſolum Epiſcopi, Presbiteri, & Diaconi debent magnopere prouidere, vt cunctum populum, cui præſident conuerſatione, ſermone, & ſcientia præcedant, verum etiam, & inferior gradus, Exorciſtæ, Lectores, Acolythi, & omnes omnino, qui domui Dei deſeruiunt: Quia vehemēter Eccleſiam Dei deſtituit meliores laicos eſſe, quam clericos, 8. q. 1. ex Hiero. Item nihil in hac vita facilius, lætius, & hominibus acceptabilius, Epiſcopi presbiteri, aut diaconi officio, ſi adulatorie res agatur, & perfunctorie; ſed nihil apud Deum miſerius, triſtius, & damnabilius. Et nihil in hac vita difficilius, laborioſius, periculoſius, Epiſcopi, Presbiteri, aut Diaconi officio; ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator iubet. Quis autem iſte ſit modus, nec a pueritia, nec ab adoleſcentia didici, & eo tempore quo diſcere cęperam, vis mihi facta eſt merito peccatorum

torũ meorum, vt ſecundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remorum tenere non noueram. diſt. 40. ex Aug. Item multi ſacerdotes, & pauci ſacerdotes; multi nomine, pauci opere. Videte quomodo ſedetis ſuper cathedram, quia non cathedra facit ſacerdotem, ſed ſacerdos cathedram; non locus ſanctificat hominẽ, ſed homo locum. Ideo malus ſacerdos, de ſacerdotio ſuo crimen acquirit. In iudicio ſedens ſi bene vixeris, & bene docueris omnium iudex es; ſi autem bene docueris, & male vixeris tui condemnator eris. Nam bene viuendo, & bene docendo populum inſtruis quomodo debeat viuere, bene autem docendo, & male viuendo Deum inſtruis quomodo te debeat condemnare. d. 40. ex Chryſoſto. Item non eſt facile ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri cũ Chriſto regnantiũ. Nam non ſanctorum filij, qui tenent loca ſanctorum, ſed qui exercent opera eorum, eadem d. ex Hiero. Sancta Romana eccleſia caput omnium eccleſiarum poſt Ieſum Chriſtum effecta, ſecundũ Antiſtitis ſui qualitatem afficit totius chriſtianitatis membra; ita, vt eius languoribus ſuo languore reſpondeat, ſecundum illud propheticum omne caput languidum, & omne cor męrens; a planta pedis, vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas. Et re vera tanta reuerentia apicem Apoſtolicæ ſedis omnes ſuſcipiunt; vt ſanctorum canonum diſciplinam, & antiquam Chriſtianæ religionis inſtitutionem magis ab ore eius, quam a ſacris paginis, & paternis traditionibus expetant. Illius velle, illius nolle tantum explorant, vt ad eius arbitrium ſuam conuerſationem ipſi remittant, aut intendant. Quod ſi (vt expedit ſibi, & omnibus ſummopere) zelo domus Dei tabeſcens, ſine intermiſſione fidelis diſpenſator, & prudens exiſtens Deo, & hominibus opem, & ſermone irreprehẽſibilem ſe conſeruare ſtuduerit, vniuerſum pene mundum ſecum attonitum, & ſollicitum poſt Deum currere faciet; ſi vero ſuæ ſalutis negligens deprehendatur, inutilis, & remiſſus in operibus ſuis, & inſuper a bono taciturnus (quod peius eſt) innumerabiles populos cateruatim ſecum ducit in gehennam, cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturus. Cuius culpas nullus mortalium præſumit redarguere, quia a nemine eſt iudicandus, niſi forte deprehendatur a fide deuius. Immò ipſe eſt cunctos iudicaturus. Pro cuius ſtatu vniuerſitas fidelium inſtantius orat; de quo aptari poteſt illud Iob, ſi deſtruxerit, nemo eſt qui ædificet, ſi incluſerit hominẽ, nemo eſt qui aperiat; ſi concluſerit aquas omnia ſiccabuntur; et ſi emiſerit eas, ſubuertent terram. Et cum omnium fidelium in Chriſto ſit ſpiritualis mater, nemo debet renuere illius feriri diſciplina, vel cenſura emendari; iuxta illud; Ne dimittas legem matris tuæ. Et maledictio matris eradicat fundamenta de quibus dicitur: ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, a qua recedentes ędificant ſuper arenam concupiſcentiæ, ſeu humanæ preſumptionis. d. 40. ex Bonifacio Marti.

Virtutes præcipuè Clericorum ex Apoſtolica regula explicata in decreto.

Oportet episcopum, ſiue Presbiterum, ſine crimine eſſe. Item oportet irreprehenſibilem eſſe. Quomodo enim poteſt preces Eccleſiæ auferre malum de medio eius, qui in delicto ſimili corruerit? aut qua libertate poteſt

errantem corripere, cum tacitus ſibi ipſe reſpondeat eadē admiſiſſe, quæ corripit ? d.25. ex Hiero. Vnde Cano. Apoſtolo.60. ſancitur, vt conuictus de peccato in clerum non perducatur, & 1.q.1.cap.Dominus, dicitur, vt quis ſit verus ſacerdos oportet, vt non ſolo ſacramento, ſed iuſtitia quoque induatur; ſicut ſcriptū eſt, ſacerdotes tui induantur iuſtitiā.

VNIVS VXORIS VIRVM; continentem. Quod ſecundum Eccleſiam latinam intelligitur, vt poſſit ordinari, qui vnam duxit virginē, ſed promittendo in futurum caſtitatem. Orientalis vero Eccleſia votum caſtitatis in miniſtris altaris non ſuſcepit, ſed ſolum, vt tempore oblationis continentes ſint, vt poſſint a Deo conſequi, quæ poſtulant. At in Romana, & Occidentali Eccleſia a tempore D. Gregorij perpetua continentia inſtituta eſt, pro omnibus altaris miniſtris. Immo nunquam licuit vti vxoribus, quas ante ſacrum ordinem duxerant. Quia Apoſtolus docet abſtinere coniugatos, a cōiugio, vt vacent orationi; ergo miniſtri altaris, cū ſemper orare debeant, & ſacrificia offerre, ſemper debent abſtinere. Et propter excellentiam ſacerdotij, & miniſtrorum altaris, quæ perfectam puritatem poſtulat. Hinc patet Sanctorum Patrum ſententia non debere in Epiſcopum eligi, qui longam corporis ſui continētiam non habet, d.31. ex Stepha. Leone, & Conci. Carthagin. Ad caſtitatem facilius ſeruandam in Concilio Niceno, prohibita eſt cohabitatio fœminarum (præſertim altaris miniſtris) niſi ſit mater, aut ſoror, aut amita, aut matertera, aut filia fratris, aut illę cum quibus habitabat tempore ordinationis, quia cohabitantibus, hoſtis ſtimuli non deſunt. Immo ſuſpecta, & immoderata fœminarum familiaritas eſt etiam prohi-

Idē tit. de coha. bi.cle.& mulie.

bita illis. Et ne ſolus presbiter cum ſola fabulas miſceat. Quod ſi ſuſpectus de fornicatione poſt tres admonitiones inueniatur cum ea fabulari, excommunicetur. d.81. & titulo de vi.& hone.cle. etiam ſi ſit ſubdiaconus. Vbi ex Concilio Maguntino prohibetur etiam cohabitatio fęminarum, quas concedunt Canones, de quibus poteſt eſſe ſuſpicio, ſed in alia, inquit, domo longe miniſtrent, quia ſcelus reperitur, & propter pediſſæquas. Huc etiam pertinet Canon Conci. Agathen. Ne miniſtri altaris, aut clerici interſint ſpectaculis nuptiarum, nec cętibus vbi amatoria cantantur, & turpia, aut obſceni motus ſaltationibus efferuntur. Ne auditus, aut obtutus miniſtrorum Dei turpium ſpectaculorum, & verborum contagione polluantur. Sed antequam Thimelici ingrediantur ſurgere eos oportet de conuiuio, & abire, d.34. Et de conſe.d.5.

SOBRIVM. Nam Principes Eccleſiæ, qui delicijs affluunt, & inter epulas, atque laſciuias, pudicitiam ſeruare ſe credunt, eijciendi ſunt in tenebras exteriores; quia confuſio, & ignominia eſt Ieſum Crucifixum magiſtrum pauperem, atque eſurientem fortis prædicare corporibus; ieiuniorumque doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre, d.35. Huc ſpectat illud Grego. Conuiuia propter charitatem rectè fiūt; cum nō plus ſeruitur corpori; quam neceſſe ſit, ſed eius ſola infirmitas reficitur, vt ad vſum exercendæ virtutis habeatur, & lectio ſacra auditur, nō inanes fabulę, & nulla abſentium vita mordetur, nullus ex irriſione reprehenditur, d.44. Et ex Conci. Toleta. & Naneten. Quando conueniunt ad conuiuium Presbiteri, aut Clerici, non ſit ante horam diei tertiam. Et ante menſam cibos benedicant, & ſedeant per ordinem alter,

alteri

alteri honorem præbentes. Et clericus legat aliquid de Sancta Scriptura, & poſtea hymnum dicant exemplo Domini, gratias referẽtes, vt non vituperetur miniſterium illorum. Item panem cum charitate in domo fratris, ſimul cum fratribus frangãt, & bibere faciant, & vltra tertiam vicem poculum non contingant. Ibidem. Huc pertinet etiã Canon Concil. Carthagi. Epiſcopus vilem ſuppellectilem, & menſam, ac victum pauperem habeat, & dignitatis ſuæ auctoritatem fide, & vitæ meritis quærat, d.41.

PRVDENTEM. Non ſolum peritus literis debet eſſe Epiſcopus, ſed etiam in diſpoſitione negotiorum ſęcularium; & non ſolum de ſalute animarum, verum de extrinſeca ſubditorum vtilitate, & cautela ſciat eſſe ſollicitus, d.39. ex Gregorio. Item huc reducuntur ſequentes Canones. Non facile eſt credendum, ſi quid auditur de clerico, quod poſſit offendere. Item ſacerdotem diſcretũ eſſe oportet, ne, aut tacenda proferat, aut proferenda taceat, d.43. Item etiam recta nimie, & ordinate non ſunt proferenda, vnitatem audientium perturbando, immo fidei vnitas conſeruanda. Ita tamen quod ſacra porcis non mittantur; hoc eſt, qui virtutum bona obtinent, quod deeſt fidei, & ſcientiæ conferatur; ijs vero, qui palam in peccatis inuoluti permanent, non oportet de ſecretioribus, & remotis diuinæ ſcientiæ proloqui, ſed magis proteſtari, vt peccare deſinant. Quod ſi prouocauerint, eludendi ſunt prudentèr. Nam nihil reſpondere non videtur vtile, ne exiſtiment propter penuriam reſpõſionis declinare certamen, & fides eorum lędatur. Ibidem. Item docens, quæ non valent intelligi, videtur loqui ad oſtentationem, non ad vtilitatẽ. Ibidem. Item Epiſcopus aſpere obiurgandus eſt, qui conſilia ſapientum, & recta ſuadentium nulla ratione ſuſcipit, vt diſcat, quæ non poteſt per ſe attendere, d 84.

ORNATVM. non ſolum bonis moribus debet eſſe ornatus Sacerdos, ſed etiam in exterioribus, habitu, & inceſſu, vt nec fulgidis, nec ſordidis veſtibus ſe ornet. Nam nec affectatę ſordes, nec exquiſitę delitię laudem pariunt d.41. Item eſt Canon Zacha. Leonis IIII. Innocen. II. Ne Epiſcopi, Presbiteri, & Diaconi ambulent ſine operimento in ciuitate, via, aut plateis, neque ſęcularibus indumentis vtantur, aut indecentibus, etiam in itinere ſine ornatu ſacerdotali, ne offendant aſpectum intuentium, quorum forma, & exemplum eſſe debent. Et quia ſicut mulier orãs in Eccleſia non velato capite deturpat caput ſuum, ita ſine operimento deturpatur ſacerdotium. 21.q.4. Itẽ ex Aniceto, Gregorio, & Conc. Agathen. Clericis non liceat habere, neque vti veſtimentis, aut calceamentis, niſi ijs, quæ religionem deceant. Nec in eis decorem quærant. Item omnis iactantia, & ornatura corporalis a ſacrato ordine aliena eſt. Eos ergo Epiſcopos, & Clericos, qui ſe claris, & fulgidis veſtibus ornant emendari oportet; quod ſi in hoc permanſerint Epitimo tradantur; ſimiliter eos, qui vnguentis inunguntur. Item corrigantur per Epitimum, ſi inueniantur deridere eos, qui vilibus, & religioſis veſtibus amicti ſũt, vt hæretici aſſerentes Eccleſias non eſſe ornandas, ſed homines, de quibus dicitur, abominatio eſt peccatorum Dei cultus. Priſcis temporibus omnis ſacratus vir cum mediocri, & vili veſte cõuerſabatur, Omne enim quod non propter neceſſitatem, ſed propter venuſtatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodum magnus ait Baſil. Neque ex Sericis

ricis texturis veſtem quis induebat, neque apponebat variorum colorū indumēta in ſummitate veſtimentorum. Audierunt enim ex Deiſona lingua, qui mollibus veſtiuntur in domibus regum ſunt. 21. q. 4. Vnde Cōci. Gangren. Parſimoniam cum veſte humili nō reprobamus, ſicut etiā ornatum propter corporis tantum curam minime ſuper vacaneam. Itē eſt Canon Martini Papæ, vt ſecundū Aaron talarem veſtem induant, vt ſint, in habitu ornato. d. 23. Item clerici comam non nutriant, quia ſecūdum Apoſtolum vir ſi comam nutriat ignominia eſt ei, ſed attonſo capite & patentibus auribus miniſtrēt. Et Alex. 3. tit. de vi. & hone. cle. Clerici nec comam nutriant, nec barbā. Sed deſuper caput in modum ſpheræ radant ex Conci. Carthag. Item Sacerdos in inceſſu, ornatus eſſe debet, vt grauitate itineris mentis maturitatem oſtendat, nam incompoſitio corporis inæqualitatem mentis indicat. ex Auguſt. d. 41.

Hospitalem. Ne ſit de numero eorum, quibus dicitur, hoſpes eram, & non ſuſcepiſtis me. Quomodo poteſt exhortator hoſpitalitatis eſſe, qui domum propriam hoſpitibus claudit? Et quia pietas ad omnia vtilis eſt. Et qui in ea non ſe exercuerunt a Sacerdotio prohibendi ſunt. Hinc Canon. d. 85. Hoſpitalitatem neſciens non fiat Epiſcopus. Item miſericordia plenitudo virtutum eſt. Et qui clementiam non habet, nec indutus eſt viſcera miſericordiæ, & lacrymarum quamuis ſpiritualis ſit non adimplet legem Chriſti. d. 86. Item Ioannes Euangeliſta excommunicat Diotrephem, qui pauperes non recipiebat, & ex Eccleſia eijciebat. Omnes indifferenter debent recipi non examinando, immo ſi nutrimentum poſtulant indiſtincte danda eſt eleemoſyna. Item non ſufficit ſola lectio, & oratio, ſed largam habeat manum in neceſſitatem patientibus. & alienam inopiam ſuam credat. Tamen cum modo, vt non omnia vni, ſed ſingulis quædam, vt pluribus prodeſſe poſſimus; iuxta illud diſperſit dedit pauperibus, primo iuſtis, deinde peccatoribus ex Gregorio. At immane peccatum eſt dare hiſtrionibus, meretricibus, luctatoribus cum beſtijs. d. 87. Item, Tuis dare potes, nam melius eſt, vt ipſe ſubuenias tuis, quibus pudori eſt ſumptum ab alijs depoſcere; non tamen vt ditiores fiant. Neque enim propterea te Domino dicaſti, vt tuos diuites facias, ſed vt vitam ſibi perpetuā fructu boni operis acquiras, & pretio miſerationis peccata redimātur. Putant ſe parum poſcere, pretium tuum quærunt, vitæ tuæ fructum adimere contendunt, & accuſant, quod diuites eos non feceris, cum te illi velint æternæ vitæ fraudare mercede ex Ambro. d. 86. Item in largiendo conſideranda eſt ætas, debilitas, verecundia; liberalitas pulchra eſt, menſuram tenere, vt abundes pluribus. Decorum eſt ſuperfluas ędificationes non aggredi, nec prætermittere neceſſarias; debent ornari templa Dei, & peregrinis largienda ſunt non ſuperflua, ſed competentia. Ibidem. Item hoſpitium non longe ab Eccleſia habeat Epiſcopus d. 41. Nō tamen in Eccleſijs eſt manducandū immo prohibendus eſt populus ab ijs conuiuijs.

Benignvm. Qui peccatorem a peccatis conuerſum non recipit deponatur, ait Canon Apoſtolo. 51. Itē ſollicitus eſſe debet Epiſcopus circa defenſionem pauperum, releuationem oppreſſorum, tuitionem monaſteriorum; ſi neglexerit aſpere corripiendus eſt. d. 84. Item debet Epiſcopus viduis, & orphanis patrocinari, contra violentias improborū. d. 87,

Do-

Doctorem amplectentem fidelem ſermonem,& potẽtem arguere contradicentes. Gratiam docendi debet habere ſacerdos; quia innocẽs, & abſque ſermone conuerſatio quadam exemplo prodeſt, tantum ſilentio nocet; latratu canum, & baculo paſtorum lupi ſunt arcendi, ait Hiero. Item iniquitatem peccantium nõ aperire,ſed formidare contraire poteſtatibus mundi, eſt mercenariorũ more fugere ſilentio. Clama,ne ceſſes dicitur illis. Nam præconis officium ſuſcipit,quiſquis ad ſacerdotiũ accedit. Primis paſtoribus Spiritus ſanctus,ſub linguæ ſpecie inſedit; Et ſummus Sacerdos antiquæ legis tintinnabulis vtebatur in veſtimentis; veſtimenta ſunt recta opera, tintinnabula vero prædicatio, ita vt clament vita,& lingua ſacerdotis. diſt. 43. Item ſi quod poteſt corrigere,negligit emendare, conſentit peccatis, & fouet malos. Primus gradus innocentiæ eſt odiſſe nefanda. Error cui non reſiſtitur approbatur, quo Prælato nihil eſt miſerius. d 83. Item ſi excedit in corripiẽdo Domino petat veniam,non a ſubditis. Item miſerrimus eſt Epiſcopus, qui luporum, & malorum laudibus gloriatur, & illis placere vult; Nam lupis,& gregibus ouium placere non poteſt. d. 83. & 86. Eſt etiam illud Cipriani Cornelio,accommodatum huic propoſito. Conſcientiæ noſtræ conuenit dare operam, ne quis culpa noſtra de Eccleſia pereat; ſi quis autem vltro, & crimine ſuo perierit, & pœnitentiã agere noluerit, Nos in die iudicij inculpatos futuros credimus, qui conſuluimus ſanitati; illi ſoli in pœnis remanebunt, qui noluerunt conſilio noſtro ſanari. d.47.

Ivstvm. Iniuſtum,& peſſimũ eſt,de ſuſpicione,aut extorta Confeſſione quemquam iudicare. Et in Cõcilio Carthaginenſi decretum eſt,ne Epiſcopus audiat cauſam alicuius ſine præſentia ſuorum Clericorum, & diligenter veritas perſcrutanda eſt; & ſi qualitas popoſcerit,culpa puniẽda eſt delinquentis. Item ſpontanea Confeſſio, & Canonicus numerus, & qualitas teſtium, decernentibus Epiſcopis, & accuſatore,quod obiecerat comprobante, Clericum proprio gradu priuat. Item in Conc. Hiſpalen. cui interfuit Iſidorus dicitur; Multi ſunt, qui indiſcuſſos poteſtate tyrannica, non auctoritate Canonica damnant. Epiſcopus Sacerdotibus, & Miniſtris ſolus honorem dare poteſt, ſolus auferre non poteſt. Item ſi accuſatus fuerit Sacerdos canonice teſtibus iudicetur; ſi non poteſt probari, iuramento purgari poteſt, & debet (ſi ſuſpicio ſus maneat) cum tribus, vel ſeptẽ Sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ de Innocentiæ puritate. Item quatuor modis peruertitur humanum iudicium, timore, cupiditate, odio, & amore. 2. q. 5. & 15. q. 6 & 7. & 11. q. 3. Item eſt decretum Innocent. III. Iudices Eccleſiaſtici gratis exerceant iudicia, & non exigant decimam, vel quotam litis, quia abſtinendum eſt, ab omni ſpecie mala. Et quia ad hoc ſunt Eccleſiaſtici reditus deputati, vt honeſte viuere poſſint. Et quia nõ licet vendere iudicium iuſtum, immo venales ſententiæ etiam a ſæcularibus legibus reprobantur. tit. de vi. & hone. Cle.

Sanctvm. Non loca,ſed vita, & mores ſanctum faciunt Sacerdotem. Et ex ſuſcepto officio non licentiam peccandi, ſed neceſſitatem bene viuendi ſunt aſſecuti. d.40.

Domvi ſuæ bene præpoſitum. Vt ſi filios habeat ex vxore, quando erat laicus enutriat illos in omni diſciplina, & correptione Domini, in caſtitate, non in accuſatione luxuriæ, vt Heli,& Dauid. Et quod præcepu-

ceptnrus eſt populis prius exigat a domeſticis. Quod ſi talis non ſit iure in Epiſcopum ordinari prohibetur, quia qui in re minima fidelis nõ eſt, de qua familiarior cura eſſe debet, in Eccleſia Dei, vbi tot ſunt, & alieni ſollicitam diligentiam non adhibebit. Item vt non timeat propter vitia liberorum extraneos reprehendere, ex Hiero. Quod fiet ſi non ſit, quod ſibi imputetur; nam corripere poteſt, ſed corrigere non valet. d. 47. Item bene præpoſitus, vt vni licet bene exercitato duo ſimul officia non committat. Quia Eccleſia eſt vnum corpus ex multis membris, quæ non eundem actum habent, & varietas membrorum, & officiorum reddunt eã pulchram. Ergo ſingula ſingulis miniſteria iniũgat, ſicut ſunt Angeli, & Archangeli diuerſę poteſtates. Itẽ maiorẽ domum, vel vicedominum habeat Epiſcopus, qui idoneus, & paratus ſit hoſpitibus venientibus, & cauſis. Item Echonomum habeat qui res Eccleſiæ gubernet ex arbitrio Epiſcopi. Item ſæcularibus res Eccleſiæ non committantur. Sed Clericis vt, ſi quid prauitatis ſit in ſubditis poſſit emendari. Et officiũ magis adminiſtrent quam accuſent. Item res Eccleſiaſticæ, & lucra non ſunt committenda propinquis, vel fauore coniunctis; quod ſi fecerint excommunicentur, ex Conc. Tole. diſt. 89.

VITIA FVGIENDA a Clericis ſecundum Apoſtolicam Regulam.

NON SVPERBVM. Ne ſit de illis quos reprehendit dominus per Ezechielem, cum auſteritate imperabatis, non tranquille ratiocinando, ſed aſpere dominando diſt. 46. Vnde in Conc. Bracharen. ſtatutum eſt ne Parochiales Clerici ſeruili more in aliquibus operibus Epiſcopo ſeruire cogantur. Quia ſcriptum eſt; Neque vt dominantes in Cleris. 10. q. 3. Item admonendi ſunt ſubditi, inquit Grego. Ne pluſquam expedit ſint ſubiecti, ne cum ſtudent pluſquam neceſſe eſt hominibus ſubijci, compellantur vitia eorum immitari. 2. q. 7.

NON IRACVNDVM. Quia furor, & indignatio ex qua prodit occiſio damnatur, in Dei miniſtris. Ideo prohibetur Clericis arma portare titulo de vi. & hone. Cle.

NON Percuſſorem. Nam Dominus cum percuteretur non percutiebat, ſed dorſum poſuit ad flagella. Obſecra, increpa ait Apoſtolus, ſed in omni patientia, & doctrina; Non ſunt inhonorandi ſubditi, ſed beneuolentia corripiendi: Non quod flagellare non liceat, cum Chriſtus flagellum fecerit de funiculis. Quia parcere vni eſt, omnes in periculum adducere. Polluitur, enim ex vno peccatore populus, ſicut ex vna oue morbida inficitur grex. Peccantem coram omnibus argue, inquit Apoſtolus; ſed non debet ſemper paratus eſſe ad verbera, quia tales non vitia corrigere, ſed timeri appetunt, quaſi dominantes in Cleris, non facti forma gregis. Vnde temperamentum ex iuſtitia, & miſericordia, faciendum eſt; vt neque nimia ſeueritate exulcerentur ſubditi, neque nimia benignitate ſoluantur. diſt. 45. Item percuſſor vocatur doctor, qui ſermone inutili conſcientiam percutit, & vulnerat infirmorum. d. 45. Item Sacerdos, vt ſapiens medicus primum ſciat curare peccata ſua, & poſtea aliena vulnera ſanare, non publicare diſcat ex Grego. 3. q. 7. Item eſt Canon in Concilio Romano. Ne Epiſcopus, Presbiter, aut Diaconus peccan-

cantem Clericum cedant, aut ad cædem perducant, ſed ſi cauſa exigit triduo priuetur honore, vt pænitens redeat ad Eccleſiam. Vnde non licet Epiſcopũ manibus proprijs aliquem cedere. d. 86. Si occidat, niſi pro defenſione vitæ, impeditur ab ordine. At confugientes ad Eccleſiam tradẽdi non ſunt; ſed defendendi, d. 87. Itẽ huc reduci poteſt, non licere Presbitero, nec Diacono canes habere ad venãdum, Accipitres, aut Falcones, neque ſeruis Dei. Vnde Epiſcopo interdicitur omnium beſtiarum, & volucrum venatio, quia ſunt iuuenilia deſideria, vt ait Apoſtolus. d. 34.

Azor. 1. p. lib. 7. c. 14.

NON vinolentum hoc eſt, non frequenter vino repletum. Quia vbi ebrietas, ibi libido dominatur, & furor. Nolite inebriari vino, vbi eſt luxuria, inquit Apoſtolus. Et Dominus cauete ne grauentur corda veſtra crapula, & ebrietate. Cano. Apoſtolo. 41. Item quia ebrietas; & voracitas connumerantur inter opera tenebrarum. Vbi dicitur; nõ in comeſſationibus, & ebrietatibus. Igitur Sacerdos de Altari viuere, non luxuriari quærat. Immo & laicis etiam iſta nocent. d. 44. Hinc eſt Canon Conc. Agathen. Clericum quem conſtiterit ebrium fuiſſe per dies triginta a communione remouendum. Et in Concil. Naneten. Nullus Presbiter cum venerit ad tertium, ſeptimum, aut vigeſimum diem, Anniuerſariũ defuncti, præſumat bibere, aut ad bibendum cogere, vel ſe ingurgitare, nec plauſus, & riſus, fabulaſque inanes referre, aut turpia ioca. Item neque tabernas intrare licet Clericis, niſi in peregrinatione. Neque tabernis miniſtrare, nam ſi intrare non licet minus miniſtrare licebit. diſt. 44. & 35.

NON litigioſum. Epiſcopus non debet eſſe facilis ad litigãdum. Quia diſcordes debet, ad concordiam attrahere. Ad pacem ergo magis, quã ad iudicium coerceat. d. 90. Item litigioſi in ſubiectos tumidi intonant, diſcordias ſeminant, quæ in Prælatis damnabilia ſunt. d. 46. Immo frater contentioſus, aut murmurans alienus ſit à fratrum vnitate, & opus eius abijciatur, de quo Apoſtolus. Neque murmuraueritis, ſicut quidam, qui perierunt. d. 40. Item clericus perducens clericum ad ciuilem iudicẽ, anathema ſit. 11. q. 1. Ab oppreſſis vero ad Romanam Eccleſiam appellari poteſt, ſed intra decem dies, vt ſi ſuſpectus ſit iudex. 2. q. 7.

NON turpis lucri cupidum. Turpe lucrum eſt ſimonia, vt dare præmia pro conſecratione, vel electione ad Sacerdotium. 1. q. 6. & Cano. Apoſtolo. 28. Vnde pro Sacramentis nihil eſt exigendum, neque pro balſamo ab Epiſcopo. Item ſimoniaci Sacerdotes eſſe non poſſunt, quia qui Sancti non ſunt, immo anathema, quomodo poſſunt alios ſanctificare? 1. q. 1. Neque vſurarij ordinandi sũt: Et Clericus inuentus date ad vſuras degradandus eſt. d. 47. Cano. Apoſtolo. 43. Item verbo turpis lucri inhoneſta negotia clericis prohibentur, vt procurationes ſæcularium negotiorum, vel conductiones, niſi cauſa pietatis pro orphanis, aut viduis; vel ſi Epiſcopus curam rerum Eccleſiaſticarum præcipiat. d. 91. Cano. Apoſtolo. 6. Igitur antequam, quis Eccleſiaſticus ſit, negotiari licet, facto iam non licet. Neque in cauſis ſæcularibus occupari. 21. q. 3. Et clericus, qui ab Eccleſia ſua diebus ſolemnibus defuerit, vt Natiuitate Domini, Epipha. Paſchate, Pentecoſte, triennio a Communione ſuſpendatur, quia lucris ſæcularibus potius ſtudet, quam ſeruitio Dei. 7. q. 1. Item, neque Epiſcopus tuitionem Teſtamentorum debet ſuſcipere niſi gubernationem, pupillorum, viduarum, peregrinorũ

& hæc non per ſe, ſed per Archidiaconum, aut Archipresbiterum. Ipſe vero lectioni, orationi, & prædicationi tantummodo vacet, d. 88.

NON CVPIDVM. Domini ſacerdotem ſicut nullo errore implicari, ita nulla oportet cupiditate violari, dicente Scriptura. Poſt concupiſcentia tuas, ne eas, d. 88. ex D. Leone. Et D. Ambro. de fuga ſæculi. Cui portio Deus eſt, nihil curare debet, niſi Deum. Et Hierony. ait duo eſſe genera chriſtianorum. Alij Clerici Deo deuoti electi, reges, ſe, & alios in virtutibus regentes, quod ſignificat corona in capite, in ſignũ, quod in Chriſto expectatur; Ratio vero capitis ſignificat temporalium depoſitionem, victu, & veſtitu contenti, nihil habentes proprium, ſed omnia communia, 12. q. 1. Ad quod facilius præſtandum commiſſa ſunt bona Eccleſiæ Epiſcopis, vt cum timore, & ſollicitudine diſpenſarent illis neceſſaria. Neq; mirũ eſt, quia illis creduntur aïæ, quæ prætioſiores ſunt. Qui ſi res Eccleſię in vſus domeſticos, & cõmoda cõuertant, ſine ſciẽtia presbiterorum, & propinquis tradant, puniantur a Synodo. Cano. Apoſtolo. 41. & 37. & 12. q. i. ex Concilio Antioche. Nam in exordio Eccleſiæ clerici viuebant in cõmuni, & quidam eorum votum faciebant; nihil proprium habentes, ſicut tempore Apoſtolorum chriſtiani, vendentes omnia, & ponentes ad pedes eorum. At conſiderãtes Eccleſiaſtici vtilius fore dare prædia matricibus Eccleſijs, & ex reditibus viuere, quam vendere; ita factum eſt (vt ait Vrbanus Papa) committendo Epiſcopis, vt miniſtrarent omnibus neceſſaria, ſiue in congregatione viuentibus, ſiue in domibus ſuis. Multi viuebant in cõmuni. Vnde Eugenius II. & Leo IV. ſtatuerunt clauſtra conſtitui, iuxta Eccleſias, in quibus clerici eccleſiaſticis diſciplinis vacarent. Vnũ, inquit, ſit Refectorium, dormitorium, & cęteræ officinæ neceſſariæ. Miniſtrique ſuper eos eligantur quorum vita, & doctrina eos potius exornet, quam dehoneſtet, 12. q. 1. de illis autem, qui in congregatione nihil habebant dicitur 1. q. 2. Clerici non habentes bona ex bonis Eccleſię ſuſtentari conuenit, vt ſi omnia reliquerũt Eccleſiæ, vel pauperibus. Non autem qui bona habent deſiderantes de bonis Eccleſiæ viuere, ne cenſum ſuum vel parentum minuant. Quia peccatum grande eſt accipere, vnde pauper erat victurus. ex Hiero. Quod ſi aliquid contulerint, velut pro ipſa expenſa ſua, non ſe præferant inani iactantia ijs, quos paſcit Eccleſia nihil habentes. Nam perfectior eſt, qui ſe mundi rebus ſpoliat, aut qui nihil habere deſiderat, quam ille, qui ex multis, quę poſſidet, Eccleſiæ aliquid præſtat, ac ſe de eo, quod præſtiterit forſitan iactat, 1. q. 2. Ex Proſper. de vita contemplatiua. Item poſt illa tempora in quibus bona Eccleſiæ erant indiuiſa, ſucceſſit diuiſio, vt Gelaſius ſtatuit in quattuor partes, prima Epiſcopo, ſecunda Clericis, tertia fabricę Eccleſiæ, quarta pauperibus, & peregrinis. Vnde licuit res Eccleſiæ per præbendas diuidere, ſiue reditus annuos ſibi quemlibet vendicare, diſpenſandos tamen in vſus Eccleſiæ ſecundum charitatis diſcretionem, primum ſibi, & ſuæ Eccleſię, reliqua fidelibus, & tunc vtimur rebus Eccleſiæ, non vt proprijs, 12. q. 1. & q. 2 Ideo ſtatuitur, q. 5. vt clericus ſine teſtamento decedens, hæreditas eius ad Eccleſiam, vbi deſeruiuit, deuoluatur. Idem titulo de pecu. cle. Item poteſt clericus facere teſtamentum de ijs, quæ habuit ante ordinationem, & dare cui voluerit, nõ tamen alienare res in Epiſcopatu acquiſitas, nec dare propinquis. Ideo

eſt

eſt Canon titulo de pecu. cler. Non habens patrimonium ſi emit aliquid debet ſcripturam facere nomine Eccleſiæ; ſed Conci. Tole. & Agathen, diſtinguat; bona quæ donantur intuitu Eccleſiæ, hoc eſt ratione officij eccleſiaſtici, aut ſimul cum Eccleſia pro redemptione animæ, computanda ſunt inter facultates Eccleſiæ, & nõ ſunt propria clericorum; tamen quæ dantur intuitu perſonæ, vt quæ hæreditauit, vel ex artificio ſuo acquiſiuit, aut ex amicorum largitione poteſt dare cui voluerit, 12.q.3. Præterea Epiſcopo mortuo cuncti Clerici conueniant, & fiat inuentarium omnium, quæ reperiuntur. Et nullus audeat aliquid ſurripere ſub anathemate, ſed fideliſſimis committantur, qui conſeruent omnia, vſque ad tempus Epiſcopi conſtituendi ex Conci. Illerden. 12.q.2.

Non neophitum. Hoc eſt qui heri erat Catechumenus, hodie non fiat Epiſcopus, vel qui ex praua conſuetudine, & vita gentili baptizatus. Cano. Apoſtolo. 79. Ne efferatur in ſuperbiam. Nam momentaneus Sacerdos, inquit, D. Leo. neſcit habere humilitatem, nec ſe contemnere; non ieiunauit, non fleuit, non ſe correxit, non pauperibus erogauit. In arrogantiam, quæ eſt ruina diaboli incidũt, qui, nedũ diſcipuli, fiunt magiſtri. Miſerum eſt eum fieri magiſtrum, qui nedum didicit eſſe diſcipulus, d. 48.

Dion. de ar. vi. ſalu. c. 35. & c. 16. Nauar. cap. 25. Manuali.

Prædicti Canones antiqui, renouati ſunt ab Innocen. Tertio, titu. de vita, & hone. cler. ſequentibus ſtatutis. Vt Clericorum mores, & actus in melius reformentur, continenter, & caſte viuere ſtudeant præſertim in ſacris conſtituti, ab omni libidinis vitio præcauentes, maxime illo propter quod venit ira Dei in filios diffidentiæ, quatenus in conſpectu omnipotentis Dei puro corde, ac mũdo corpore valeant miniſtrare. Et ne facilitas veniæ incentiuum tribuat; ſtatuimus, vt puniantur cum efficacia, qui deprehenſi fuerint vitio incontinentiæ laborare, iuxta Canones, vt quos diuinus timor a malo non reuocat, pæna cohibeat. Vt ſuſpenſus propter hoc, ſi celebret, priuetur Eccleſiaſticis beneficijs, & perpetuo deponatur. Et Prælati tales ſuſtinentes, maxime propter pecuniam, vel commodum temporale eidem vltioni ſubiaceant. Item clerici officia, vel commercia ſęcularia non exerceãt, maxime inhoneſta. Mimis ioculatoribus, & hiſtrionibus non intendãt. Et tabernas prorſus euitent, niſi forte cauſa neceſſitatis in itinere. Item ad Aleas, & Taxillos non ludant, nec huiuſmodi luſibus interſint. Item clerici coronam, & tonſuram habeant congruentem. Et ſe in officijs eccleſiaſticis, & alijs bonis ſtudijs exerceant diligenter. Clauſa deferant deſuper indumenta nimia breuitate, vel longitudine non notãda. Pannis rubeis, aut viridibus, nec non manicis, aut ſotularibus cõſutitijs, frenis, ſellis, calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem gerentibus non vtantur. Cappas manicatas ad diuinum officium intra Eccleſiam non gerãt, ſed nec alibi, qui ſunt in ſacerdotio, & perſonatibus conſtituti, niſi iuſta cauſa timoris exegerit habitũ transformari; fibulas omnino non ferant, neque corrigias, auri, vel argenti ornatum habẽtes, ſed nec annulos, niſi quibus competit ex officio dignitatis. Pontifices autem in publico, & in Eccleſia ſuperindumentis lineis omnes vtãtur, niſi Monachi fuerint quos oportet habitum ferre Monachalem. Pallijs diffibulatis non vtantur in publico. Similiter Clementina 3. ex Conci Vienen. ſtatuit ſub pæna ſuſpenſionis, ne clericus portet publice, virgatam, vel partitam ve-

ſtem, neque infulam. vel pileum lineum, neque vtantur Epithogio, ſeu Tabardo foderato vſque ad oram ita breui, vt veſtis inferior notabiliter videatur. Neque vtantur caligis ſcaccatis rubeis, aut viridibus, titulo de vi. & hone.cle.demũ, idem Innocen.in Concil. generali ſtatuit, vt a crapula omnes clerici diligenter abſtineant, & vinum ſibi temperent, ne quiſquam ad bibẽdum incitetur; quia ebrietas mẽtis inducit exilium, & libidinis prouocat incentiuum. Vnde illum abuſum decernimus penitus abolendum, quo in quibuſdam partibus ad potus ęquales ſuo modo ſe obligant potatores, & illæ iudicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fecundiores exhaurit, de vi. & hone.cle.

De lapſibus Clericorum reparandis.

EX punitionibus criminum dignoſcitur quanta virtus a clericis exigenda ſit. Sed antea dubitatur. An in peccatis lapſi poſt pænitentiam poſſint in ſuis gradibus miniſtrare. Nam Aaron ſumus Sacerdos poſt vitulum conflatum, & Petrus poſt lachrymas Princeps Apoſtolorum, & Paulus poſt lapidationem Stephani Apoſtolus, & Auguſtinus poſt hæreſim Epiſcopus facti ſunt. Ex alia parte multi Canones docent reparari non poſſe. Quia ſi ſit ſpes reparationis non timent praua deſideria perficere. Diſtinctione tamen iſta conciliantur. Nõ poſſunt reparari per pænitẽtiam ſimulatam, quæ non odit crimina, ſed ſimulat, propter timorem perdendi honores, quia tales, neque a Deo conſequũtur veniam, ſi autem ſit vera pænitentia poſſunt recipi, in gradum priſtinum; Vel dicatur Canones illos; quia difficile reparãtur; docere reparari non poſſe, non tamen eſſe impoſſibile. Vel dicendum, quando crimina ſunt manifeſta ab ordinibus deijciendos eſſe, ſi tamen ſint occulta, & per Sacerdotis edictũ purgata in proprijs ordinibus remanere poſſe; maiores tamen conſcendere prohibentur, d. 50. His præiactis.

Primo Canones ſtatuunt, vt Clericus negans nomen Chriſti per metum, ab Eccleſia eijciatur, ſi neget nomen clerici deponatur Cano. Apoſtolo 61.

Secundo ſi feſtum cum Iudæis celebret, aut ieiunium, vel accipiat ab eis azima ſuſpendatur Cano. Apoſtolo 69.

Tertio, homicidium clerici quando non obſidetur, & fugere poteſt ab ordine deijcit, ſi autem propter ineuitabilem neceſſitatem, aliter occideretur, non indiget pænitentia, ſi non ſit tanta neceſſitas, vt in obſidione, vbi fugere non poſſunt, per pænitentiam duorũ annorum ab officio, & communione ſeparati, reddantur officio, & communioni; ſi tamen ita commotus interficiat, licet animum interficiendi nõ habuerit, perpetuo depoſitus erit. Et presbiter duodecim annis, tres in pane, & aqua, Diaconus decem, Clericus, & Laicus ſeptem Sacerdotio priuatus, lacrymarum fonte flagitium, tam immane debet diluere, vt talibus remedijs poſſit ſaluari; ſtatuit Ioannes Papa. d. 50. Item clerici arma portantes, & vſurarij excommunicentur, de vi. & hone.cle.

Quarto, Epiſcopus conſentiens in fornicatione clericorum ſuſpendatur, & canis impudicus potius dicendus eſt, quam Epiſcopus d. 83. Item Epiſcopus, Presbiter, aut Diaconus in fornicatione, furto, periurio, aut homicidio captus deponatur, ſed com-

communione non priuentur, quia duplex vindicta non eſt exigenda, Cano. Apoſtolo 24. Item conuictus in presbiterio filios generaſſe a ſacer dotali remoueatur officio, quia non ſancti ſancta tractare non poſſunt. Apoſtolus habentem filios dixit non generantem. Et conſtituatur ei locus ab Epiſcopo vbi peccata lugeat. Si autem bonum pęnitentiæ negligant, & ſæculariter viuere velint, a cõmunione Eccleſiæ ſeparentur. Itẽ quo pudore ſacrificare poteſt, aut qua conſcientia, carnali concupiſcẽtia, contaminatus? d.81. Item conuictus, vel confeſſus adulterium toto vitæ tempore in monaſterium detrudatur depoſitus. Valet interdum mutatio loci pro ſalute animæ, nam locus vbi quis praue vixit, hoc in conſpectu mentis apponit, quod ſępè ibi vel cogitauit, vel geſſit. d.81. Quod ſi fornicationẽ fecerit cum filia ſpirituali deponatur, & pæniteat duodecim annis poſtea recludendus in Monaſterio perpetuo. Item clericus admonitus non relinquens fornicariam ſuſpendatur a beneficio, & ſi non ſe correxerit deponatur, de vita, & hone. cler. Tamen non eſt euitandus in officijs niſi ſit notorius per ſententiam, vel confeſſionem factã, vel per euidentiam, quæ nulla tergiuerſatione celari poſſit; titulo de cohabi. cleri. & muli. Item clericus frequentans domicilia matronarum, vel mandans aliquid ſecrete deponatur ibidem. Et frequentans Mona ſteria Monialium, ſine rationabili, & manifeſta cauſa admoneatur ab Epiſcopo, ſi non deſtiterit deponatur, ſi Laicus ſit excommunicetur, de vi. & hone. cle. Item clericus cum fœminis cohabitans, contra ſacros Canones admonitus, puniendus eſt priuatione ſacerdotij, quod ſe vidiſſe cum magna animi triſtitia dolet S. Gregor. Nam cauendum eſt illud ſacerdotes cõtaminant Sancta, & reprobant legem; & presbiter ſi fornicationem fecerit deponendus ſtatuitur, Cano. Apoſtolo 24. Quod a Beato Silueſtro, ita moderatum eſt, vt ſi non perdurauerit, & confeſſus ſponte adiecit, vt reſurgat, decem annis agat pænitentiam, tribus menſibus in pane, & aqua præter dies dominicos, & indutus ſacco humi iaceat, miſericordiã implorando. Poſt exeat, ſed non in publicum, & expleat annum, & dimidium in pane, & aqua. Deinde communicet, & Pſalmos vltimus canat & minora gerat officia, ad altare vero non accedat. Et vſque ad ſeptimum annum tres dies hebdomadæ ieiunet in pane, & aqua. Si fratres eius pænitẽtiam laudauerint, Epiſcopus poteſt in priſtinum honorem reuocare. Et in ſextis ferijs ieiunet in pane, & aqua, vſque ad decimum annum. Eadem pænitentia facienda eſt in criminibus ſacerdotis, quæ depoſitionem inducunt, d.82.

Quinto, clericus admonitus non deſiſtens a negotijs ſecularibus perdat priuilegium clericale, & conſuetudinibus patriæ ſubiaceat, ſicut laici in quæſtibus ſuarum negotiationum de vit. & hone. cler. Item ſimoniaci, qui per pecuniam ordinãt, vel ordinantur in ſuo ordine permanere non poſſunt, 1. q. 1.

Sexto, cõtumelia afficiens Epiſcopum deponatur; presbiter vero, aut diaconus, a communione ſeparetur Cano. Apoſtolo 54. & 55. Item clericus maledicus cogatur ad veniam poſtulãdam, ſi noluerit degradetur. Item ſcurrilis, & ioculator verbis turpibus ab officio eſt remouendus, d.47. Itẽ clerici ad ſeculare iudicium fugientes puniantur. Et perducens ad ciuilem iudicem anathema ſit 11. q. 1.

Septimo, clericus crapuloſus, & ebrioſus monitus, non deſiſtens, ab officio,

officio, vel beneficio ſuſpendatur de vi.& hone.cle, Et ibidem prohibetur in eccleſijs facere ludos theatrales, ludibria,& monſtra laruarum in feſtiuitatibus,& inſanias; ne inquinetur eccleſiarum honeſtas.

Octauo, ſub pæna excommunicationis prohibetur eis venatio cum canibus,& accipitribus, & ſiluaticę vagationes cum falconibus, & iſta habere, in Cõci. Aurelian. titulo de cle. vena.

Nono, qui non pro emẽdo aliquid in nundinis, vel in foro de ambulant degradentur. Et negligentius officium agentes remoueantur, diſt.91. hæc de iure canonico ſufficiant, reliqua ſtudioſis relinquuntur vidẽda.

CANONES SANCTORVM Apoſtolorum per D.Clementem Papam in unum congeſti.

Apud Gratianum. CVm iure canonico conſonant, tãquam ab illis initium ſumpſerit, quos ſæpè citant ſummi Pontifices,& concilia ſuis decretis illis inhærendo.

1 Epiſcopus a duobus, vel tribus Epiſcopis ordinetur.

2 Presbiter ab vno epiſcopo. Item & diaconus,& reliqui clerici.

3 Epiſcopus, aut presbiter non offerant ſuper altare animalia, aut terræ fructus, aut aliquid aliud, niſi ſacrificium, quod Dominus noſter inſtituit. Neque ad altare admoueatur, niſi oleum in Candelabro, & incenſum tempore oblationis.

4 Primitiæ mittantur ad domum, Epiſcopo, & Presbiteris quas diuidãt inter diaconos, & reliquos clericos.

5 Epiſcopus, Presbiter, Diaconus vxores prætextu religionis, ne abijciant.

6 Epiſcopus, presbiter, diaconus ſeculares curas non ſuſcipiant.

7 Epiſcopus, presbiter, Diaconus, Sanctum Paſchæ diem, ante vernum equinoctiũ cum Iudæis non celebrent.

8 Epiſcopus, presbiter, Diaconus, & ex ſacerdotali conſortio, qui non communicauerit facta oblatione dicat causã, & ſi bona ſit, veniam mereatur, ſi non dixerit, excommunicetur tanquam auctor offenſionis populi motæ, contra offerentem.

9 Qui eccleſias ingrediuntur, & ſcripturas audiunt,& non permanent ad præces,& Sanctam communionem excommunicentur.

10 Qui cum excommunicato preces facit etiam in domo, excommunicetur.

11 Qui cũ clerico depoſito, vt cum clerico preces coniunxerit deponatur.

12 Excommunicatus profectus, ſine literis commendatitijs in aliam ciuitatem non recipiatur, qui receperit excommunicetur, & eius excommunicatio in longius tempus protrahatur.

13 Epiſcopus parochiam aliam non inuadat,& ſuam derelinquat, ſine rationabili cauſa maioris vtilitatis, quam cõferre poſſit verbo pietatis,& tunc multorum epiſcoporum iudicio,& exhortatione, non a ſe ipſo.

14 Presbiter, aut diaconus relicta ſua parochia in aliã non conſcendat,& moram faciat pręter voluntatem epiſcopi; ſi fecerit publice non miniſtret, maxime ſi vocatus a ſuo epiſcopo contemnat redire.

15 Relinquentes parochias ſuas, epiſcopus non ſuſcipiat vt clericos, ſi ſuſceperit excommunicetur.

16 Qui

16 Qui poſt baptiſmũ duas nuptias expertus eſt, vel concubinam habuit, non poteſt epiſcopus, presbiter, aut diaconus eſſe.

17 Qui viduã duxit, aut ſeparatam diuortio, aut meretricem, vel Ancillã, aut publicis ſpectaculis mancipatam, epiſcopus eſſe nõ poteſt, nec presbiter, nec diacõnus.

18 Qui duas vxores duxit, aut conſobrinam, clericus eſſe non poteſt.

19 Clericus, qui fideiuſſiones dat deponatur.

20 Qui violenter, Eunuchus factus eſt, aut ita natus, ſi dignus eſt efficiatur epiſcopus.

21 Qui ſibi virilia amputauit clericus non efficiatur, quia eſt homicida ſui ipſius, & inimicus creationi Dei.

22 Clericus, qui ſibi virilia amputauit, deponatur.

23 Laicus, qui ſeipſum mutilauit, per tres annos eijciatur.

24 Epiſcopus, presbiter, diaconus in fornicatione, aut periurio, aut furto deprehenſus deponatur, ſed a cõmunione non excludatur. Nam dicit ſcriptura, bis de eodem delicto vindictam non exigas.

25 Lectoribus, & cãtoribus, clericis conceditur, vt nuptias contrahãt, ſi velint.

26 Epiſcopus, presbiter, diaconus fideles, aut infideles percutiens deponatur; quia nuſquam hoc Dominus docuit: immo cum percuteretur non percutiebat.

27 Epiſcopus, presbiter, diaconus propter crimina iuſte depoſitus, non præſumat miniſterium attingere, quod tractauerat, ſi fecerit, omnino abſcindatur ab eccleſia.

28 Si quis ad dignitatem Epiſcopi, Presbiteri, aut Diaconi peruenerit interuentu pecuniæ, tam ipſe, quam qui eum ordinauit omnino a Cõmunione abſcindatur, quẽ ad modũ Simon Magus, a B. Petro.

29 Qui per magiſtratus ſæculares Eccleſiã cõſecutus fuerit, deponatur

30 Presbiter aſpernãs proprium Epiſcopum, ſeorſum conuenticula agens, & Altare erigens poſt tres Epiſcopi exhortationes, ſi Epiſcopum de nullo crimine in pietate, ac iuſtitia condemnauit deponatur, quaſi qui principatum ambiat vt Tyrannus; ſimiliter Clerici ei adhærentes.

31 Presbiter, aut Diaconus ab Epiſcopo excommunicatus non poteſt niſi ab eo, qui eum excõicauit ſuſcipi niſi forte defunctus ſit.

32 Peregrinus Epiſcopus presbiter, aut Diaconus, ſine commendatitijs literis non ſuſcipiuntur. Si eas obtulerint attentius diſquirantur, & ſi prædicatores pietatis fuerint ſuſcipiantur; ſi non, neceſſaria eis ſuppeditentur, ſed ad Communionem, & vlteriorem conſuetudinẽ non admittantur, quia multa per obreptionem fiunt.

33 In qualibet natione Epiſcopi ſciãt quis ſit primus inter eos, & ille ſit caput, & ſine eius voluntate nihil inſolitum agatur; & quiſque illa ſola pro ſe tractet, quæ ad Parochiam ſuam, & loca illi ſubdita attinent. Sed neque ipſe citra omniũ voluntatem aliquid faciat. Nam ita erit concordia, & Deus glorificabitur per Dominum in Sancto Spiritu.

34 Epiſcopus extra terminos ſuos, ordinationes non faciat, ſi fecerit cõtra voluntatem illorum, qui illas regiones detinent, deponatur.

35 Ordinatus Epiſcopus ſi miniſterium, & curam populi commiſſi non ſuſceperit excommunicetur donec obediat. Similiter Presbiter, & Diaconus. Si autem non ſuſcipiat propter malitiam populi, clerus Ciuitatis excommunicetur,

quia

quia populum non corripuit.

36 Synodus Epiſcoporum bis in anno celebretur, vt pietatis dogmata diſquirantur, & contradictiones Eccleſiarum dirimantur, ſemel 4. fe. Pentec. & 12. die Octob.

37 Omnium rerum Eccleſiaſticarũ curam gerat Epiſcopus, & eas diſpenſet quaſi inſpectante Deo. Nõ licet ei quidquam ex Deo dicatis ſibi ſumere, tanquam proprium, nec cognatis largiri; ſi pauperes ſint, vt pauperibus miniſtretur; ſed horum prætextu res Eccleſiæ non venundentur.

38 Presbiteri, & Diaconi abſque voluntate Epiſcopi nihil peragant. Nam ipſius fidei populus Domini commiſſus eſt, & pro eorum animabus ab ipſo repetetur ratio.

39 Epiſcopus habeat facultatem relinquendi bona priuata, quibus voluerit cum moritur, manifeſtenturque eius bona, & obligationes, ne eius cognati, & ſerui per ignorationem prætextu Eccleſiæ lædãtur; Et ne Eccleſia damni aliquid ſuſtineat propter ignorationem rerum Epiſcopi; aut qui illum generis proximitate contingunt, incidant in negotia, & mors eius diffametur. Hoc enim iuſtum eſt apud Deum, & homines.

40 Præcipimus, vt res Eccleſiæ Epiſcopus in poteſtate habeat. Nam ſi prætioſæ animæ ei committuntur, multo magis pecuniæ eius arbitratu diſpenſandæ ſunt, vt cum timore Dei, ſummaque ſollicitudine per Presbiteros, & Diaconos erogentur in pauperes; percipiat autem & ipſe ad neceſſarios vſus, & hoſpitum fratrum, quibus opus habet, vt non poſteriore loco habeatur. Nam ordinauit lex Dei, vt qui Altari inſeruiunt de Altari nutriantur.

41 Epiſcopus, Presbiter, aut Diaconus, qui Aleæ, vel ebrietatibus indulget deponatur.

42 Subdiaconus, aut Cantor; aut Lector ſimilia faciens excommunicetur ſimiliter Laici.

43 Epiſcopus, Presbiter, aut Diaconus vſuras exigens a mutuum accipientibus deponatur.

44 Epiſcopus, Presbiter, aut Diaconus cum hæreticis orans a Communione ſeparentur, etſi permiſerint eos aliquid agere, tanquam Clericos, deponantur.

45 Epiſcopum, aut Presbiterum, qui hæreticorum baptiſma, aut ſacrificium ſuſceperit, deponi præcipimus; quæ enim conuentio inter Chriſtum, & Belial, aut quæ particula fideli, cum infideli.

46 Epiſcopus, aut Presbiter iterum baptizans eum, qui habet verum baptiſma, aut qui pollutum ab impijs non baptizauerit deponatur, vt qui Crucem, & mortem Domini irrideant.

47 Laicus vxorem ſuam abijciens, & alteram ducens, aut ab alio dimiſſam, a Cõmunione ſeparetur.

48 Epiſcopus, aut presbiter baptizans non ſecundum ordinationẽ Domini, in patre, & filio, & Spiritu ſancto; ſed in tribus principio carentibus, aut tribus filijs, aut tribus Paraclitis deponatur.

49 Epiſcopus, aut Presbiter vna immerſione baptizans propter mortem Domini, & non tribus deponatur. Quia Dominus non dixit in mortem meam baptizate, ſed profecti docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.

50 Epiſcopus, Presbiter, aut Diaconus abſtinens a nuptijs, carne, & vino propter abominationem, nõ ad mentis pietatem, & cultum corrigatur, aut deponatur, & ex Eccleſia eijciatur; quia diffamat creationem

nem Dei, oblitus quod omnia pul chra valde, maſculum, & fœminam Deus creauit.

51 Epiſcopus, vel Presbiter non recipiens reſcipientem a peccato deponatur, quia Chriſtum offendit dicentem gaudium in cœlo oriri ob vnum peccatorẽ pœnitentiam agentem.

52 Epiſcopus, Presbiter, Diaconus non vtens in feſtis carne, & vino propter abominationem, deponatur, quia multis offendiculi auctor eſt, non autem ſi faciat propter pietatem.

53 Clericus in Caupona comedens excommunicetur, excepto itinere, quo diuertitur ad cõe hoſpitium.

54 Clericus afficiens contumelia Epiſcopum deponatur. Nam principi populi non maledices.

55 Irridens mancum, mutum, ſurdũ, aut cæcum cõmunione priuetur.

56 Epiſcopus, aut Presbiter negligẽs circa Clerum, aut populum, non erudiens eos in pietate excommunicetur, & ſi perſeuerauerit deponatur.

57 Epiſcopus, aut Presbiter non ſuppeditans neceſſaria inopi Clerico excommunicetur, et ſi perſeuerauerit deponatur, vt qui fratrem ſuum necauerit.

58 Qui impiorum libros cum falſa inſcriptione publicauerit in eccleſia ad cleri, & populi corruptionem, deponatur.

59 Si accuſetur fidelis de fornicatione, adulterio, aut alia actione prohibita, & conuictus fuerit non recipiatur in clericum.

60 Clericus per metum negans nomen Chriſti eijciatur ex eccleſia, ſi vero nomen clerici, deponatur, ſed pœnitentia ductus recipiatur.

61 Epiſcopus, Presbiter, Diaconus comedẽs carnes in ſanguine eius, aut a beſtijs arreptum, aut ſuffocatum deponatur, quia lex prohibuit, ſi Laicus excommunicetur.

62 Clericus, aut Laicus ſynagogam Iudæorum, aut conuenticulũ Hæreticorũ ingreſſus, vt preces cum illis coniũgat deponatur, & a communione ſeparetur.

63 Clericus in cõcertatione aliquem percutiens, & vno ictu interimẽs, deponatur propter temeritatem, ſi Laicus ſit excommunicetur.

64 Qui ieiunauerit die Dominica, aut Sabbato, vno ſolo dempto, deponatur; ſi Laicus ſit excommunicetur.

65 Qui virginem per vim detinet nõ deſponſatam ſibi, a communione ſuſpendatur, nec licet ei aliam ducere, ſed eam quam ſollicitauit, quamuis paupercula ſit.

66 Epiſcopus, Presbiter, Diaconus ſecundam ordinationẽ ſuſcipiens deponatur, tam ordinator, quam ordinatus, niſi eſſet ordinatus ab hæreticis. Nam a talibus baptizati, aut ordinati, neque fideles, neque clerici eſſe poſſunt.

67 Epiſcopus, Presbiter, Diaconus lector, aut cantor ſacram quadrageſimam Paſchę, aut quartam feriam, aut paraſceuem non ieiunãs deponatur, niſi imbecillitate impediatur, ſi laicus ſit excommunicetur.

68 Epiſcopus, Presbiter, Diaconus ieiunans cum Iudæis, aut commune feſtum cum eis agens, aut lautia feſti, nempe azima ab eis ſuſceperit, aut alia huius generis deponatur ſi laicus ſit excõmunicetur.

69 Chriſtianus oleum deferens ad ſacra gẽtilium, aut in ſynagogam Iudęorum in feſtis eorum, aut qui lucernas incenderit excommunicetur.

70 Clericus, aut Laicus ceram, aut oleum ex Sancta Eccleſia ſurripiens excommunicetur.

71 Vas aureum, aut argenteum ſanctificatum, aut velamen, aut linteum nemo amplius in ſuos vſus aſſumat, ſi deprehendatur excommunicetur.

72 Epiſcopus, ſi a fide dignis accuſetur, vocandus eſt ab Epiſcopis ſi compatuerit, & confeſſus, & conuictus fuerit cenſura irrogandus eſt. Si non comparuerit mittantur ad eum duo Epiſcopi, ſi cõtumax fuerit ſynodus ſentẽtiam pronunciet contra ipſum.

73 Contra Epiſcopum non admittatur hæretici teſtimonium, neque ſolus fidelis; Nam in ore duorum, vel trium conſiſtit omne dictum.

74 Epiſcopus non gratificet cognatis, quia non debet conferre eccleſiam Dei in hæredes, ſi fecerit excommunicetur.

75 Si quis oculo defectuoſus ſit, aut crure obtuſo, ſi tamen dignus ſit, Epiſcopus efficiatur, quia mutilatio corporis ipſum nõ polluit, ſed inquinatio animæ.

76 Mutus, ſurdus, aut cęcus Epiſcopus non efficiatur, non quia læſo corpore ſit, ſed quia impedimenta ſunt ad eccleſiaſtica munia.

77 Qui de nomẽ habet clericus non efficiatur, neque cũ fidelibus preces fundat, ſi vero mundetur recipiatur, & ſi dignus fuerit clericus efficiatur.

78 Qui ex vita gentili aduenerit, & baptizatus eſt, aut ex praua conuerſatione, protinus non promoueatur in Epiſcopum, quia iniurium eſt doctorem fieri aliorum eum, qui prius de ſe ſpecimen non præbuerit, niſi fiat dono diuinæ gratiæ.

79 Epiſcopus, aut Presbiter in adminiſtrationibus publicis non ſe immiſceat, ſed vacet eccleſiaſticis vſibus, ſi fecerit deponatur, quia nemo põt duob. dominis ſeruire.

80 Serui, Clerici nõ efficiantur contra dominorum volũtatem, quod ſi ordinatione dignus videatur, qualis noſter Oneſimus apparuit, & Domini conſenſerint, & manu miſerint, & a domo ſua ablegauerint, efficiantur.

81 Epiſcopus, Presbiter, Diaconus, qui militiæ vacauerit, & vtrumque ſimul retinere voluerit, officium Romanum, & functionem ſacerdotalem deponatur. Nã quę Cæſaris ſunt Cæſari, quę Dei Deo danda ſunt.

82 Qui Imperatorẽ, aut Magiſtrum contumelia affecerit pœnas luat, ſi Clericus ſit deponatur, ſit Laicus a communione ſeparetur.

83 Sint omnibus Clericis, & Laicis venerandi libri ſacri, veteris quidem teſtamenti, quinque Moyſis. Vnus Ieſu filij Naue, Iudicum, Ruth, Regum quattuor. De Machabæorum geſtis tres. Iob, Pſalterium, Salomonis tres, Prouerbia Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum. Prophetarum duodecim. Item ſapientiam eruditi Sirach. Noui vero Teſtamenti Euangelia quattuor; Pauli Epiſtolę quattuordecim. Petri Epiſtolæ duæ. Ioãnis tres. Iacobi vna. Iudę vna. Clementis Epiſtolæ duæ, & præceptiones, quę vobis Epiſcopis per me Clementem in libris octo nuncupatæ ſunt, quæ omnibus publicare non oportet, ob quædam arcana, quę in ſe continent, & actiones noſtras Apoſtolorum.

Ex his canonib. legitimi ſunt 50. cæteri ſuperaddi- ti ſunt ſecundũ Belarm.

Reformatio Cleri, ex Concilio Tridentino.

ADductis ex iure Canonico conuenientiſſimum eſt, doctrinã clericorum, ex Concilio Tridentino adiungere. Tum vt pla-

planius fiat, quod initio dictum eſt, eccleſiam magnam curam geſſiſſe in explicāda eccleſiaſtica diſciplina ab Apoſtolis tradita, quo deſtruatur id, quod temporū nequitia de eius perfectione detractum eſt. Tum etiam, vt conſtet præſentem, & præteritam eccleſiam id ipſum conſtanti corde ſenſiſſe. Denique ad obuiandum libertati ignorātium clericorum, quibus, ſi aliquid ex Sacris Canonibus intimetur, licentias ſuas ſe ſatis defendere exiſtimant, dicendo, abrogata eſſe. Quod diligēter impugnandum eſt in ſenſu, quem ipſi intēdūt, quia audacia, & irreuerētia plenum eſt. Longe melius, ac religioſius loquitur Conci. Trident. in pluribus locis repetens illa verba, Sancta Synodus Sāctorum Patrum Canonibus, & veſtigijs inhærendo ſtatuit, &c. Item, & alia damnans adiūgit, quia contra Sacros Canones. Et ſeſſ. 25. c. 8. intimat omnibus Sacratiſſimos Canones exacte ab omnibus obſeruandos; Immo, & iura noua, de antiquis canonibus decreti, loquuntur cum magna reuerentia repetendo eadem verba, confirmantque antiqua, vel inferunt, aut ſtatuunt præſenti ſtatui Eccleſiæ conuenientia. Deinde ſi loquantur, de virtute, & criminibus clericorum miſere decipiūtur; Quia conſuetudines contrariȩ omnes a ſynodo Tridentina damnatȩ, ac ſublatȩ ſunt, ita vt ſi quæ in deſuetudinem abierunt (inquit ſynodus) in vſum accurate reuocentur. Scimus Eccleſiam poſſe mutare non quidem, quæ iuris diuini ſunt, ſed alia iuxta exigentiam temporum, vt circa cōmunionem laicorū ſub vtra que ſpecie, circa tempus ſuſcipiendi ſacramēta, circa iuriſdictionem Epiſcoporum, circa ætatem ordinandorum, circa degredationem delinquentium, & alia huiuſmodi. At vero circa ſanctitatem clericorum nihil immutatum eſt, imò immota permanet, quia vult Deus miniſtros ſuos immaculatos, ab omni crimine, & labe, ſæculi curis vitijſque illęſos. Vnde iura, de vita, & honeſtate clericorum, circa hæc renouata ſunt, & confirmata a Tridentino, vt in ſequentibus dicetur, quia ex diuino, & naturali iure oriuntur.

Igitur Sancta ſynodus, ante omnia optimum viuendi modum exiſtentium in Concilio præſcribit. Vt omnes in timóre Dei ambulent, ſacrificia, preces, ieiunia cum eleemoſinis offerant; Litanias, & ſupplicationes faciant pro Papa, & eccleſiæ principibus, vt tranquillam vitam agamus, & incrementum fidei videamus. Commendat etiam moderationem ciborum, & lectionē ſacram in menſa epiſcóporum, & curam familiarium, ne vitioſi ſint. Patres, ne immodeſtis vocibus, falſis, obſtinatiſque diſputationibus contendant, ſed ſententiam dicant mitiſſima verborum prolatione, vt nec audientes offendantur, nec rectum iudicium perturbato animo inflectatur. Deinde docet armari oportere ſcuto fidei quo eccleſia vtitur, ſcilicet credo in vnum Deum patrem omnipotentem factorem Cæli, & Terræ, viſibilium, & inuiſibilium, &c. Cauſam congregationis Concilij præcipuam, docet eſſe hæreſum extirpationē morumque reformationem. Vnde puritatē Euangelij conſeruare deſiderans, ſublatis erroribus (vt Chriſtus ore ſuo ſancto, & benedicto prædicauit, & Apoſtolis prædicare iuſſit) quod traditionibus, & Sacris Scripturis cōtinetur, eas veneratur, & ſuſcipit. Declaratque vulgatam editionem Sacræ Scripturæ longo tempore ab eccleſia probatā authenticam eiuſque libros Canonicos eſſe. Et ſtatuit ne quis audeat in lectionibus, prædicationibus, diſputationibus eam

Seſſ. 2.

Seſſ. 3.

Seſſ. 4.

reijcere, neque interpretari contra ſenſum eccleſiæ, aut vnanimen Patrum. Et ne libri, de rebus ſacris, ſine nomine Auctoris examine, & approbatione ordinarij imprimãtur. Quibus præiactis ſeſſione quinta, incipit errores contra fidem damnare, & reformare mores. Sed quoniam fidei dogmata ad intentum huius operis non faciunt, his omiſſis, decreta ad reformationem cleri ſpectantia, in decem ſeſſionibus adducemus; primo de Epiſcopis; Secundo de Preſbiteris, & alijs Clericis, de illorum electione, ordinatione, officijs, ac vita.

DE EPISCOPIS,
Ex ſeſſione quinta.

Lectio. Scriptura. EPISCOPI curent, vt lectio Scripturæ Sacræ habeatur in cathedralibus, & collegiatis, vbi numeroſus eſt clerus; Et in Monaſterijs; in vniuerſitatib. inſtituatur ad fidei defenſionẽ, & docentes eam in ſcholis publice, & ſtudentes fructibus beneficiorum ſuorum gaudeãt. Exigua eccleſia ſaltem habeat Magiſtrum latinę linguę, qui doceat pauperes clericos, tamen ab Epiſcopo examinatum, & approbatum in vita, & doctrina.

Prędicatio. Omnes Epiſcopi tenentur prædicare Euangelium per ſe ipſos, quoniam hoc eſt præcipuum eorum munus, & non eſt minus neceſſaria prędicatio, quã lectio. Si impediti fuerint teneantur aſſumere viros idoneos. Item regulares in eccleſijs non ſuorum ordinum præter licentiam ſuorum ſuperiorum, teneantur Epiſcopi licentiam habere. Si prædicator errores, vel ſcandala ſeminauerit interdicatur ab Epiſcopo. At videat ne falſis informationibus vexentur. Regulares extra obedientiam viuentes non prædicent, neq; ignoti preſbiteri, neque quæſtores.

Ex ſeſſione 6.

Epiſcopi qualitates. Ad reſtituendam collapſam eccleſiaſticam diſciplinam, & deprauatos cleri, & populi mores reformandos a maioribus prælatis incipiendũ eſt. Quia integritas præſidentium ſalus eſt ſubditorum. Digni aſſumantur in Epiſcopos quorum vita prior, ac omnis ætas a puerilibus exordijs, vſque ad perfectiores annos laudabiliter acta teſtimoniũ perhibeat. Attendant ſibi, & gregi. Et perſonaliter reſideant in ſuis eccleſijs; quia paſtores ſunt, & tenentur vigilare, & cuſtodire gregem ne a lupis deuoretur, de quorum perditione ſupremo iudici rationem reddent. Item delicta ſubditorum prudenter, ac diligenter corrigant, tam ſęcularium, quam regulariũ extra Monaſterium degentium, quos viſitare, & punire poſſint. Immo, & capitulares cathedralium poſſint viſitari emendari, & corrigi, a ſolo Epiſcopo, vel cum duobus adiunctis. Item in diœceſi alterius Pontificalia non exerceant, niſi cum ordinarij licentia.

Ex ſeſſione 7.

Ad regimen cathedralium aſſumendi, ſint legitimi, ętate matura, & grauitate morum, & ſcientia præditi. Et nullus duas cathedrales obtineat, quia eſt cõtra Sacros Canones; & valde felix eſt, qui vnam bene, & fructuoſe rexerit. Et electi infra ſex menſes conſecrentur.

Ordinarij curent, vt hoſpitalia fideliter, & diligenter gubernentur.

Ex ſeſſione 13.

Modus gubernã Epiſcopi. Epiſcopi præeſſe debent non dominando, ſed ſubditos tanquã filios, & fratres diligendo, quia paſtores ſunt non percuſſores. Si quando peccauerint moneant illos, iuxtá Apoſtolum arguendo, increpando, obſecrando in omni bonitate, & patientia.

tia. Quia ſępè plus valet beneuolentia, quam auſteritas, exhortatio, quã comminatio. Et diligens paſtor primo remedia leuia adhibet, poſtea grauiora ſi morbus poſtulat. Et quãdo caſtigare oportet, miſericordia cum iudicio adhibeatur, vt conſeruetur neceſſaria diſciplina, ſine aſperitate, & correpti emendentur; ſi nolint, alij deterreantur. Item in cauſis viſitationis, & correctionis non teneantur appellationem admittere, ante diffinitiuam, quia eſt abuſus ad iniquitatis, non ad Innocentiæ defenſionem. Et iudex ad quem non abſoluat reum appellantem in criminalibus, niſi viſis actis in prima inſtantia. Item ad degradationem verbalẽ propter atrocia delicta poſſit Epiſcopus, vel Vicarius procedere cum aſſiſtentia Abbatum, vel dignitatum, loco Epiſcoporum, quos Canones requirunt. Ad actualem, verò Epiſcopus per ſeipſum cum iuris peritis grauibus, ne iuris executio differatur. Item Epiſcopus non citetur ad perſonaliter comparendum, niſi ob cauſam priuationis, vt abſque timore puniat delicta. Et teſtes non admittantur, niſi bonæ famæ in cauſa criminali, quæ coram Papa referantur, & terminentur.

Ex ſeſſione 14.

Correctio. Munus proprie Epiſcoporum eſt vitia ſubditorum redarguere; præcipue ne curati criminoſi ſint, & inhoneſte viuant ipſis cõſentientibus. Nam non poſſent redarguere laicos, a quibus poſſent cõuinci, quod permittant clericos deteriores. Neque Sacerdotes poſſent libere corripere laicos. Item Epiſcopi titulares nullum ordinent, abſque expreſſo conſenſu ordinarij, etiam vigore Priuilegij, aliter ſuſpendantur. Poſſitque Epiſcopus quos inuenerit, ita ordinatos, & inhabiles ad officia diuina, & ſacramenta adminiſtrãda ſuſpendere. Item Prælati diligenter intendant correctioni exceſſuum ſubditorum. Et nullus clericus, ſecularis ſit exemptus a viſitatione, & caſtigatione delictorum, fretus concordia iuramento, aut conſuetudine quacumque.

Ex ſeſsione 21.

Ordinatio gratis. Epiſcopi pro ordinatione nihil accipiant directè, vel indirectè, quia omnis ſuſpicio auaritiæ ab eccleſiaſtico ordine abeſſe debet. At Notarius non habens ſalarium poſſit pro literis decimam partem Aurei tantum accipere. Et nemo ordinetur, niſi beneficium pacifice poſſideant ſufficiens ad victum honeſtũ. Quia non decet Dei miniſtros mendicare aut quæſtum ſordidum exercere. Cum penſione vero, aut patrimonio ſufficienti ſolum ordinentur ij quos iudicauerit Epiſcopus aſſumendos pro neceſſitate, aut commoditate eccleſiarum.

Ex ſeſſione 22. De obſeruandis in celebratione Miſſæ.

Decẽtia tẽplorũ. Epiſcopi curent tollere, quæ aliena ſunt a dignitate Sacroſancti ſacrificij Miſſæ, quæ irreuerentiã, aut auaritiam redolent, vel ſuperſtitionem, vt pacta, conditiones mercedũ, in portuas petitiones. Ne vagi, aut ignoti Sacerdotes Miſſas celebrent. Ne publici criminoſi in altari miniſtrent. Ne extra eccleſiam Miſſæ dicantur in oratorijs priuatis, ſine licẽtia Epiſcopi, neque audiantur, niſi a decenter compoſitis. Prohibeantur Muſicę laſciuę, profana colloquia, deãbulationes, ſtrepitus, vt vere domus Dei, & orationis videatur. Item & Miſſas celebrare, niſi debitis horis, aut alias ceremonias, vel preces adhibere, niſi ab eccleſia approbatas.

In Epiſcopos aſſumẽdi, natalibus, ętate, moribus, vita, & alijs requiſitis a iure ſint præditi, & ordinati ſacro ordine.

Qualitates epiſcopi. ordine. De quibus informatio ſumatur a Nuncio, vel ab ordinario. Scientia tanta ſit, qua poſſint muneri ſatisfacere, vt doctor ſit, aut licēciatus in Theologia, vel iure Canonico, aut approbatus ad alios docēdos per aliquam Academiam. Informantesque gratis, & fideliter faciāt, alias ſciant Deum vltorem habituros.

Item Epiſcopi poſſint vltimas voluntates commutare, tamen ex iuſta, & neceſſaria cauſa. Item Legati, Nuntij, & Metropolitani in appellationibus ſeruent formam iuris Capitulo Roma de appel. Itē Epiſcopi poſſint viſitare pia loca, Hoſpitalia, Collegia, & Laicorum confraternitates, quia ad animarum ſalutem, & ſuſtentandos pauperes inſtituta ſunt.

Ex ſeſsione 23.

Reſidentia. Omnes Epiſcopos etiam Cardinales ad reſidentiam perſonalem teneri declarat Sancta Synodus, & niſi ex cauſa abeſſe, non poſſe. Quia mandatum diuinum eſt oues commiſſas cognoſcere, pro illis ſacrificiū offerre, paſcere prædicatione diuini verbi, adminiſtratione ſacramentorum, & exemplo bonorum omnium operum, pauperumque, & miſerabilium perſonarum curam gerere; quę præſtari non poſſunt, niſi reſideant. Cauſa debet eſſe in ſcriptis approbata a Papa, aut Metropolitano, aut antiquiore ſuffraganeo. Niſi ſit notoria, vt vrgens neceſſitas, vel debita obedientia, aut eccleſiæ, vel reipublicæ euidens vtilitas, propter officium Epiſcopatui iniunctum, prouidendum tamen, ne interim ex abſentia damnum grex accipiat. Extra has cauſas parua abſentia non eſt contra Canones, ſed non debet tres menſes excedere, & debet eſſe iuſta cauſa, quæ timoratis conſcientijs relinquitur, & non ſit in Aduentu, Quadrageſima, Paſchate, Pētecoſte, feſto Corpo Chriſti. Contrafacientes incurrunt peccatum mortale, & non faciunt fructus ſuos tenenturque ad reſtitutionem.

Ordinatio. Itē Epiſcopi per ſe ipſos ordinent, ſi ægritudine impediantur approbatos mittant ad alium. Et ante ordines, feria quarta euocent ad ciuitatem ordinandos. Et cum Sacerdotibus, prudentibus, peritis in diuina lege, & Canonibus examinent genus, perſonam, ætatem, inſtitutionē, mores, doctrinam, & fidem illorum. Et fiat ordinatio publicè in Cathedrali præſentibus Canonicis, & ſtatutis a iure temporibus. Item Epiſcopus nō ſubditum nō ordinet, niſi cum commendatione ordinarij, de probitate, & moribus. Neque familiarē ſuum niſi triennio cum eo commoratus fuerit, cui conferat ſtatim beneficiū. Abbates non poſſint, niſi ſubditis primam tonſuram, & minores conferre. Quæ conferri non debent, niſi quibus ſcientiæ ſpes dignos oſtēdat maioribus ordinibus, quia ad ſacratiſſima miſteria ſunt ingreſſus.

Ex ſeſſione 24.

Sede uacāte oratio. Sede Epiſcopali vacante, preces publice, & priuate fiant. Electores nihil vtilius facere poſſunt ad Dei gloriam, & populi ſalutem, quam bonos Epiſcopos eligere; Et mortaliter peccant, niſi pręficiant quos digniores iudicauerint, non humano affectu, aut ambientium ſuggeſtionibus, & precibus, ſed exigentibus meritis. Et in Prouinciali Concilio fiat forma examinis, ſiue informationis faciendæ, de qualitatibus eorum, qui electi ſunt, approbanda à Papa, & ad eum tranſmittatur publicum inſtrumentum cum toto teſtimonio, & fidei profeſſione. Quod a quattuor Cardinalibus diligenter examinetur, qui ſubſcribāt electum habere qualitates a iure requiſitas, *Qualitates Cardinalis.* & quod ita exiſtimant ſub periculo ſalutis æternæ. Et eædem qualitates

in

in Cardinalibus, etiam Diaconis requirantur, (qui aſſumantur ex omnibus Chriſtianitatis nationibus.) Item Metropolitani congregent capitula quolibet triennio, pro moderandis moribus, & cōtrouerſijs componendis. Diœceſana vero ſynodus quolibet anno celebretur.

Viſitatio diœceſis. Viſitent Epiſcopi Diœceſim, quolibet anno, ſaltem triennio compleatur per ſe, ſi impediti fuerint per alios. Scopus ſit errores expellere, mores corrigere, accēdere populum ad innocentiam, & religionem. Amplectendi ſunt omnes diuina charitate, & zelo, & celeriter abſoluenda. Cætera ex viſitatoris prudentia pendēt. Aſumptibus inutilibus caueant, munera non accipiant contenti victualibus, vel taxata pecunia, aut iuxta conſuetudinem, ſi amplius accipiant puniantur a Concilio Prouinciali.

Prędicatio. PRAEDICENT epiſcopi frequēter in ſua Eccleſia, vel ſi impediti fuerint per alios. In alijs per Parochos, aut deputādos, in feſtis ſolemnibus, & Dominicis ſed in Aduentu, & Quadrageſima quotidie, aut ter in hebdomada. Moneant teneri quemlibet Parochiæ intereſſe ad audiendum verbum Dei. Curent in feſtis, vt pueri erudiantur de fidei rudimentis; Parochi explicent vim, & vſum Sacramentorum iuxta Catechiſmū vulgari lingua ante adminiſtrationē illorum; vt populus cum maiori reuerentia accedat. Item Epiſcopus publice peccantes arguat, quando aliqui ſcandalizantur iuxta Apoſtolū; & imponat publicam pęnitentiam, vt quos ad malum prouocarunt reuocent emendatione. Item inſtituatur ab Epo, Canonicus, Pænitentiarius, licentiatus, aut doctor 40. annorum, qui audiat confeſſiones. Item Epiſcopus poſſit diſpenſare in irregularitatibus, & ſuſpenſionibus ex delicto occulto prouenientibus (exceptis ex homicidio voluntario, & deductis ad forum contentioſum. Et in quibuſcumque caſibus occultis Papæ reſeruatis, poſſit ſubditos abſoluere in foro conſcientiæ etiam de crimine hæreſis. Item cauſæ contra Epiſcopos grauiores etiam hęreſis a ſolo Papa cognoſcantur, ſi committenda ſit ſiat Metropolitano, aut Epiſcopo ſignata manu ſanctiſſimi, ſolū ad proceſſum conficiendum, qui Beatiſſimo remittatur. Cauſæ minores a Cōcilio Prouinciali cognoſcantur.

Doctrina chriſtiana.

Diſpenſare irregu.

Ex Seßione 25.

Epiſcopi perfectio EPISCOPI non ad propria cōmoda nō ad diuitias, aut luxum, ſed ad labores, & ſollicitudines pro Dei gloria vocati ſunt; ad fideles inflammandos ad religionem, & innocentiam, animarum ſalutem, ac celeſtem patriam ſemper cogitando, & contemnendo, quæ mundi ſunt. Ideo monet eos ſacra Synodus, vt mores ita componant, vt modeſtiæ, continētiæ, & ſanctæ humilitatis exempla ab eis reliqui ſumere poſſint. Iubet autem, vt modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contenti ſint, & In vitæ genere, ac tota domo omnia ſimplicitatem Dei zelum, & vanitatum contemptum prædicent. Prohibet illis ne ex Eccleſiæ reditibus conſanguineos, vel familiares augeant, quia Apoſtolorum Canones hoc prohibent, & ſi pauperes ſint, vt pauperibus illis prouideant, immo maxime monet; vt hunc carnis affectum erga propinquos penitus deponant. Idem obſeruandum eſt a cæteris beneficiatis, & Cardinalibus, quorum conſilio apud Sāctiſſimum Romanum Pontificem vniuerſalis Eccleſia adminiſtratur, eſſetque abſurdum prędictis virtutibus nō fulgere.

In Concilijs Prouincialis omnia definita, & ſtatuta a Conc. Trident. recipiantur, & anathematizētur omnes

nes hæreſes damnatę in Concilijs generalibus, & ſpondeant veram obedientiam Romano Pontifici. Si quis renuat certior fiat Papa ſub pœna diuinæ indignationis. Item fiat in Synodis Diœceſanis. Et a Viſitatoribus ſtudiorum generalium, vt quolibet anno ſolemniter decreta huius ſanctæ Synodi recipiant, & ad normam iſtam, quæ fidei ſunt doceant.

Acceptatio conci.

Excom.

NON excommunicet leuibus de cauſis, quia magis contemnitur, ſed prius examinanda eſt cauſa non vulgaris in deperditis, & tũc a ſolo Epiſcopo concedatur ad finem reuelationis. Item poſſit Epiſcopus ſtatuere pro ſua conſcientia circa numerũ Miſſarum, quibus ſatisfieri non poteſt, & circa tenuem eleemoſynam.

Reuerentia Epiſcopis.

EPISCOPIS honor, vbique tribuatur in Choro, Capitulo, Proceſſionibus, & actibus publicis, & prima ſedes, & locus præcipuaque rerum agendarum auctoritas; qui ſi proponat aliquid Canonicis, quod ad ſuum commodum non ſpectet, vota exquirat in Capitulo, & iuxta ea concludat. Abſente Epiſcopo ab ijs efficiatur, ad quos de iure, vel conſuetudine pertinet. In cæteris iuriſdictio poteſtas, & adminiſtratio capituli intacta relinquatur. Item qui nõ ſunt capitulares, nec obtinent dignitates Epiſcopo ſubijciãtur, ſaluis Priuilegijs conceſſis perſonis ſtudiorũ generalium.

Iudiciũ capitularium.

Quando Epiſcopus procedit contra Capitularem ex officio, vel ad inſtantiam partis extra viſitationem, teneatur cum duorum Capitulariũ aſſenſu, & conſilio procedere, (qui eligantur initio anni a Capitulo) cũ quibus fiat proceſſus in domo Epiſcopi, vel Tribunali, coram Notario Epiſcopi, & duorum tantum ſit vnum votum. Quod ſi ambo diſcordent ab Epiſcopo eligant tertium, aliter electio ad viciniorem Epiſcopum deuoluatur, cum quo diſcordia terminetur, alias proceſſus, & inde ſecuta nulla ſunt. In criminibus tamen incontinentiæ, & atrocioribus depoſitionem requirentibus, ſi de fuga timeatur ſolus poſſit procedere ad detentionem per ſummariã informationem. Item Epiſcopi principibus ſæcularibus non ſeruiant, nec loco cedant, ſed patres paſtoreſque ſe eſſe meminerint, & paterno honore omnes proſequantur. Item prauos quæſtus, & abuſus pro conſequendis indulgentijs Epiſcopi in Conc. Prouinciali referant, & ad Pontificem deferant, vt eius prudentia ſtatuatur, quod Vniuerſali Eccleſiæ expedit, vt pie, & ſancte diſpenſentur. Tandem Paſtores obteſtatur Sancta Synodus per Chriſti Aduentum, vt fidelibus commendent omnia, quæ ſtatuit ſancta Romana Eccleſia omnium Eccleſiarum mater, & magiſtra, & quæ in hoc Concilio, & alijs Oecumenicis ſtatuta ſunt, præcipue, quæ ad mortificandam carnem conducunt, vt ciborum delectus, ieiunia, feſtorum deuotam celebrationem, & præpoſitorum ſuorum obedientiam, nam qui illos cõtemnunt, Deum ſentient vltorem. Tandem ſacratiſſimi Canones exacte ab omnibus obſeruandi ſunt niſi iuſta ratio, & maior vtilitas poſtulauerit diſpenſandum, quod cauſa cognita, & gratis fieri debet.

DE PRESBITERIS CVRATIS, & alijs Clericis.

Ex Seſsione 5.

CVrati Sacerdotes teneantur, per ſe ipſos, vel ſi impediti fuerint per alios paſcere oues cõmiſſas ſalutaribus monitis in dominicis, & feſtis ſolemnibus, & docere neceſſaria ad ſalutem, quæ ſcire tenentur,

nentur, cum facilitate ſermonis, hoc eſt vitia fugienda, vt æternas pœnas euadant, & virtutes ſequendas, vt æternam gloriam cõſequantur, & cõpellantur ad hoc ne dicatur, pueri petierunt panem, & non erat, qui frangeret.

Ex Seſsione 6.

Reſidentia. Cogantur reſidere habentes beneficia, quæ poſtulant reſidentiam de iure, aut conſuetudine, niſi ſint veræ, & rationabiles cauſæ.

Ex Seſsione 7.

Curatorum prouiſio. Beneficia omnia dignis conferantur præſertim curata, & qui reſidere poſſint, & per ſe ipſos curã exercere, aliter puniatur conferens. Item duo incompatibilia beneficia nullus retineat, & qui prætendunt eſſe diſpenſatos compellantur oſtendere, vt aſſignetur congrua portio pro cura animarum, ne debitis fraudentur obſequijs. Item curata vnita viſitet ordinarius, idoneos conſtituat Vicarios, aſſignetque tertiam partem fructuum, vel maiorem, vt laudabiliter cura animarum exerceatur.
Item præſentati ad beneficia non admittantur ab ordinarijs, niſi examinati, & idonei reperti. Item facultates de ordinando a quocumq; Epiſcopo non valeant, niſi habentibus legitimam cauſam in literis expreſſam, & tunc ordinentur, ab Epiſcopo reſidente diligenti examine præcedente. Item capitula Cathedralium non concedãt dimiſſorias, aut licentiam ordinandi, niſi tranſacto anno vacationis, niſi beneficium obliget.

Ex Seſsione 14.

Exhortatio cleri. Clerici cuiuſcumque ordinis conuerſatione ſermone ſcientia cõmiſſo ſibi populo præeant, iuxta illud Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum. Et nemini dantes vllam offenſionem, &c. Ne dici poſſit ſacerdotes contaminant Sancta, & reprobãt legem. Item interdictus a Prælato propter occultum crimen etiam extraiudicialiter cognitum, ne aſcendat ad ſuperiores ordines; Nec ſuſpenſus ab ordinibus valeat vlla licentia contra voluntatem Prælati reſtitui; quia tutius eſt præpoſitis obedire, quam altiorem gradum appetere cum præpoſitorum ſcandalo. Item conſeruatoriæ literæ non valeant capitulis, vt in criminalibus, & mixtis cauſis non poſſit Clericus accuſari, & conueniri coram ſuo Epiſcopo, & procedi contra illum exceptis vniuerſitatibus, & collegijs doctorum, vel ſcholariũ. Item Clerici veſtes ordini cõgruentes deferant, vt per decentiã habitus externi morum honeſtas oſtendatur. Temerarij vero laicales veſtes publice deferentes compelli poſſint per priuationem, tanquam contemptores honoris clericalis, vt in clementina de vi. & hone. cler. Itẽ qui per induſtriam hominem occidit ad ordines nullo modo promoueri poſſit etiamſi crimen ſit occultum, ſed perpetuo beneficio, & officio eccleſiaſtico careat. Qui vero caſu occidit, vel ad vitæ defenſionem licet diſpenſatio iure debeatur committatur ordinario. *Homicida irregulares.* Item beneficia vnius diœceſis loco pio alterius diœceſis, non conferantur, ne ſit confuſio diœceſum. Item nemo ius patronatus habeat, niſi eccleſiam, aut beneficium, aut capellam ex proprijs bonis patrimonialibus dotauerit. *Ius patronatus*

Ex Seſsione 21.

Diſtributiones. Vbi diſtributiones tenues ſunt tertia pars fructuum dignitatum, & beneficiorum aſſignetur, vt in diſtributiones quotidianas conuertantur, iuxta ordinationem Epiſcopi. Quia beneficia inſtituta ſunt ad diuinum cultum, vt augeatur, & non minuatur; & ad officia Eccleſiaſtica, & creſcente non ſeruientium cõtuma-

cia procedatur contra illos. Item in parochialibus, vbi multus eſt populus,& non ſufficit vnus Rector ad ſacramenta miniſtranda, & cultum diuinum peragendum poſſit Epiſcopus neceſſario adiũgere ſacerdotes. Item Parochis illiteratis ad ſacra officia ineptis, poſſit Epiſcopus coadiutores deputare, & aſſignare portionem pro victu. Et ſcandaloſe viuentes puniantur,et ſi incorrigibiles perſeuerẽt priuari poſſint beneficio appellatione remota, iuxta Sacros Canones. Item quæſtores eleemoſinarum, omnino tollantur tamẽ indulgentiæ piorum, locorum publicentur ab ordinario cum duobus de capitulo, qui eleemoſinas colligant, ſine mercede, vt omnes intelligant hos cæleſtes theſauros non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri.

Ex Seſsione 22.

Prædicatio. Clericorũ vita. Parochi in feſtis, inter Miſſarum ſolemnia frequenter aliquid ex ijs, quæ in Miſſa leguntur, vel aliquod miſterium Miſſę exponant. Item cõuenit clericos, ita viuere, vt habitus inceſſus, geſtus, verba,& alia omnia grauitatem modeſtiam, & religionem præ ſe ferant. Leuia etiam delicta (quæ in ipſis maxima eſſent) effugiant, vt eorum actiones cunctis afferant venerationem. Quia nihil eſt, quod magis moueat ad Deum honorandum, quam vita, & exemplum miniſtrorum Dei. Proinde ſtatuit Sancta ſynodus, vt quæ de vita, & honeſtate clericorum cultu doctrinaque retinenda a ſummis Pontificibus,& Concilijs ſalubriter ſancita ſunt. Et de luxu comeſſationibus choreis, aleis, luſibus,& alijs criminibus, & ſecularibus negotijs fugiendis, eadem in poſterum obſeruentur,& renouentur, ijſdem pœnis, vel maioribus, et ſi in deſuetudinem aliqua abierint in vſum reuocentur, non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque.

In cathedralibus, & collegiatis, beneficium habentes, non habeant vocem in capitulo, niſi ſubdiaconi ſint. Et onera, atque officia beneficiorum per ſe ipſos compleant, vt dicere Epiſtolam, Euangelium, aut Miſſam. Item tertiam partem fructuum poſſint Epiſcopi ſeparare dignitatũ, & officiorum in cathedralibus,& collegiatis, vt ſi ſeruitium in eccleſia non fecerint, iuxta præſcriptum Epiſcopi, diſtributiones illius diei amittant, non obſtantibus conſuetudinibus. Item vſurpans relicta pauperibus, vel impediens, Clericus, vel Laicus ſit excommunicatus, donec reſtituat, & abſolutionẽ a Papa obtineat. Clericus vero conſentiens beneficijs priuatus ſit, & executione ordinum.

Ex Seſsione 23.

Curati teneantur ad reſidentiam ſicut Epiſcopi, quia mandatum diuinum eſt, aliter incurrunt in culpam, & pœnas ſicut de illis dictum eſt. *Reſidentia.* Poſſit tamen illis Epiſcopus concedere licentiam ad duos menſes cum cauſa ab eo approbata, tamen poſito Vicario idoneo cum debita mercede. Quod decretum mandat ſinodus publicari in Concilijs Prouincialibus,& Epiſcopalibus, vt quæ ad paſtorum munera, & animarum ſalutem pertinent frequenter omnium auribus, & mentibus inſigantur. Item nemo poſſit beneficium obtinere, ante annum 14. Item Presbiter ſine Epiſcopi licentia non poſſit ſęcularium clericorum confeſſiones audire. *Facultas abſoluendi, ſine Epiſcopo tollitur.* Item Clericus incertis non vagetur ſedibus, ſed ſuis fungatur muneribus in Eccleſia pro cuius neceſſitate, vel vtilitate ordinatus eſt, quem locum non deſerat inconſulto Epiſcopo. Et Peregrinus, Clericus

non

non admittatur ad diuina celebranda, ſine literis commendatitijs ſui ordinarij.

Seminaria clerico. Cathedrales eccleſiæ teneantur pro modo facultatum certum numerum puerorum in Collegio prope eccleſiam alere, religioſe educare, & eccleſiaſticis diſciplinis inſtruere. Qui ſint duodecim annorum ſcientes ſcribere, & legere quorum indoles, & voluntas ſpem afferant perpetuo in eccleſiaſticis miniſterijs inſeruituros. Quia adoleſcentium ætas prona eſt ad mundi voluptates, niſi recte inſtituatur. Et præcipuè debēt eſſe pauperum filij legitimi, & eiuſdem diœceſis. Diuites vero admitti poſſunt modo ſuis expenſis alantur, & ſtudium præ ſe ferant Deo, & eccleſiæ inſeruiendi. Qui tonſura, & habitu clericali ſemper vtantur. Diſcere debent Grammaticam, Cantũ, Computum, & alias bonas artes. Item ſacramenta, ſcripturã diuinã, homilias ſanctorum, libros eccleſiaſticos, atque rationem tradendi ſacramenta, maxime ad confeſſiones audiendas. Qui quotidie Miſſam audiant, & ſingulis menſibus cõfiteantur, & communicēt, iuxta iudicium confeſſoris. Et in feſtis cathedrali eccleſiæ inſeruiant. Quæ omnia Epiſcopus cum conſilio duorum canonicorum cõſtituent, ſæpè viſitando, incorrigibiles puniendo, & ſi opus fuerit expellendo. Ad ſumptus ex menſa capitulari dignitatibus portionibus, & decimis ſumatur.

Ex ſeſsione 24.

Cathedralis reformatio Sede vacante capitulum moneat clerum, & populum per diœceſim ad preces publicas, & priuatas, vt bonum paſtorem valeant impetrare, quia maxime laborandum eſt, vt in electione Epiſcopi, qui ſuper omnes eſt, non erretur. Item ad cathedralium dignitates, quæ curam animarum habent, aſſumendi ſint 25. annorum, & doctrinam habeãt neceſſariam ad munus exequendum, & commendabiles ſint integritate vitę, & in clericali ordine verſati, iuxta conſtitutionem, Alex. III. Quia dignitates in eccleſia inſtitutæ ſunt, ad conſeruandam eccleſiaſticam diſciplinam, vt exemplo alios præcellant, & iuuent Epiſcopum. Archidiaconi dicti oculi Epiſcopi Doctores ſint, vel licenciati. Ad alias dignitates ſine cura animarum ſufficit idoneos eſſe Clericos 22. annorũ. Item Parochi, dignitates, & Canonici teneantur facere fidei profeſſionem in manibus Epiſcopi, & iurare permãſuros in obedientia Romanæ eccleſiæ, & eandem in capitulo faciãt, alias poſſeſſio nihil valeat. Item nemo recipiatur in cathedrali, niſi habeat ſacrum ordinem, quem requirit beneficium, vel poſſit intra tẽpus iuris ordinari. Canonicatus, & portiones habeant ſacrum ordinem annexum. Dimidia pars Canonicorũ, & Portionariorum, ſint Presbiteri, vel omnes, quæ laudabilior eſt conſuetudo, & ſeruanda. Hortatur ſancta ſynodus, vt dignitates omnes ſint doctores, vel licenciati, & dimidia ſaltem pars Canonicorum. Neque poſſint abeſſe dignitates, Canonici, aut portionarij, vltra tres menſes, alias procedatur contra illos. Item diſtributiones recipiant, qui horis interſunt reliqui ſine remiſſione illis careant, iuxta conſti. de cle. non reſi. in 6. Omneſque diuina obire per ſe ipſos teneantur non per ſubſtitutos, & Epiſcopo Pontificalia exercenti aſſiſtere, & inſeruire, & in choro ad pſallendũ inſtituto Dei nomen hymnis, & canticis reuerenter diſtinctè, & deuote laudare. Veſtitu decenti in eccleſia, & extra eccleſiam vtantur. Et ab illicitis venationibus, au-

cupijs, tabernis, choreis, luſibuſque abſtineant, & tali morum integritate ſint, vt vere Senatus eccleſiæ dici poſſit. Modus canendi, & regimen in diuinis officijs conueniendi, & permanendi, & omnia neceſſaria pro eccleſiæ miniſtris, a ſynodo Prouinciali, pro cuiuſque Prouinciæ vtilitate præſcribatur. Interim Epiſcopus cum duobus de capitulo prouideat, quod videbitur expedire. Præterea de cathedralibus vbi tenues ſunt præbendæ, vt cum diſtributionibus non ſufficiant decenti ſuſtentationi Canonicorum, poſſit Epiſcopus vnire aliqua beneficia cum conſenſu capituli, vel præbendas ad pauciorem numerum redigere. Item ſede uacante capitulum conſtituat Echonomum ſi adeum pertineat, qui prouentuum curam gerat, & futuro Epiſcopo rationem reddat. Et intra octo dies officialem, ſeu Vicarium generalem conſtituat, qui ſit doctor, vel licenciatus. Et teneantur rationem reddere, & ſcripturas, quę ad capituli manum peruenerint.

Parochialiũ prouiſio. Parochiali vacante ſtatim Epiſcopus, Vicarium conſtituat cum congrua ſuſtentatione, qui onera eccleſiæ ſuſtineat, donec prouideatur, de Rectore. Deinde Epiſcopus, & ius Patronatus habens nominet, intra decem dies aliquos examinãdos, vel per edictum vocet. Et in ſynodo approbentur ſex examinatores, ex quibus Epiſcopus nominet tres, qui cũ ipſo examen perficiant, & ſint doctores, vel licenciati, vel alij clerici, aut regulares mendicantes, qui iurẽt ad Sancta Dei Euangelia fideliter munus executuros. Qui caueant, ne ante, vel poſt examen aliquid accipiãt, quia dantes, & accipiẽtes ſimoniam incurrent, pro quo in ſynodo puniri poſſunt. Tranſacto igitur tempore examinentur deſcripti, et ſi vota ſint paria, vel ſingularia examinatorum poſſit Epiſcopus, vel Vicarius accedere. Peracto examine renuncientur Epiſcopo, qui iudicati fuerint ab ijs idonei, ætate, moribus, doctrina prudentia. Et ex ijs eligat Epiſcopus quem cæteris magis idoneum iudicauerit, & ei collatio eccleſiæ fiat. Quod ſi fuerit Patronatus Eccleſiaſtici, Patronus teneatur præſentare, quem digniorem iudicauerit ex approbatis ab examinatoribus. Similiter ſi Patronus fuerit Laicus præſentatus examinetur, & niſi fuerit repertus idoneus nõ admittatur. Quia expedit maxime ſaluti animarum, a dignis Parochis gubernari. Quod ſi non ferat tantam examinationem, aut non reperiatur, qui velit examinari, aut factiones ſint, poterit aliud examen priuatum cum conſilio adhibere. Item quarta funeralium ſolita ſoluatur Parochis non obſtantibus priuilegijs. Item vnum beneficium vni tantum conferatur, quod ſi non ſufficiat ad honeſtam ſuſtentationem, liceat aliud cõferre ſimplex, quod reſidentiam non requirat. Ne vnus plurium officia occupet, vt multi faciunt praua cupiditate, contra Sacros Canones. *Contra plura beneſic.*

Ex Seſsione 25.

Ivdices Eccleſiaſtici abſtineãt a cenſuris, & procedãt per pœnas pecuniarias, aut pignora, vel captionẽ perſonæ. Quæ ſi fieri non poſſint, & ſit contumacia poterunt vti excommunicatione. In qua qui per annum inſorduerit cõtra illum procedi poſſit tanquam ſuſpectum de hæreſi. Itẽ regreſſus ad beneficia non concedãtur. Neque coadiutoriæ cum futura ſucceſſione, quia ſunt contra ſacros Canones, & imago hęreditariæ ſucceſſionis; ſi cogat neceſſitas ponendi Epiſcopo coadiutorem fiat cognita cauſa a Papa, & qualitates requiſitę *Abſtinẽdũ a cenſuris.*

in eo inueniantur. Item locationes bonorũ Eccleſiaſticorum anticipata ſolutione in præiudicium ſucceſſorum non valeant. Item hoſpitalitatis officium a Sanctis Patribus commẽdatum, beneficiati ſæculares, & regulares prompte benigne, & frequẽter exercere aſſueſcant iuxta prouẽtus; quia Chriſtus in hoſpitibus recipitur. Et de regimine hoſpitalium curet Epiſcopus cum duobus de capitulo.

Item Clerici concubinas, aut ſuſpectas non habeant domi, aut extra ſi moniti non ſe abſtineant tertia parte fructuum mulctentur, ſi ſecundo omnibus, ſi tertio priuentur beneficijs, & inhabiles ſint ad omnia. Si redierint excommunicentur quorũ cognitio ad ſolum Epiſcopum pertineat ſine ſtrepitu, veritate inſpecta. Non habẽtes beneficia ſuſpenſione, carcere, inhabilitate ad beneficia puniantur. Epiſcopi vero admoniti a Concilio de hoc crimine ſi non ſe emendauerint ſint ſuſpenſi, ſi perſeuerauerint ad Papã deferãtur. Quia turpe eſt Deo conſecratos in immunditijs verſari, vt communis fidelium offenſio teſtatur. Et non liceat illegitimis filijs Clericorum beneficium, aut penſionem habere, neque miniſtrare in Eccleſijs, vbi patres eorum beneficium habuerunt, aut habent; vt a locis Deo ſacratis longiſſime abſit memoria paternæ incontinentiæ. Item docendum eſt imagines ſacras, & ſanctorum reliquias venerandas eſſe; ſed non ſunt indecenter depingendę, neque Sanctorum celebratione abutendum ad comeſſationes. Neque licet inpoſitam imaginem ponere, neque miracula noua, aut reliquias recipere niſi ab Epiſcopo approbatas. Hæc de Concilio.

EXHORTATIO AD PAROCHOS ex Pontificali, qua renouantur Canones ſupradicti.

FRATRES dilectiſſimi, & Sacerdotes Domini cooperatores ordinis noſtri eſtis. Nos quamuis indigni locum Aaron tenemus, vos autem locum Eleazari, & Ithamari. Nos vice duodecim Apoſtolorum fungimur, vos ad formam ſeptuaginta duorum diſcipulorum eſtis. Nos paſtores veſtri ſumus, vos autem paſtores animarum vobis cõmiſſarum. Videte periculum veſtrũ, Admonemus fraternitates veſtras, & obſecramus iu primis, vt vita, & conuerſatio veſtra ſit irreprehenſibilis. In domibus veſtris mulieres non cohabitent. Omni nocte ad nocturnas horas ſurgite. Officium veſtrum horis certis decantate. Nullus Miſſam celebret niſi ieiunus; Et non in veſtibus communibus, ſed ſacris Amictu, Stola, Alba, Manipulo, Cingulo, & Caſula veſtimentis nitidis, quę ad alios vſus non ſeruiant. Parati deuote, & religioſe celebrate, & in ea corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, cum omni reuerentiã, & tremore ſumite. Corporalia, & Pallæ ex lino ſint mundiſſima, quæ & alia lintea, & vaſa ſacra proprijs manibus abluite, & extergite diligenter. Nulla fęmina ad Altare accedat, nec calicem Domini tangat. Altare ſit coopertum mundis linteis ſaltem tribus. Et deſuper nihil ponatur, niſi reliquiæ, & res ſacræ, & pro ſacrificio opportunæ. Miſſale, Breuiarium, & Martyrologium vnuſquiſque veſtrum habeat. Eccleſiæ veſtræ ſint bene coopertæ, & mundæ. In ſacriſtijs, & iuxta Altare maius ſit locus aptus ad infundendam aquam ablutionis corporalium, & linteorum, ac

vaſo-

vaſorum, & manuum, aliarumque rerum ſacrarum; poſtquam ſanctum chriſma; aut oleum infirmorum, vel Catechumenorum tractaueritis; ibique pendeat vas cum aqua pro lauandis manibus ſacerdotum, & qui diuinum officium ſunt peracturi; & prope linteum mundum ad abſtergendum. Altaria Eccleſiæ ſint bene munita. Nullus ſine conſenſu noſtro per poteſtatem ſæcularem Eccleſiã obtineat. Nullus Eccleſiam ad quam intitulatus eſt dimittat, & ad aliam quæſtus gratia ſe transferat. Nullus plures Eccleſias, ſine titulo, & contra ſacrorum Canonũ diſpoſitiones náciſci præſumat. Nullatenus vna Eccleſia inter plures diuidatur. Nullus extra Eccleſiam in locis non conſecratis, aut calcaribus indutus, vel cultellis, extra pendentibus celebret. Nullus alterius Parochianum niſi itinerantem, & tunc de Rectoris ſui licẽtia ad Communionem recipiat. Nullus in alterius Parochia, abſque proprij ſacerdotis licentia Miſſam celebret. In celebratione calicem, & oblata non circulo, aut digitorum vacillatione (vt quidam faciunt) ſed iunctis, & extenſis digitis cruce ſignet, & benedicat. Calix, & patena ſint aurei, vel argentei, non æneі, aut aurichalcei vitrei, aut lignei. Quiſq; Presbiter, Clericum habeat, aut ſcholarem, qui cum eo Pſalmos cantet Epiſtolam, & lectionem legat, & in Miſſa reſpondeat. Ipſe quoque Presbiter infirmos viſitet, & reconciliet, & propria manu communicet, & oleo ſancto inungat. Nullus præſumat tradere communionem laico, aut fœminæ ad ferendum infirmo. Nullus pro baptizandis Infantibus, ſiue adultis infirmis reconciliandis, aut mortuis ſepeliendis præmiũ, vel munus exigat. Per negligentiam veſtrã, nullus infans, ſine baptiſmo, vel Adultus ſine communione pereat. Quiſque veſtrum quantum ſapit de Euangelio Dominicis, & cæteris feſtiuis diebus ſuæ plebi annuntiet. Verbum Domini prædicate. Curam pauperum, peregrinorum, viduarũ, & orphanorum habete; peregrinos ad prandium veſtrum vocate; Eſtote hoſpitales alijs bonum exemplum præbentes. In diebus Dominicis ante Miſſam, aquam benedicite, qua populus aſpergatur, ad quod vas proprium habete. Vaſa ſacra, & veſtimẽta ſacerdotalia, nolite negotiatori, aut Tabernario in pignus dare. Nõ digne pœnitentem cuiuſcumque rei gratia ad reconciliationem non adducite, nec ei reconciliationis teſtimonium perhibete. Vſuras non exigite. Nec facultates veſtras poſt ordinationem acquiſitas alienate, quoniam Eccleſiæ ſunt. Nec res Eccleſiæ poſſeſſiones, aut mancipia vendere, commutare, aut vllo modo alienare præſumatis. Nullus alterius decimã recipiat. Nullus inuitet pœnitentem ad manducandum carnem, aut vinũ bibendum, niſi pro eo eleemoſynam fecerit. Fontes baptiſmales lapideos habete bene mundos, vel aliud vas ad hoc opus ſolum deputatum. Omnibus Parochianis veſtris Symbolũ, & orationem Dominicam, & ieiunia quattuor temporum, & alia eccleſiæ mandata ſignificate obſeruanda. Ante quadrageſimam quarta feria populum ad confeſſionem admonete, & iuxta qualitatem criminum pœnitentiam iniungite. Tribus temporibus in Anno, ideſt, Natiuitatis Domini, Paſchate, & Pẽtecoſtes omnes fideles accedere ad communionem inuitate, & ne deſint quin ſaltim in Paſcha communicent. Certis temporibus coniugatos ab vxoribus abſtinere exhortamini. Nullus veſtium rubeis, aut viridibus, veſtibus, aut laicalibus vtatur. Diem dominicum, & cæteras feſtiuitates, abſque

opere

opere ſeruili a veſpera, ad veſperam celebrari docete. Cantus,& choreas mulierũ in Atrio eccleſiæ fieri prohibete. Incantationes ſuper mortuos nocturnis temporibus a vulgo fieri conſuetas ſub obteſtatione Dei omnipotentis vetate. Cum excommunicatis nolite communicare; Nec quis in eorum præſentia celebrare præſumat, quod etiam plebi nunciate. Et nullus ex plebe vxorẽ domum ducat, niſi prius nuptiæ temporibus ab eccleſia permiſſis publice fuerint celebratæ. Ad raptam, vel conſanguineam accedere, aut alterius ſponſam ducere prohibete. Porcarios,& alios paſtores ſaltim Dominica die faciatis vocare ad Miſſam. Patrinos, vt doceant filios ſymbolum,& orationem Dominicam, aut doceri faciant exhortamini. Sacramentum Euchariſtiæ Sanctum Chriſma, & oleum Catechumenorum, ac Sanctum, ſeu infirmorum in eccleſia in loco mundo condecenti,& ſecuro ſub ſera, & fida cuſtodia diligenter ſeruate.

Quiſque veſtrum expoſitionem ſymboli, & orationis Dominicæ, iuxta orthodoxorum patrum traditiones penes ſe habeat, eaſque, ac orationes Miſſarum, Epiſtolas, Euangelia, & Canonem bene intelligat, ex quibus prædicando populum ſibi commiſſum ſedulo inſtruat maxime non bene credentem. Introitum Miſſæ orationes, Epiſtolas, Graduale, Euangelium ſymbolum,& cætera non ſecreta alta,& intelligibili voce proferat; ſecreta vero,& Canonem moroſe,& diſtincte ſubmiſſa voce legat. Pſalmorum verba,& diſtinctiones regulariter cum Canticis conſuetis intelligibiliter pronunciet. Symbolum Athanaſij memoriter teneat. Exorciſmos,& orationes ad Catechumenos, ac reliquas preces ſuper maſculum, & fœminam reſpectiue diſtincte proferat. Ordinem baptizandi, & ad ſuccurrendum infirmis reconciliationis, & commendationis animæ; Et in agendis exequijs defunctorum, iuxta modum Canonicum obſeruet. Canticum Diurnum, & Nocturnũ ſciat. Computum etiam minorem ad inueniendam literam dominicalem, tempus interualli diei Paſchæ,& maiorem mobilium feſtorum non ignoret, vt per hæc, & alia bona opera, vna cum populo vobis commiſſo perpetua beatitudine perfruamini.

THEOLOGORVM, SCHOLAſticorum ſententia de Eccleſiæ ordinibus, exemptione, & cœlibatu.

DOCTORES aliqua certa docent, in alijs diuerſa opinantur.

Primo certum eſt in eccleſia eſſe neceſſarios Miniſtros Euangelicos diuinitus inſtitutos.

Secundo iſti pręcipui ſunt; Epiſcopi, Presbiteri, & Diaconi. Epiſcopi ſunt Presbiteri ſuperiores ordine, & auctoritate iure diuino, vt patet ex Trident. ſeſſ.23. cano.7. Neque oppoſitũ ſenſit D.Hiero.ad Euagrium, vt hæretici obijciunt. Sed ſenſus eius eſt iuriſdictionem Epiſcoporum actualem eſſe ab eccleſia, a Chriſto vero in potentia, ac inſtitutam. Inter Epiſcopus ſũt gradus iuriſdictionis; alij tantum Epiſcopi; alij Archiepiſcopi; alij Primates; alij Patriarchę; alij Cardinales, qui non ſunt ordinatione diſtincti ab Epiſcopis, Preſbiteris,& Diaconis, quorũ omnium ſuperior eſt ſummus Pontifex.

Tertio, ſubdiaconorum ordo, & quatuor minores ab initio eccleſiæ fuerunt in vſu, vt docet Tridentin. ſeſſ.23. cap. 17. Nam Apoſtoli ſunt ordinati Sacerdotes, ergo erant in mino-

minoribus ordinati, alias fuiſſent ordinati per ſaltum, quod videtur inconueniens, in quo deceptus eſt Magiſter ſenten.

Quarto, miniſtri creantur per traditionem poteſtatis, verbis imperatiuis, & oblata materia, circa quam exercentur. Vt accipe poteſtatē, &c. Poſtremo certum eſt ordinationes eccleſiæ eſſe immutabiles, ita quod ordinatus Miniſter, Laicus fieri non poteſt, vt definitur in Tridentin. ſeſſ. 23. cano. 4. Quia poteſtas eis collata eſt durabilis, & indelebilis etiam in malis miniſtris.

Circa vnitatem huius Sacramenti, & numerum ordinum. Primo certum eſt Sacramentum ordinis eſſe vnum ſacramentum, aliquo modo vnitatis. Quia ſacramenta nouæ legis, tantum ſunt ſeptem, at ordo eſt vnum ex illis, ergo de fide eſt eſſe vnum, ſiue genere continens ſpecies ad vnum finem, ſiue vnum ſpecie ſpecialiſſima, vt alij dicunt ordines vero eſſe in diuidua, ſicut Euchariſtia ſub ſpecibus panis, & vini nō ſunt ſacramenta diſtincta, ſed indiuidua eiuſdem Euchariſtiæ, ſiue vnum, ſecundum aggregationem, vt alij opinantur, tanquam totum potentiale habens diuerſas poteſtates pertinentes ad totum, quod eſt ſacramentum ordinis ſacerdotalis, qui eſt poteſtas celebrandi Miſſam cum miniſtris; quod licet ſit plura in genere poteſtatis eſt tamen vnum ſacramentum totale.

De numero quamuis alij aſſerant tantum eſſe ſeptem. Alij nouem cum prima tonſura. Alij decem cum Pſalmiſtatu. Sed conformius eſt Concil. Tridentino eſſe octo cum Epiſcopatu. Quia ſeſſ. 23. cap. 4. docet præter cæteros eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos ad hunc hierarchicum ordinem præcipuè pertinere. Prima opinio in eo ſenſu intelligenda eſt, quod non ſolent, vt plurimum niſi ſeptem vni homini conferri. Aliæ vero loquuntur de ordine late ſumpto vocabulo, pro deſignatione ad aliquid in eccleſia gerendum, non propriè. Quia proprie eſt quo datur poteſtas ad peculiare officium ordinatum ad celebrationem Euchariſtiæ. Sed in Epiſcopatu datur poteſtas ad ordinandos patres conficientes Euchariſtiam, & ad confirmandum, & ad alia quæ non poſſunt inferiores, ergo Epiſcopatus abſolute, & proprie eſt ordo eccleſiaſticus.

Dubium eſt inter doctores, an omnes ſeptem ordines ſint ſacramenta. In qua re certū eſt ſacerdotium eſſe ſacramentum. Quia concilia definiunt per ordinis ſacramentum conferri Spiritum ſanctum, ſed nullus ordo eſt præſtantior ſacerdotio, ergo hoc maxime fit per illud, ergo eſt ſacramentum, de alijs quāuis ſint opiniones tenendum eſt cum communi omnes eſſe ſacramenta. Quia Concil. Florentii. Definiens ordinem eſſe ſacramentum, de ſingulis ſeptem explicat materiam eſſe, quę traditur ab Epiſcopo, & formam verba. Et ſufficit praxis eccleſiæ, cuius non inuenitur initium, quod eſt ſignum eſſe traditionem Apoſtolorum. Ex quibus confutantur opiniones contrarię, aſſerentes minores ſolum eſſe ſacramentalia, vel in ſolo ſacerdotio eſſe completam rationem ſacramenti.

Diſputant etiam, an Epiſcopatus ſit ſacramentum, & character diſtinctus a ſacerdotio. In quo veriſimilius ſentiunt aſſerentes eſſe diſtinctos, quam dicentes eſſe vnum, & eūdem, extendique characterem ſacerdotalem, quando quis fit Epiſcopus. Imò videtur, de fide quamuis non ſub ijs verbis declaratum ſit ab eccleſia. Patet ex Tridentino dicente, ad hierarchicum ordinem pertinet Epiſcopatus. Tum quia character datur ad

fun-

functionem, ſed Epiſcopatus habet actum, & functionem, quam non poteſt præſtare ſacerdotalis, ergo eſt diſtinctus character. Quod in contrarium obijcitur ſequi, Epiſcopum poſſe per ſaltum ordinari, ſi eſſet diſtinctus, non obſtat; dicimus enim non ſequi de lege ordinaria, quia effectus ſecundum illam non eſt perfectior cauſa, atqui poteſtas ſacerdotis inteſiue eſt perfectior, ergo talis ordinatus per ſaltum abſq; ſacerdotio, non eſſet Epiſcopus ſi quidem non poſſet ordinare ſacerdotes ſe perfectiores, at per vtrumque characterem poteſt ordinare, & ſuperior eſt.

Circa ordinationem Sacerdotis ſentiendum eſt cum communi doctorum fieri per traditionem patenę, & calicis cum pane, & vino, & verbis illis accipe poteſtatem offerendi ſacrificium, &c. quibus ſimul confertur poteſtas in corpus Chriſti miſticũ cũ poteſtate, in corpus Chriſti verum, quæ principalior eſt. Nam Conci. Florentin. explicans materiã, & formam ſacerdotij non facit mentionem, niſi illorum verborum, ergo poſteriora, quæ profert Epiſcopus ordinans, nempè quorum remiſeritis peccata, &c. non ſunt de neceſſitate Sacramenti, ſed ſolum de præcepto, tanquam declaratiua poteſtatis, quæ etiam datur. Nam ſi Epiſcopus impediretur a prolatione poſteriorum, ordinatus ſine dubio eſſet ſacerdos, ergo haberet poteſtatem ordinis. Item dicẽdum eſt Apoſtolos hac eadem forma ordinaſſe, quãuis id non legatur ſicut de confirmatione; manuum vero impoſitio, nunquam fuit iudicio eccleſiæ neceſſaria ad ſubſtantiam Sacramenti; Chriſtus vero potuit aliter creare ſacerdotes, in nocte cęnę cõferendo poteſtatem conſecrandi, & poſt reſurrectionem poteſtatem remittendi peccata.

CIRCA ordinationem Diaconi dicendum eſt cum communi ſententia perfici per traditionem Euangeliorum, & verba. Quia ita definitum eſt in Concilio Florentino. Vnde opiniones contrariæ ſuſtineri non poſſunt, neque licet amplius dubitare, vt eorum, qui aſſerunt fieri per manuum impoſitionem, & per illa verba; & illa verba, Accipe Spiritum ſanctum ad robur; & aſſerentium non eſſe proprium actum Diaconi legere Euangelium. At vero antequam Euãgelia fuiſſent conſcripta, ex ſpeciali Chriſti voluntate Apoſtoli poſuerunt aliter ordinare. Vel dicendum, quod doctrina Chriſti, & opera aliquomodo ſcripta legebantur, dum res diuina agebatur, antequam Canonica ſcriptura ederetur, & ita ſemper Euangelia fuerunt materia Diaconatus. Item cum communi ſentẽtia dicendum eſt ordinationem ſubdiaconi conſiſtere in traditione calicis, & patenæ vacuæ, cum verbis. Quia ita docet Conci. Floren. Nam tunc fit ordinatio, quando traditur ordinando res per cuius vſum deſeruit ſacrificio Miſſæ; atqui ſubdiacono traditur calix cum patena, & non Diacono, & portat ad ſacrificium; ergo hæc eſt materia. Acolythus ordinatur in traditione vrceolorum vacuorum. Exorciſta in traditione exorciſmorum. Lector in traditione lectionum. Oſtiarius in traditione cimbali, & clauium. Diſputant doctores; An ſit neceſſarius contactus materiæ, de quo tutius eſt, & probabilius cum S. Tho. & Caiet. requiri contactum, quamuis alij contra ſentiant Nam vſus hoc oſtendit. Epiſcopus enim dicit, accipe; ergo indicat eſſe neceſſarium accipere. Et quia in reliquis Sacramentis eſt neceſſarius contactus. Nam ſunt actiones, vel paſſiones, atqui actio, & paſſio ſunt relata, & ſimul, & ordinans eſt agens, & dicit accipe; ergo ordinatus

natus, qui eſt patiens debet accipere. Vnde omittens contactum peccat mortaliter, quia eſt res præcepta in Pontificali, & grauis. Sequitur requiri in ordinatione ex parte Epiſcopi oblationem materiæ, & prolationem formæ, & ex parte ordinandi, contactum materiæ, & ſimultatem contactus cum prolatione formæ, non quidem mathematicam, ſed moralem, ideſt, quod ſtatim ſequatur prolationem formæ. Quia traditur per verbum imperatiuum, at imperatiuũ verificatur, ſi ſtatim fiat quod imperatur.

Circa miniſtrum doctores aſſerunt minorum ordinum poſſe eſſe Cardinalem, Presbiterum, & Abbatem; omnium vero ordinarium eſſe Epiſcopum in quo eſt ius ordinandi iure diuino, abſque conſenſu populi, vt definitur a Triden. ſeſſ. 23. & oppoſitum eſt damnatum. c. 4. & Cano. 7. quia illis ſolum dictum eſt: ſicut miſit me pater, & ego mitto vos, ergo cum poteſtate mittendi alios. Vnde Apoſtoli Epiſcopos creabant, & mittebant ad remotos populos, ſine cõſenſu populorum. Neque conſentaneum eſt oues eligere paſtorem, ſed obtemperare. Quod ſi aliquando voto populi electi ſunt, factum eſt ex conceſſione Pontificum, vt diligerentur miniſtri; quæ conſuetudo ad tẽpus fuit tolerata, ſed propter inconuenientia, omnino ſublata, remanente tantum, vt poſſint de dignitate, aut indignitate ordinãdorum teſtificari, vt modo fit, cum Archidiaconus clamat, ſi quis habet aliquid aduerſus ordinandos dicat. Et ſic ſunt Canones intelligendi dicentes populum habere poteſtatem eligendi, & non eligendi ſacerdotes, nempe per teſtimonium, non per ſuffragium. Docent ſecundo Theologi ad ordinandum, licite, requiri eſſe in gratia, & non eſſe cenſura aliqua ligatum. At vero ad ordinandum valide, etſi ordinans ſit in mortali, & cenſuris ligatus, immo etiam ſi ſit hæreticus, aut apoſtata ſi ſeruet neceſſaria ex vſu eccleſiæ valide ordinat. Tamen a talibus ordinati peccant, & fiunt irregulares. Item ad ſuſcipiendum ordines valide ſufficit, eſſe maſculum, & baptizatũ, quamuis ſit infans, vel inſanus, ſecundum certam ſententiam doctorum cõtra Durandum. Nam vſus rationis, non requiritur ad ſacramentũ, quo datur potentia, vt videre eſt in baptiſmo, ſed ſolum ad ſacramentũ, quod conſiſtit in conſenſu, vt matrimonium. Atqui ordinatio cõſiſtit in potentia; ergo valide ſuſcipitur, abſque rationis vſu. Et ſufficit intentio eccleſiæ, quæ interpretatiue eſt ſuſcipientis, quando non repugnat propria voluntate. Vnde ſine fundamento dicitur non ſufficere interpretatiuam, niſi in neceſſarijs ad ſalutem. Tandem ad ſuſcipiendum ordinem valide, & licite, multa requiruntur, ſcilicet ætas ſufficiens, bona conſciẽtia, ordinarij licentia, libertas, integritas mentis, & corporis, bonum teſtimonium morum, ſcientia ſufficiens, & nulla cenſura eſſe ligatum ordinantem, & ordinandum.

Circa exemptionem Clericorũ, doctores in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt. Cõueniunt in hoc quod non ſunt exempti a vi directiua legum ciuilium conuenientium; ſed a vi coactiua, iure eccleſiaſtico, & ciuili.

Primum patet ex illo eſtote ſubiecti omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi quaſi præcellenti; Et quia ius naturale dictat partes cõformari cum toto in ſpectãtibus ad bonum commune, ſed Clerici ſunt partes, & membra Reipublicæ, ergo tenentur ſequi directionem totius. Sicut, & Princeps tenetur ad legem

ab

ab ipſo latam, non vi legis, ſed vi rationis, quamdiu non eſt abrogata, neque habet iuſtam cauſam ſecum diſpenſandi; quia eſt pars corporis politici.

Secundum eſt contra hæreticos damnatos in Concilio Conſtan. aſſerentes debere eſſe ſubiectos ſeculari poteſtati, & eſſe diuino iure. Exemptio perſonarum probatur ex Concilio Calcedonen. & Carthagi. 3. & Tolet. 3. & Caio Papa, & Gregorio a quibus decreta eſt. Immo, & Iuſtinianus Imperator eximit Clericos in ciuilibus. Ratio eſt, quia abſurdum eſt ſuperiorē iudicari a ſubditis, atqui Clerici ſunt iudices ſpirituales Laicorum, ergo liberi eſſe debent ab eorum iudicio. Tum quia abſurdū eſt ſuperiorem regi ab inferiori, vt animam a corpore patres a filijs, paſtores ab ouibus. Item Exemptio quantum ad bona, & cauſas ſtatuta eſt in Concilio Latera. Differūt tamē doctores in illo puncto, an iſta exemptio ſit de iure diuino. Sunt enim Theologi id negantes, ſed ſolum eſſe de iure humano eccleſiaſtico non autem diuino, niſi exemplariter, hoc eſt eſſe eius exemplum in veteri Teſtamento. Oppoſita tamen ſententia eſt communis Canoniſtarum cum Driedo. Almaino Angelo Illuſtriſſimo Belarmi. Valen. & alijs Theologis melius ſentientibus. Patet ex Trident. ſeſſ. 25. cap. 20. dicente, immunitatem eccleſiaſticorum Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus eſſe conſtitutā; atqui proprie Dei ordinatio eſt diſtincta a Canonibus humanis, ergo eſt diuini iuris ordinatio, & non ſolum exemplariter. Secundo ius diuinum appellatur, quod eſt expreſsū in Sacra Scriptura, vel deducitur per bonam conſequentiam, ſed immunitas clericorum deducitur ex ſcriptura. Nam Deus magis vult honorari miniſtros noui Teſtamenti, quam illos veteris legis, quia excellentior, & ſacratior eſt vnctio Sacerdotū, & Leuitarū (inquit D. Leo.) At Scriptura laudat exemptos eſſe Sacerdotes, & Leuitas antiquos, etiam ethnicos. Nam Numero. 1. 3. & 18. Leuitæ ſubijciuntur Aaron, & filiis, ita vt nullum ius haberet ſecularis poteſtas. Et Perſarum Rex Eſdræ. 1. voluit Miniſtros domus Dei liberos eſſe a tributo. Et Geneſis 47. Cum fieret tributaria tota terra Aegypti liberati fuerunt ſacerdotes, ergo iure diuino ſunt liberi. Hoc argumento vtitur Alex. III. habens pro abſurdiſſimo ſacerdotes Chriſti deterioris conditionis reputare, quam Sacerdotes Pharaonis. Tertio ex verbis Chriſti, qui interrogatione quadam, & illatione docuit filios Regis liberos eſſe cum familia ſua a ſubiectione ſubditorum, Matth. 17. tamen præcepit ſolui didrachma ad vitandum ſcandalum, dicens Petro capiti domeſticorum, ſolue pro me, & te, alioqui ſi domeſtici Chriſti non fuiſſent exempti dixiſſet ſolue pro me, ne ſcandalizem; atqui clerici ſunt ſeruitores domus Dei, & eius domeſtici, ergo exempti a ſubiectione aliorum, ſecundum Hieron. & Auguſtinum ſuper illum locum. Vnde blaſphemus error eſt Marſilii de Padua, Chriſtum ſoluiſſe ex obligatione. Item dicendum eſt non ſolum eſſe de iure diuino poſitiuo, ſed de diuino naturali. Nam iuris naturalis eſt, quod euidenter ex dictamine rationis deducitur, vel ratiocinatione admodum probabili in qua gentes facile conſentiunt, ſed exemptio clericorum ex illis deducitur, vt ſupra dictum eſt, ergo de iure naturali. Illud non obſtat omnis anima poteſtatibus, ſublimioribus, ſubdita ſit, nam explicatur per illum locum obedite præpoſitis veritatis; ſæcularis præpoſitis ſæcularibus, ec-

Val. to. 4

cleſiaſticus eccleſiaſticis obediat? Quia non eſt ſenſus Apoſtoli, quod in omnibus ſubijciantur poteſtatibus, ſed in temporalibus;at in ſpiritualibus,ſuperioribus ſpiritualibus. Et quamuis de facto præciperet inferioritatem male infertur eſſe iure debitam, ſed ſolum permiſſam pro tunc,vt facilior eſſet aditus prædicationi Euangelicæ,quando Principes erant infideles, & poſt,permiſſione Pontificum non iure aliquo; Et hoc ſibi volunt leges ciuiles ab aduerſarijs adductæ.

De cœlibatu, ſententia communis doctorũ eſt, non eſſe de iure diuino votum continentiæ ſacris ordinibus annexum, ſed de iure eccleſiaſtico. Quia Concil.Tridenti. ſeſſ. 24. Cano.9. legem eccleſiaſticam illam vocat. Et quia in lege diuina, eccleſia diſpenſare non poteſt, atqui cõceſſit, Græcis Sacerdotibus vſum matrimonii contracti ante ordines, ergo non eſt lex diuina: Et quia ratio ſolum docet in Dei miniſtris puritatem a peccato, at vſus matrimonii cum ſit a Deo inſtitutus, non eſt peccatum,ergo non eſt de iure diuino. Vnde ex illo oportet Epiſcopus cõtinentem eſſe, ſolum ſequitur eſſe Apoſtolicum pręceptum.Secus eſſet ſi traderetur ab Apoſtolis præceptũ de aliquo Sacramẽto, hoc enim nõ poteſt eſſe, niſi ex inſtitutione diuina. Hinc doctores docẽt,eſſe legem Apoſtolicã, a temporibus Apoſtolorum decretam contra hæreticos dicentes eſſe nouam, nec in primitiua eccleſia, neque a Græcis receptam. Patet ex illo;oportet presbiterũ continentem eſſe, hoc eſt abſtinere ab vxore, vt interpretatur D. Hierony. Item eſt inſigne teſtimonium Conc. Carthagin.ſecundi;Decet Sacerdotes, & Leuitas,& eos qui deſeruiunt diuinis Sacramẽtis,continentes eſſe in omnibus, vt poſſint quod a Deo poſtulant impetrare, & quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas nos quoque cuſtodiamus. Et Cano, Apoſtolo.27. Solis Cantoribus, & Lectoribus conceditur ducere vxorem.Canon vero quem obijciunt Stephani Papæ, ordinatos in Orientali Eccleſia,poſſe ducere vxorem, eſt praua Canonis interpretatio; Vera autem eſt, quod vxoratus in Orientiali ordinari poteſt, & vti vxore, in Occidentali Eccleſia non. Senſus aliorum Canonum eſt non eſſe relinquendas vxores, tanquam ſit damnabile matrimoniũ. Verum eſt olim fuiſſe permiſſum habere domi vxorem,conuerſam tamen, cum perpetuo voto cõtinentiæ,quod Sancti Epiſcopi fecerunt, vt illarum curam gererent. Neque eis vſi ſunt.Itẽ aliquando cum licentia Epiſcoporum Diaconi, & Subdiaconi vxores acceperunt, ſed hæc facultas ſublata eſt iam Epiſcopis. Tertio aſſerunt doctores rectiſſimam,& conuenientiſſimam eſſe hanc legem. Contra tres errores; Primus Græcorũ,quod eſt ducenda vxor, & poſtea ordinandus. Secundus hæreticorum huius temporis licere poſt ordinationem contrahere.Tertius non eſſe malam legem, tamen eſſe conuenientius eis permittere coniugium. Contra eſt lex apoſtolica,ergo optima. Secundo Apoſtolus pręcipit coniugatis abſtinere,vt vacent orationi, ergo Dei miniſtris recte præcipitur abſtinere perpetuo, qui perpetuo,& diligẽtius orationis vacare debent. Tertio in veteri lege erat præceptum abſtinendi a mulieribus ijs, qui ſacra erant tractaturi,patet Luce 1. Nam ſacerdotes per vices miniſtrabant,& toto tempore vicis ſuæ a domo, & vxoribus ſeparati erant, ergo a minori ad maius,rectiſſimè ſancitum eſt, miniſtros noui Teſtamenti perpetuo continere, quia miniſterio ſacro perpetuo

tuo vacāt. Quartō probatur cōſenſu orientalis, & occidentalis eccleſiæ, quæ hanc legem ſtatuit propter eius conuenientiam in Concilijs Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, Africę, Germanię, & in Niceno in quo, ſtatutum eſt ne cohabitarent cum mulieribus. Vnde ſexcentis annis poſt Chriſtū non fuit hic mos in Græcia, quem nunc ſeruant poſt ſynodum Trullanam a qua introductus eſt. Quinto ꝓbatur
Val.to.4 ex ſummis Pontificibus, Clementē, Caliſto, Siricio, Innocen. I. Leone, Zacharia, Gregorio, de quibus non eſt credendum legem ſtatuiſſe non conuenientem. Sexto ex Sanctis Patribus, Græcis, Orige. Epipha. Chryſ. Cyrillo. Et ex Latinis, Ambroſio, Hier. Beda. Ratione probatur conuenienter, & bene prohibetur clericis, quod impedit officium illorum, ſed matrimonij vſus impedit eorum officia, ſcilicet orationem contemplationem, ſacrificium, docere, ſacramentorum adminiſtrationem pauperum curam. Patet primo diſtrahit animum, & hebetat mentem, vt Philoſophi dicunt, & Apoſtolis, nam ad orationem præcipit abſtinere, ergo impedit orationem. Item impedit ſacrificium, quia petit maiorem puritatem, quam coniugatorum, vt cogitent ſicut innupta, quæ Domini ſunt, & ſint ſancti corpore, & ſpiritu liberi ab illa turpitudine, quam habet licet non ſit peccatum, vt Auguſtinus docet 14. de ciuita. Dei. Rurſus coniugati non poſſunt cum efficacia perſuadere continentiā, quam ipſi non ſeruant, ergo impedit exhortari perfectè ad virtutes. Item impedit reuerentem adminiſtrationē ſacramētorum, quia ad eam, magnam oportet eſſe differentiam inter dantes, & recipientes, ne deueniatur ad tantum contemptum, vt laici præſumant adminiſtrare, quod parum ſit diſcriminis inter eos, & ſacerdotes, ſicut deuentum eſt de facto in Germania tempore Greg. Septimi. Tandem impedit curam pauperum, & ſpiritualem paſcendi. Nam qui liberis dant operam oportet diuitias illis congregare, & ſic non poſſunt ſua largiri. Et ſollicitudo de illorū educatione impedit curam paſcendi ſpiritualiter, & prædicandi, ergo conuenienter prohibetur. Confirmatur ex Apoſtolo 1. Corin. 7. Cupiebam omnes eſſe ſicut me ipſum. Rationē adiungit, vt facultatem præbeat, ſine impedimento Dominum obſecrandi, ergo vſus matrimonij impedit Dominum obſecrare. Vnde apud doctores certum eſt Apoſtolos vxoratos, poſt vocationem ad Apoſtolatū, abſtinuiſſe, probatur ex illo ecce nos reliquimus omnia. Quod obijcitur matrimonium eſſe de iure naturali, diſtinguendum eſt, ſi ſenſus ſit, hoc eſt omnibus licet abſolute verum eſt, non tamen ſupoſito, quod ſit clericus. Si ſenſus ſit omnibus iure naturali præceptū eſſe falſum eſt, Nam non obligat ſingulos, ſed ſolum curam habentes reipublicę, vt prouideant, ne deſit ad conſeruationem generis humani. Illud Apoſtoli vnuſquiſque ſuam vxorem habeat, permiſſiue intelligendum eſt non pręceptiue, cum ipſe de virginitate conſilium det. Neque eſt vnicum remedium libidinis, immo præcipua ſunt ieiunium, oratio, abſtinentia, vitare familiaritatem mulierum, & vagum aſpectum, & vtentibus ijs remedijs non eſt difficillima perpetua continentia. Nam quilibet poteſt cum Dei gratia continentiam ſeruare. Hęc de ſcholaſticis.

DE INSTITVTO MINISTRORVM CHRISTI.

Secunda Libri Pars.

EX ſupra adductis Scripturis Canonibus, Concilijs, & Sāctis doctoribus colligi poteſt Inſtitutum miniſtrorum noui Teſtamenti, In communi quidem quia de iure naturæ eſt ſacerdotes eſſe ad cultum externum Deo debitum tanquam ſupremo Domino præſtandum. Inſtitutum omnium adminiſtrorum Dei, præcipue Sacerdotum, erit Deum colere, & venerari, reſque diuinas tractare; ad quod non omnes ſunt apti. Quod patet etiam ex definitione, Sacerdos enim eſt vir dicatus ad Deum colendum reuerentia interiori, & exteriori, præſertim ſacrificio, laudibus, & Sacramentis ergo ſacrificare, Deum laudare, diuina conficere, & populo tradere, aut hæc opera adiuuare erit Miniſtrorum Dei inſtitutum. In ſpecie Inſtitutum Euangelicorum miniſtrorum colligi poteſt ex fine propter quem Chriſtus Dominus primos Clericos ordinauit. Eſt autem ille idem propter quem miſſus eſt Chriſtus, vt ſaluetur mundus per ipſum. Elegi vos, vt eatis, & fructum afferatis, & fructus maneat. Et ſicut miſit me pater, & ego mitto vos, quorum remiſeritis peccata remittūtur, & prædicate Euangelium, baptizantes, &c. Igitur cum Apoſtolos, & 72. duos diſcipulos Chriſtus, tanquam operarios meſſis Domini ordinauerit ad conuertendum mundum ad fidem, & obſeruantiam Euangelij, & in ea conſeruandos, & augendos homines; ad ſalutem æternam, vt patet ex legibus prædicationis ab eo datis; Intentum clericorum erit non ſolum Deum colere, & venerari, & diuina agere; ſed etiam huic operi humanæ ſalutis incumbere verbo, exemplo, ſacramentorum exhibitione, alijſque officijs iuxta cuiuſq; gradum. Quia ſucceſſores illorum ſunt. Nam Eccleſia non intendit in miniſtrorum creatione aliud facere, quā Chriſtus. Item ſequitur ad Clericorum inſtitutum, ſed maximе Sacerdotum pertinere, eſſe interceſſores inter Deum, & homines. Ideo Catechiſmus illos Dei interpretes, & internuntios appellat, & hanc eſſe præcipuam illorum functionem, qui Dei legem, & vitæ præcepta tradunt; & ex parte populi petitiones, laudes, & ſacrificia offerunt. Hæc de Inſtituto.

Sequitur Inſtitutio, quæ duplex tradenda eſt, vna generalis omnium Clericorum. Altera ſpecialis curatorum; ſed primo iaciendum eſt fundamentum cum Pet. de Soto Clericorum cordibus infigendum, ratione ſacrorum ordinum ad maiorem ſanctitatem teneri, quam Monachos, & laicos. Quia ſecundum Diony. Areopagitam libro de Eccleſiaſtica Hierarchia altiorem locum habent in Eccleſia Dei, nempe purgantium, illuminantium, perficientium. Vnde Apoſtolus dixit, oportet presbiterū irreprehenſibilem eſſe ergo tenentur ad omnia peccata vitāda, ne poſſint reprehēdi, & ad omnes virtutes magis,

gis, quam laici. Tum quia per ordines cõſtituti ſunt inſtrumenta Chriſti, quibus mediantibus gratiam diſpenſat, ergo iniuriam magnam inferũt Chriſto, & miniſteria eius profanant, nõ ſolum ea ſordidis a nimis tractando, ſed etiam indigne viuendo Chriſto cui conſecrati ſunt. Quia eſt abuti inſtrumẽto Chriſti ad contrarium omnino vſum, quam dedicatum ſit. Propter quod S. Thom. aſſerit grauius peccare clericum in ſacris agendo aliquid contrarium ſanctitati, quam monachum, & ſacrilegium iudicari poſſe. Ne facile ſibi blandiantur de habitu, aut vulgi æſtimatione.

Quo ſuppoſito ad multa clerici obligantur diuino, & humano iure, ſed magis ad quaſdam virtutes ipſis maxime proprias, & neceſſarias quas ad Timo. & Titũ docet Apoſtol. vbi ſub nomine Epiſcoporũ, & Diaconorũ proprie oẽs miniſtros Chriſti inſtruit docens ad quid natura ſacrorũ ordinũ iure diuino obliget. Quibus concilia, & patres multa addiderũt, quæ in iure Canonico ſtatuuntur. Et licet poſitiua iura videantur nõ ſunt aliud quam explicatio, & determinatio diuini iuris. Quare illæ epiſtolæ Apoſtoli, & D. Hiero. ad Nepotianum, & Paſtorale D. Grego. ſunt ante oculos habenda. Quæ ad tria capita ſequentia reduci poſſunt.

INSTITVTIO CLERICORVM *præcipue Sacerdotum.*

Clericus ad tria tenetur ratione ordinis.

Erga Deum eſſe maximè religioſus, atque deuotus.

In ſeipſo perfectè caſtus, & maximè temperatus.

Item modeſtus, ac mortificatus in affectibus, & ſenſibus.

Erga homines exemplaris miſericors, & iuſtus ab omnique auaritiæ ſuſpicione alienus.

Hæc tria colliguntur ex ſupra adductis in prima parte huius lib. iiſq; & ex ſequentibus probantur, & explicantur.

Primo deuotio, ac religio magna, non vulgaris erga Deum complectitur ſacrificium, laudes, ac preces, ſacramentorum adminiſtrationem, & alias virtutes interiores, vt Theologicas, atque etiam exteriores ad recte formandum animum in Deum, quæ ſunt media ad conſequendam illam maximam religionem, & deuotionem. Vnde Pet. Soto concludit ex natura ipſorum ordinum, ſiue diuino iure teneri ad aſſiduè orãdum meditandum, contemplandum cæleſtia, ac diuina, & ad exercitia pietatis, quæ ſunt media ad illa, vt ad lectiones, meditationes, vigilias. Patet, quia ſine iſtis illa haberi nõ poſſunt. Quod ad ſacrificandũ teneatur probatur ex illo facite in meam commemorationem, & ex Apoſtolo, omnis Pontifex, ex hominibus aſſumptus conſtituitur, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis, & ex Tridentino. ſeſſ. 23. cap. 1. Paſtores tenentur diuino mandato pro ouibus, ſibi cõmiſſis ſacrificia Deo offerre. Item omnes teneantur diuina per ſe obire. Et Epiſcopo Pontificalia exercenti inſeruire. Et in choro Deum deuote laudare, ſeſſ. 24. cap. 12. Et ſeſſ. 23. c. 16. Nullus clericus incertis vagetur ſedibus, ſed in eccleſia pro cuius neceſſitate, vel vtilitate ordinatus eſt ſuis fungatur muneribus. Tum quia poteſtas non datur, vt ſit otioſa; Immo ſecundum Chryſ. vniuerſus mundus eſt ſacerdoti concreditus, vt bona omnia impetret, & mala auertat. De oratione probatur ex illo, oportet ſemper orare. Et ex Apoſtolo, ſine intermiſſione orate. Quæ magis

obli-

Vide Belarm. Pſ. 131. de off. Sacerdotis.

obligāt clericos. Et ex illo, fiant orationes, obſecrationes, poſtulationes gratiarum actiones pro omnibus hominibus, ſed maxime pro his, qui in ſublimitate ſunt, vbi de publicis loquitur. Idē ꝓbatur, quia ordinantur, vt interceſſores ſint inter Deum, & homines, ergo tenentur de iuſtitia orare pro populo. Quia ſunt legati, miſſi ab vniuerſa eccleſia ad Deum. Nam cum omnes propter vitę impedimenta aſſidue orare non poſſint, naturali, & diuina diſpenſatione factum eſt, vt aliqui adhoc deputarentur, & communibus ſtipendijs alerentur, & iſti ſunt clerici. Item obligantur adhoc propter bonum proprium. Quia caſtitas, & ſanctitas clericalis vitę, abſque aſſidua oratione, & lachrimis non obtinetur. Hoc ius diuinum a ſacris Canonibus, titulo de celebra. Miſſa. determinatum eſt ad ſeptem horas canonicas quotidie recitandas ad quas ſtudioſè, ac deuotè dicendas teneantur. Sed non eſt exiſtimandum ſola verbali prolatione diuini officij ſatisfactum eſſe diuino iuri de orando, ita vt tuta conſcientia poſſint reliquum tempus rebus ſæculi impendere. Poteſt enim impleri præceptum eccleſiæ, & non impleri ius diuinum, vt in eo, qui ſemel in die ieiunij veſcitur cibis permiſſis tamen vſque ad crapulam, & ebrietatem. Sequitur ergo præter diuina officia teneri ad lectionem, & meditationem, tanquam media ad illa recte præſtanda. Quod ſuadetur ex illo Hiero. Nunquam de manibus tuis ſacra lectio deponatur. Et ex Apoſtolo, attende lectioni doctrinæ, hæc meditare, in ijs eſto, hoc enim faciens, & te ſaluum facies, & eos, qui te audiunt. Ergo non tantū ad alios docendos, ſed ad propriā ſalutem putat Apoſtolus iſta eſſe neceſſaria. Tū quia ſunt media ad puritatem animę ad quam tenentur. Lectio namque, & meditatio vitia carnis cōprimunt, mundana deſideria mitigant, animum formant ad diuina. Adoleſcentes vero minuſque exercitati, indigent præterea inſtructione, & conuerſatione ſpiritualium virorum. Vnde infert Petr. Soto, indignum eſſe eccleſiaſticos in iocis, ludis, otio vitā tranſigere, neque eſſe tutos, niſi aſſidue legant Sacram Scripturam, aut pios libros ad morū inſtructionem, cui coniūgi debet meditatio, & oratio; hiſque adquiritur ſana doctrina, quam in clericis poſtulat Apoſtolus, vt poſſint exhortari, & contradicentes arguere, quod confirmat, ac renouat Triden. Conci. dicens, Quæ de doctrina clericorum canones decreuerunt retinenda eſſe. Quod teneantur ad ſacramentorum adminiſtrationem patet, quia diſpenſatores miſteriorum Dei appellat eos Apoſtolus. Et Tridentin. declarat eſſe diuinum mādatum, vt paſtores oues ſibi commiſſas ſacramētorum adminiſtratione paſcāt, vbi ſupra; Et quia ſunt inſtrumenta Chriſti, quibus gratiam diſpenſat, ergo ſuo officio fungi debent.

In se ipsis ad caritatem perfectā teneri probatur ex illo Apoſtoli oportet presbiterum continentem eſſe, pudicum, ſanctum. Et ex illo exhibeamus nos ſicut Dei miniſtros in ieiunijs, in caſtitate. Ideo ſtatuerunt Canones ex Apoſtolorum traditione nemini eſſe dandos ſacros ordines, niſi cui cœlibatus placeat, & ad id ſe velit voto obligare. Tū quia eſt medium ad contemplationem diuinorum, & reuerentem ſacramentorum adminiſtrationem, quibus vacare debent. Econtrario oppoſita delectatio obſcurat mentem, & ineptam reddunt ad diuina. Tertio, quia debent arguere impudicitias mundanorum, & exhortari ad continentiam, & virginitatem. Sed quoniam

niam hæc otio, ac negligẽtia ſeruari non poſſunt, & multa poſtulat hæc virtus ad ſui cuſtodiam, propterea concilia, & Sancti Patres, non tam ſuperaddiderunt, quam declararunt eſſe neceſſarium fugere occaſiones, vt cohabitationem mulierum, quæ ſi ſuſpecta ſit cum periculo, aut ſcandalo mortale eſt. Item frequẽtationem Monaſteriorum familiaritates mulierum, dulces literulas, viſitationes, atque ſecreta, vt ſupra ex Conci. Nice. & D. Hiero. ac Iſidoro, traditum eſt. Et Trident. ſeſſ. 25. cap. 14. non ſolum prohibet incontinẽtiam, & punit tanquam turpiſſimam in eis, ſed etiam cum ſuſpectis mulieribus habitare. Rurſus teneri ad temperantiam probatur ex illo Apoſtoli oportet eſſe ſobrium, nõ vinolẽtum. Et quia voracitas, & ingluuies etiam in ſæcularibus reprehenditur, tanquam vitiorum incentiuum, ex qua opera carnis ſequi ſolent, vt dixit Auguſtinus, ergo magis vitãda ſunt a clerico. Econtrario ex abſtinentia prodeunt caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, vt D. Leo. ait. Vnde iſta colligata ſunt; temperantia eſt neceſſaria ad caſtitatem; caſtitas, & temperantia ad contemplationẽ, & orationem, & ſacramentorum participationem, & exhibitionẽ, quę ſunt altiſſima clericorum officia. Idcirco Canones conſequenter prohibent illis vitia cibi, & potus. vt conuiuia inhoneſta, compotationes, riſus, plauſus inconditos, inanes fabulas, tabernas, vinolentiam, crapulam, iocos, laruas, luſus, detractiones, contentiones. In quo laude dignus refertur Epiſcopus quidã Veronenſis ſollicitus de ſuorum clericorum bono exemplo, quibus præcepit, ne in ſuis conuiuijs proponerẽtur plura, quam tria fercula, & benedictio, gratiæ, & ſacra lectio miſcerentur. Item verbo illo ſobrietatis, nõ ſolum immodica quantitas, ſed qualitas etiam delicata, & ſplendida menſa interdicitur. Nam de Altari viuere non luxuriari clericus debet, inquit, Auguſt. & Hiero. ad Nepotia. Et Tridenti. ſeſſ. 25. iubet Epiſcopos contentos eſſe debere modeſta, ac frugali menſa. Immo ieiunia a Moyſe, Helia, Baptiſta, & Chriſto Domino, maximè culta clericis commendantur, vt nuper ex Apoſtolo dicebamus. Neque ſolum ſobrietas in victu verum etiam in indumento, & exterioribus requiritur, ne fulgidis, aut ſuperfluis vtãtur veſtimentis, vt patet ex titulo, de vi. & hon. cler. ſupra adducto. Vnde iuxta Triden. vbi ſupra, licet decenti veſtitum vti debeant, tam in eccleſia quam extra eccleſiam, cauendum tamen eſt, ne quid ſit in domo, vel in toto vitę genere, quod humilitatem, & mundi contemptum non oſtendat. Ergo neceſſaria eſt temperantia maior, quam ſęcularium, in clericis tanquam ſocia, & comes indiuidua caſtitatis.

3 Item modeſtiam eis eſſe neceſſariã probatur ex Apoſtolo, nõ percuſſorem, non iracundum, ſed modeſtum, & cum modeſtia corripiẽtem. Et ſeruum Dei non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes docibilem patientem. Et ex Tridentino. Ita debent moderari clerici verba geſtus, inceſſus & omnes actiones, vt nihil niſi graue moderatum, ac religione plenum præſeferant. Quæ virtus eſt maxime propinqua, & ſocia deuotionis, ac religionis ſacratorum hominum. Tum quia debent reprehẽdere cõtraria vitia, vt inimicitias, cędes, iram, lites, & pacẽ ſuadere. Et propterea hæc vitia illis prohibentur a ſacris canonibus, immo, & occaſiones vindictę, qualis eſt arma portare. Sequitur ad modeſtiam pertinere refrenationem linguæ, iuxta illud, non refrenantis linguam

vana eſt religio. Verbum enim miniſtrorum Dei debet eſſe ſanum irreprehenſibile ſecundum Apoſtolum, non ſcurrilitas ſtultiloquium, aut turpitudo. Probatur etiam ex Trid. Leuia etiam delicta effugiant, quæ in ipſis maxima eſſent, inquit. De mortificatione probatur ex Apoſtolo; mortificate membra veſtra, quæ ſunt ſuper terrã, ad quod magis tenentur clerici.

Ad bonum exemplum erga verſus homines teneri, probatur ex illo Apoſtoli in omnibus te ipſum præbe exemplum bonorum operum. Perpende verbum illud, in omnibus, ergo non ſufficit in aliquibus tantum exemplares eſſe. Eodem generali verbo vtitur Tridenti. ſeſſ. 23. Paſtores tenentur paſcere oues ſuas bonorum omnium operum exemplo Idem ſeſſio. 14. docet alio æquiualenti loquendi modo, Epiſcopi, inquit, doceant clericos, vt conuerſatione, & ſermone commiſſo ſibi populo præeant. Vbi obſeruanda eſt vis illius verbi præeant, quaſi modus eundi in proceſſionibus eccleſiæ vexillo crucis, præeunte cum propinquis Deo dicatis, ſubſequẽtibuſque laicis, ſymbolum ſit exempli a clericis exhibendi, prçeundo in omnibus bonis operibus ad cçleſtem patriam, vt eos tanquam duces, ſeu ductores populus ſequatur. Quare primus in eccleſia debet adeſſe clericus, prçire debet in oratione, anteire in audiendo verbo Dei, in frequentia ſacramentorum, in ieiunijs, & carnis mortificatione, in operib. miſericordię, præire in remittendis iniurijs, in cõtemptu ſæculi, & deſiderio cçleſtis beatitudinis, denique in obſeruantia diuinæ legis, & hoc eſt præire populo bonumque exemplum præbere, inſtar magiſtrorum, qui docent ſcribere, obijciunt enim ante oculos ſcripturam optimis characteribus formatam, vel coram diſcipulis ſcribentes viſendos ſe exhibent, vt eos imitentur, & boni ſcriptores euadant. Et forte hac de cauſa inter alia, clerici habitant inter ſæculares, non ſine diuina prouidentia ſparſi, in ciuitatibus, & populis, vt ſint tanquam libri ignorantium, & illiteratorũ, in quorum verbis, & operibus vultu, & geſtu, quaſi legant chriſtianam vitam fide, & operibus formatam tanquam exemplum imitandam. Quod ſi miniſtrorum Dei opera æmulãdo homines errauerint, ſignũ eſt exemplar, quod inſpexerunt vitiatum eſſe & potius eſſe exemplar male viuendi. Idem ratio ſuadet, nam debent eſſe viua lex, quod ſi doctor errauerit, quæ reliqua ſpes eſſe poteſt in alijs bene agendi? ſi lux tenebrę ſunt, quid mirum ſi in tenebris homines ambulẽt, & in peccatorum foueam cadant? Vos eſtis lux mundi dixit Dominus clericis in perſona Apoſtolorum; tenemur igitur ad lucis exempla, vniuerſo mundo exhibenda.

Quod ad miſericordiæ opera teneantur facile oſtenditur ex illo Apoſtoli oportet presbiterum hoſpitalem eſſe, & benignum; & ex illo Auguſtini; præter victum, & veſtitum cętera bona clerici pauperum ſunt. Ideo Canones prohibent dare illa conſanguineis. Et ex Tridentino paſtores tenentur pauperum, & miſerabilium perſonarum patres eſſe, & ſollicitudinem gerere circa illos. Et ſeſſ. 25. cap. 8. Beneficiati, tam ſæculares, quam regulares hoſpitalitatem a Sanctis patribus commendatam, benigne, prompte, & frequẽter exercere aſſueſcant, iuxta prouentus. Tum quia ſæculares tenentur aliquando ad opera miſericordiæ, ergo magis clerici.

Probatur etiam ex natura bonorũ eccleſiaſticorum, quæ ſunt oblata Deo ad vſus Eccleſiæ miniſtrorũ, &

pau-

pauperum, in quibus illa recipit, vt ſcripturæ teſtantur, tam ante diuiſionem tempore Apoſtolorum, quam poſtea: atqui Clericus non habet ius niſi ad congruam ſuſtentationem, & pars pauperum non apparet, vbi ſit, ſicut pars fabricæ, ergo mixta mã ſit cum parte Clericorum habentiũ plura quam ſuſtentatio congrua requirat, & conſequenter tenentur eã diſtribuere pauperibus. Quare tenentur eſſe oculus cæco, & pes claudo, neq; ſufficit ſola lectio, ſed larga manu opus eſt, vt ſup. canones docuerũt

De operibus ſpiritualibus patet, ex illo, prædica verbum, argue, obſecra, increpa. Et gaudere cum gaudentibus flere cum flentibus, quod magis obligat clericos. Et ex illo attende exhortationi. Et ex D. Hier. conſolatores potius nos in ſuis mærorib. nouerint, quã conuiuas in proſperis.

Cauete ab omni auaritia Luca 12. Trident. ſeſſ. 21 cap. 1. de reforma.

Ad fugam auaritiæ teneri perſpicuum eſt cum omnibus hoc ſit neceſſarium. Quia cauſat fraudes, dolos, iniuſtitias. Clericum autem oportet eſſe iuſtum ait Apoſtolus, & multis commendat, vt; non turpis lucri cupidum. Item; non cupidum Quia radix omnium malorum cupiditas. Et qui cupiunt diuites fieri incidunt in laqueum diaboli. Ideo Canones ſtatuerunt Clericum vnico beneficio contentum eſſe debere, & pluralitatem fugere. Et prohibent illis mercaturam, & negotia ſæcularia. D. Hiero. repræhendit auare ſectantes lucra nequaquam contentos de Altari viuere, qui poſtquam ad miniſterium Dei acceſſerunt Craſi diuitias congregant. Eſt & alia ſpecialis ratio in Clericis, quia debent reprehendere auaritiam, & iniuſtitias, quæ in negotiationibus committuntur.

Reſtat probandum totam prædictam Inſtitutionem, optimam eſſe, quod ſuaderi poteſt in hunc modũ; Illa eſt optima viuendi forma, & inſtitutio Cleri, quæ docet bene ſe habere in ſuo munere cum Deo. cũ hominibus, & cum ſeipſo iuxta doctrinam Euangelicam, & Apoſtolicam ſacros Canones, Concilia, & ſanctos doctores Eccleſiæ, inſtituentes miniſtros Chriſti. Et iuxta regulam communem Chriſtianorum, quæ docet teſte Apoſtolo ſobrie, pie, & iuſte viuere expectando Aduentum Domini. Et teſte Michea propheta Deus requirit facere iudicium, & miſericordiam, & ſollicitum ambulare hominem cum Deo. Atqui inſtitutio propoſita tribus capitibus comprehenſa talis eſt, vt de ſingulis partibus oſtenſum eſt, ergo optima. Probatur etiã ex cõſenſu Chriſtiani populi cui placent Clerici caſti, deuoti, literati, modeſti, operibus miſericordiæ dediti, temperati, quos veneratur, & extollit, & contraria via incedentes abominatur irridet, & tanquam Sal infatuatum conculcat, & deſpicit. Tandem probatur teſtimonio recentiorum ſcriptorum, qui hoc modo inſtruunt Chriſti miniſtros, vt D. Bernar. D. Dion. Cartuſ. c: 35. de ar. via ſalu. & inſignis piuſque admodum vir. Pet. Soto. lib de Inſtitutione Sacerdotũ, & alij in ſuis ſcriptis ergo eſt optima. Sed quoniam breuitas placet, & ea memoria gaudet; aliquas breues Inſtructiones Eccleſiaſticorum viſum eſt adiungere quibus tradita confirmantur.

Azor. 2. p libro 6. c. 7.

Ex Concilio Tridentino, ſeſſ. 25. cap. 1. refor. colligitur ſequens inſtitutio; fideles inflammantur ad religionem, & innocentiam, ſi videant præpoſitos ſuos, non quæ mũdi ſunt, ſed ſalutem animarum, & cæleſtem patriam cogitãtes, ecce grauiſſimam ſententiam, cui adde, atqui ad inflamandos fideles ad religionem, & innocentiam clerici ordinati ſunt, *vt eorum miniſterio ſalutem conſequantur, vt Cate. docet in ſacramento*

ordi. ergo illorum viuendi ratio erit, Non quærere, quæ mundi ſunt, ſed ſalutem animarum, & cæleſtem patriã.

Ex CATECHISMO in materia de matrimonio talis inſtitutio educitur. *Nihil beatius in hac vita, quam animus nulla mundi cura diſtractus, ſedata omni carnis libidine in vno pietatis ſtudio, & cæleſtium rerum cogitatione conquieſcens.*

Ex D. Ambroſ. ſuper epiſtolam ad Timo. eſt optima inſtit. *Dei militem exercitatum in Dei operibus*, vult Apoſtolus, *tota mente vigilantem diuinis obſequijs, præſentia ſpernẽtem cæleſtia diligentem.*

Ex D. Hiero. illa ſupra tradita eſt accommodata. *Vnum genus chriſtianorum eſt, quod mancipatum diuino officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni ſtrepitu tẽporalium ceſſare conuenit, & ſunt clerici Deo deuoti quorum raſio capitis ſignificat temporalium depoſitionem.*

Demum illa Iſidori tradita ex decreto quæ incipit, clericis lege patrũ cauetur, eſt breuis, & optima clericorum inſtitutio.

Sequitur apte conuenire ſacerdoti Thema poſitum initio huius operis, nempe labia ſacerdotis cuſtodiẽt ſcientiam, & legem requirent ex ore eius. Reddit rationem, quia Angelus Domini eſt; Angelus quidem eſt ſacerdos in ſcientia, quam cuſtodire debet, tanquam theſaurum indeficientem paratum cuicũque poſcenti. Angelus in vitæ puritate, & caſtitate. Angelus in laudando Deum, nam hoc officium præſtant in cęlis. Item Angelus hoc eſt nuntius a Deo miſſus ad annuntiãdam hominibus Dei voluntatem. Ex cuius ore expectant Dei legem, & interceſſionem ad bona omnia obtinenda, & mala euadenda. Angeli denique, & velut Seraphini inceſſi coram Deo aſtantes Altaris Sacramento, ſunt Chriſti Sacerdotes, interim dum differtur clara eius viſio.

INSTITVTIO PAROCHORVM.

PResbiteri curam animarum habentes tenentur ad tria.

AGNOSCERE OVES SIBI COMMISSAS.

ILLAS CVSTODIRE.

ET TANDEM PASCERE.

Quia paſtores ſunt animarum.

Hæc tria capitula breuiter probantur.

Primum ex illo, diligenter cognoſce vultum pecoris tui. Et ex illo Chriſti, paſtor cognoſcit oues, & vocat eas nominatim. Et quia earum eſt rationem redditurus.

Secundum probatur; quia queritur Deus per Ezechielem, eo quod non ſit, qui cuſtodiat gregem ideoq; diſpergitur erroribus, & peccatis.

Tertium, quia quæritur de paſtoribus, quod paſcunt ſeipſos, & non gregem. Item omnia illa tria ſimul probantur pręclaro teſtimonio Concil. Trident. ſeſſ. 23. c. 1. Mandatum diuinum eſt paſtores oues ſuas agnoſcere, pro illis ſacrificium offerre, verbique diuini prædicatione, ſacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exẽplo paſcere: pauperũque, ac miſerabilium perſonarum paternam curam gerere, & non permittere lupinis morſibus dilaniari.

Prædicta explicãtur ſupponendo cum Pet. Soto, curam animarum partitam eſſe inter Epiſcopum, & Parochum, Epiſcopus eſt præcipuus totius diœceſis paſtor parochi ſunt, tanquam adiutores aſſumpti, vt curam gerant, iuxta Epiſcopi directionem. Habent ſe tanquam prima cauſa, & ſecunda, ſecunda nihil poteſt agere ſine prima, ita parochus nihil poteſt ſine Epiſcopo, at Epiſcopus

pus multa poteſt ſine illo: Et eſt pulcherrimus ordo eccleſiaſticæ hierarchiæ, qua ſecundum Areopagitã, docere, & illuminare de minoribus tribuitur Sacerdotibus; perficere vero, & conſummare Epiſcopis. Vnde parochus non tenetur, omnia ſcire, nec facere, quæ ad animarum ſalutem pertinent, ſed quæ iuſſerit Epiſcopus, ideo excuſationem habere poteſt referendo maiora Epiſcopo, qui nullam excuſationem habet, niſi omnia tradat, & ordinet, quæ conueniunt: proinde debet inter eos eſſe familiaritas, vt conueniant in ijs, quæ ad ſalutem ouium ſpectant. Vnde Epiſcopus debet parochos agnoſcere, & frequenter accerſere, vt ſtatum ouiũ intelligat. Sequitur teneri Parochum ad reſidentiam, vt actus paſtorales exercere poſſit. Qui ſunt multi, omneſque nullus liber docere poteſt, quia ſingularia ſunt extra artem. Tamen cupiens muneri ſatiſfacere ex Chriſto Principe paſtorũ, ex Sacra ſcriptura, ſacris Canonibus & alijs libris, & ex vſu eccleſiæ, vigilantiumque, atque peritiorum paſtorum experientia, & conſilio poteſt ad illorum cognitionem peruenire. Et deſiderium ſalutis ſubditorum, atque amor manifeſtabũt multa. His poſitis.

Cognitio ouium principium reliquorum actuum paſtoralium, eſt neceſſaria, vt conſtet, quid potiſſimum docendum ſit, & contra quos aduerſarios pugnandum, atque vigilãdum ſit, & quæ remedia ſint adhibenda. Cognoſcendi igitur ſunt ſubditi, eorumque peccata præſertim publica, loca, & occaſiones illorum. Vnde ſcribendę ſunt perſonæ, & ſtatus illarum ad memoriam agendorum, per domos, vel familias, aut per vicos; & omnino neceſſarium eſt deſcribere nomine, vel baptizatorum, & ſuſcipientium.

Secundo confirmatorũ, & tenentium.

Tertio matrimonia contrahentium. *Tridẽt. ſeſſ. 24. c. reform. matrim.*

Quarto confitentium, & communicantium, illaque omittentium.

Quinto morientium. Notitia perſonarum haberi poteſt per conuerſationem, ocularem inſpectionem, & informationem. Curandumque, vt referantur fideliter ſcandala, loca inhoneſta, & qui ſint deuoti, qui nõ, qui in ſtatu peccati, qui excommunicati, qui auxilio deſtituti. De aduenis an ſint coniugati, an infames, vel ſine teſtimonio paſtorum.

Cuſtodia ouium eſt præſeruare ſubditos a peccatis, præſertim publicis, ab erroribus, & periculis animarum, a ſcandalis, & prauis conſuetudinibus. Contra errores curandum eſt, vt iuuẽtus bene inſtituatur a magiſtris ſanis in fide, & probatis moribus, librique inhoneſti reijciantur, & ſeminatores malę doctrinæ. Inueteratas conſuetudines, & peccandi pericula, vt luxus, cõpotationes, choreas, veſtes, laſciuas, ac ſuperfluas, familiaritates virorum, ac mulierum, & alia huiuſmodi; emendare debet aſſiduis reprehenſionibus, & ſerijs monitionibus, & quæ non poteſt, referenda ſunt Epiſcopo. Nã deterrere dẽt illud Ezechielis; ſi ſpeculator viderit gladium, & non insonuerit buccinã, tuleritque animã, ſanguinem eius de manu ſpeculatoris requiram; audiens ergo ex ore meo annunciabis eis, quo loco oſtenditur, oratione, conuerſione mentis in Deum, & Sacræ ſcripturæ, attenta conſideratione opus eſſe ad hęc præſtanda. Verumtamen licet indefeſſe ſit in hac re elaborandum, ſed prudenter, & circumſpecte, maxime ab ijs, qui impatienter mala ſuſtinent, ne ſibi tantum conſulant deferendo curam animarum (ait Pet. de Soto) cum

cum eccleſiæ detrimento, licet iura permittãt religionis ingreſſum, quia inter malos non deſunt multi boni, qui periclitabuntur ſi deſerantur.

Paſtus animarum, conſiſtit in tribus, in doctrina, in ſacramentorum exhibitione, & exemplo vitæ. Nam illud paſce oues meas interpretatur. Auguſtinus hoc eſt paſce euchariſtia doctrina, & vita ſancta. De qualitate doctrinæ, ſtatuit Tridentin. ſeſſ. 5. Parochiales eccleſias habentes per ſe ipſos paſcant in dominicis, & feſtis ſolemnibus plebes ſibi commiſſas, docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, anuntiãdo cum breuitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ declinare, & virtutes quas ſectari oporteat, vt pęnam eter nam euadere, & cæleſtem gloriam conſequi valeant. Sequitur doctrinam Parochi, quamuis non ſit adeo perfecta debere eſſe de neceſſarijs ad ſalutem, tam communibus, quam proprijs, credendis, & agendis publice, & priuatim; ſicut Apoſtolus; nihil ſubtraxi vtilium quominus anun ciarem vobis, & docerem publice, & per domos; Quapropter mundus ſum a ſanguine omnium, non enim ſubterfugi quo minus anunciarẽ omne conſilium Dei vobis, ergo tunc paſtor erit mundus a ſanguine animarum quando iſta fecerit. Communia omnibus neceſſaria ſunt, timor Dei, cuſtodia mandatorũ, opera pietatis, frequentia ſacramentorum, oratio, modeſtia ſumptuum, vt ſuperſit aliquid pauperibus. Vitia reprehendenda ſunt, ira, contumeliæ detractiones, & reliqua præcipuè ad quæ procliuiores ſunt ſubditi. Contra iurandi frequentiã clamandum eſt cum Chryſo. in ſuis homilijs, quę legendæ ſunt quia doctrinam continent populorum, & paſtoralem ſollicitudinem. Sunt etiam inſtruendi in modo orandi, & frequentia, & in modo conueniendi ad eccleſiam, & ſe habendi. Propria etiam cuiuſque ſtatus docenda ſunt, & , ſecundum occurrentes neceſſitates, vt nulli doctrina deſit, ſiue diues ſit, ſiue pauper, ſanus, vel infirmus, in proſperitate, ſiue in aduerſitate. Nam Dominus reprehendit paſtores non adhibentes varia remedia ægrotũ non ſanaſtis, confractum non alligaſtis infirmum non conſolidaſtis, quod perierat non quæſiſtis. Vnde primo pueri, & rudes in fidei rudimendis inſtruendi ſunt. Et Domini de cura familiæ, vt catholicam doctrinam mente, & opere tenere curent: filij, & ſerui monendi ſunt ad obedientiam. Coniugati de Sacramento matrimonij, & legitimo vſu eius. Quæ accipi poſſunt ex Paſtorali D. Greg. vbi collegit, quid diuerſis proponendum ſit, aperitque viam qua multa alia ex ſcripturis colligi poſſint. Sacramenta ſunt diligenter adminiſtranda, ne quis ſine baptiſmo per negligentiam diſcedat. Obſtetrices docendæ ſunt quando debeant baptizare, qua intentione, quibus verbis, & modo atque materia. Item debet diligenter accurrere cum vocatur, & omnia impedimenta auferre, ne confeſſio, aut cõmunio indigenti aut petenti deſit. Item facile concedere facultatem confitẽdi cum alijs, immo & vocare, quia multi libẽtius apertius, & plenius confitentur cum alijs, modo tales ſint quibus medela animarum credi poſſit. De infirmis maxime curandum eſt, vt ſacramenta digne præparati ſuſcipiant; propter quod ſunt frequenter viſitandi, conſolandi, inſtruendi de omnibus, & adiuuandi ad teſtamenta condenda, & ad cætera neceſſaria, & conuenientia.

De bono vitæ exemplo curare debet, vt in eo ſplendeant pietas religio honeſtas, moderatio in omnibus, &

cętera,

cętera, quę alijs ſuadet, contraria vero fugere debet, vt ſuſpecta loca, negotia, familiaritates. In eccleſia debet eſſe aſſiduus, ideo eſt Sancta inſtitutio Parochum habere domum cõiunctam cum eccleſia, & vbi non eſt ſaltem propinqua ſit. Ad paſtum etiam corporum ſubditorum, non dubium eſt teneri Parochum, vt dictum eſt. Et quando non poteſt ex proprijs, admonere populum, & ſuperiores, vt virginibus, orphanis, viduis, infirmis ſubueniant, ne ſit illis occaſio peccandi, neceſſitas. Sed inter omnia nihil magis neceſſarium, quam aſſidua oratio, & ſacrificij oblatio pro ſuis, quia aduocatus eſt illorum apud Deum, & hoc ſemper, vel quantum humana fragilitas patitur. Et cum ad hoc teneatur ex officio pro viuentibus, & mortuis, non eſt cur ſtipendia ſuſcipiat ſpecialia pro ſacrificijs, licet non ſit reprehendendum, quod ſit bona ex conſuetudine. Ad curam bonorum eccleſię, & fabricę tenentur etiam, & ad mũditiem Altarium, ornamentorum, præſertim vaſorum ad ſacramenta adminiſtranda, prout iura, facultates eccleſiæ, & conſuetudines permittunt. Et quod non poſſunt ad ſuperiores eſt deferendum. Nam munditia, & decor externus excitant deuotionem, & reuerentiam. Et negligentia circa cultum externum ſacratiſſimæ euchariſtiæ, qualis in multis templis apparet, teſtis eſt irreuerentiæ erga Deum. Hæc de Parochis.

RESPONSIO AD OBIECTIONES contra prædictam inſtitutionem Clericorum.

OBijcient fortaſſe clerici, non ita improbi ſicut manifeſti peccatores (nam iſti ſatis ſuis nominibus inexcuſabiles ſunt) prędicta de bono exemplo arctiſſime obligare paſtores, quibus ſalus ſubditorum commiſſa eſt; At alijs clericis, ſatis eſſe mala exempla non dare in publico; In feſtis eccleſiam adire; de cætero, cur non licebit viſitationibus, confabulationibus, recreationibus, & conuiuijs vitam lętam agere? immo, & aliquo negotio occupari quando quidem nulli ſit præiudicium; ſolitudo vero, Anachoriticæ potius eſt, quam vitæ eccleſiaſticæ accommodata, ac melancholica videtur, & nocet lætitiæ, qua ſeruiendum eſt Deo in eccleſia, iuxta illud ſeruitute Domino in letitia.

Secundo Monachorum vitã longe diuerſam eſſe ab eccleſiaſticorum viuendi ratione. Nam illi paupertatem vouent, & abnegationem voluntatis, pœnitentiam, & contemptum ſæculi, & ita illorum eſt, humiliter viuere, & vili indumento vti. At Clerici hæc vota non emiſerunt; ſed ex proprijs reditibus viuunt in ſuis domibus; poterunt ergo honorifice viuere, familiam habere iuxta facultates immo iuxta magnificentiã Eccleſiarum, vt eſt in vſu inter dignitates pinguia beneficia poſſidentes; Neque decet vulgaribus, vti veſtimẽtis, quia vilipenderentur. Denique, quæ de Inſtitutione Cleri hactenus dicta ſunt partim ſunt de iure antiquo abrogata per contrariam conſuetudinem, partim ſunt conſilia, non præcepta.

Hæc ſunt, quæ viuendi licentia cupit, ſed non ſunt talia, quæ poſſint infringere doctrinam tot oraculis probatam, immo ſunt nullius momẽti. In primis falſum eſt ſolos paſtores teneri ad exempla bene viuendi, lege Triden. ſeſſ. 14. c. 1. Moneant Epiſcopi ſuos Clericos præcipue curam animarum habentes, vt conuerſatione ſermone, & ſcientia populo ſibi commiſſo pereant, ergo licet magis te-

teneantur Curati, nihilominus, alij Presbiteri, Diaconi, & Clerici tenentur anteire tanquam duces per iter beatitudinis. Et ſeſſ. 24. c. 12. reform. dignitates in Eccleſia inſtitutæ ſunt, vt pietate exemplisque alios præcellant. Tum quia ſunt adiutores paſtorum, nam ordinantur propter neceſſitatem, vel vtilitatem Eccleſiarum, ergo ad eandem vitæ rationem tenētur. Quare non ſufficit mala non agere, niſi bona exempla exhibeant. Vbi inſcitia aliquorum venit arguenda, qui exemplares pronuntiāt eos, qui non conſpiciuntur ſcortari, occidere furari, quaſi ijs tantum contineatur bonum exemplum; cum ſæpe tales vix obolum largiantur pauperibus, neque ex ore prodeat verbum ſalutis etiam ſi vicini ſalus periclitetur, immo ſibi tantum nati videantur habitantes plenis promptuarijs ſubſtantia huius mundi, ſine clamore in plateis eorum. Ieſu bone? quaſi non eſſet vita, hæc diuitis epulonis? Vnde ad bonum exemplum oportet vlterius bonis operibus inſudare. Nam vitaquę Deo placet duas habet partes quas Pſalmiſta docuit, declina a malo, & fac bonum. Hallucinātur etiam in alio puncto magni ponderis, nam ad puritatem, & vitæ innocentiam arctiſſime obligant tangere fontem puritatis, & innocētiæ, & officium intercedendi pro populo, quod aſſumpſerunt. Præclare Cardin. Bellarm. ſuper Pſalm. 131. ait, ſi tanta iuſtitia, ſanctitas, & alacritas requirebatur in ſacerdotibus, qui ſacrificabant aliena, & pro temporalibus Deum laudabant; quid requiretur in ijs; qui ſacrificant diuinum agnum, & gratias agunt pro ſempiternis? Væ nobis, qui miniſterium altiſſimum ſortiti, tam procul abſumus a feruore, quem in vmbraticis ſacerdotibus Salomon exigebat; dicens ſacerdotes tui induant iuſtitiam, & ſancti tui exultent? Tum quia emmendatior debet populo, qui orare debet pro populo, inquiunt Canones. Profecto, neque imperitum vulgus eligeret obſecratorem ad impetrandum a principe, principis inimicum ergo minus ad impetranda æterna bona a Deo aptus erit, quem Deus odit, ſed amicus, & accept⁹, ne illis verbis feriatur, quare tu enarras iuſtitias meas? proieciſti ſermones meos retrorſum, &c. Tum quia licet docere, & adminiſtrare ſacramenta, curamque paſtoralem gerere poſſint a ſacerdotio ſeparati, non tamen interceſſorem eſſe pro populo. Igitur ſolo hoc titulo ad magnam ſanctitatem tenentur. Ex quo ſequitur ab illis eſſe fugiendas omnes occaſiones peccatorum, & opera carnis, quæ in frequentibus conuiuijs intimoratorum reperiri ſolent, vt ex Auguſtino dictum eſt. Atque etiam viſitationes, & familiaritates mulierum, & intereſſe ſpectaculis, vbi amatoria cantātur; Nam his polluuntur obtutus miniſtrorum Dei, & difficile eſt cum ijs mundum ſeruare cor. Et generaliter in delitijs viuere Eccleſiaſticis prohibitum eſt, ſi Apoſtolus de vidua inquit, vidua, quæ in delitijs eſt viuens mortua eſt, quid de Clerico delitijs, iocis, ludis, vaniloquio murmurationibus ſcurrilitati, & riſui dedito diceret? Recreationes quas opponunt ſi ſint luſus chartarum inter dicti ſunt Clericis ab Innocen. III. quod renouauit Trident. Eius verba ſeſſ. 22. decre. refor. c. 1. ſunt; Quæ de vita, & honeſtate clericorum, ac de luxu, cōmeſſationibus, choreis, Aleis luſibus fugiendis a ſacris canonibus ſancita fuerunt eadem in poſterum ijdem pœnis, vel maioribus obſeruētur. Tunc ſic; ſed Alea eſt luſus, qui potius caſu, & fortuna quam arte gubernatur, vt latini ſcriptores dicunt, qualis eſt chartarum luſus ergo eſt prohi-

d. 44. *1. Ti. 5.*

Dion. de ar. vi. ſalu. ca. 6. & 16.

Azor. 2. p.lib.7.c.14. prohibitus. Quis cæcus non videat mala, quę illi contineant? bonam partem vitæ ad bene merendum conceſſæ, in his ludicris ſine fructu, immo cum magno detrimento conſumere? pericula iuramẽtorum, & fraudum, item dolorem deperditæ pecuniæ neceſſariæ interdum ad ſuſtentationẽ, iram etiam contra amicos ſi lucrentur, querimonias aduerſæ fortunæ? Egregia profecto præparatio ad chorum, & Altare Domini? certe ſimilibus cogitationibus ad tremendã mẽſam Domini accedere temeraria audacia eſt. Et c. inter dilectos de exce. prælat. Clericus ob aleam iubetur deponi, quæ pęna non imponitur niſi pro mortali peccato. Pręterea in feſtis tantummodo Clericos Eccleſiã adire impudẽtia eſt cum a bonis laicis ſuperentur, qui quotidie interſũt Miſſæ. Immo & a pueris, qui in Seminarijs educantur. Conci. Carthagin. ſtatuit excommunicandum Clericum non intereſſentem Matutinis horis ſi non ſe emendauerit. Et Innocen. III. titulo de celebr. Miſſa. dolenter refert contemptum nõ frequentantium chorum cum ſilentio, vt iudicet ſuſpenſione dignos. Vnde Canones ſtatuunt, vt Epiſcopus quotidie celebret, aut ſaltem Miſſam audiat. Vocare autem prædictam regulam Eccleſiaſticam melancholicã temeraria calumnia eſt. Sequeretur enim vitam Chriſti Apoſtolorum, & ſanctorum virorum melãcholicam, aut contra rationem triſtem fuiſſe, quod eſt blaſphemia; Immo fuit Sãcta, pura, perfecta ſimilis vitæ beatæ, quæ cæleſti gaudio nõ carebat, nam & Apoſtoli ibant gaudentes etiã patiendo. Neque cordate clericorum vita deſcripta Anachoritica appellatur cum ſit ei diſſimilis. Anachoritæ, namque in ſolitudinibus commorantur non in ciuitatibus, & populis ſicut Clerici. Rurſum a licitis conſabulationibus abſtinent, vt contemplationibus vacent, non autem clerici, immo iſtorum vita magna ex parte actuoſa eſt. Item illa eſt pęnitens, & luctuoſa vita, & pauper, non autem eccleſiaſtica. Igitur ſtulte, his nominibus irridetur clericorum regula; ſicut ſtultitia eſſet præceptum Chriſti, quo iubet, oportet ſemper orare, melancholicũ appellare; cum & ſolitudo ad tẽpus ſit peccatorum remedium aptumque ad cognoſcendum Deum, & ſeipſum. Verum eſt imperfectis nondum purgatis, & mundanis videri triſtem difficilem, perfectis tamen, & bene aſſuefactis cum Dei gratia eſt iocunda. Eſt tamen lętitia nõ carnalis, ſed ſpiritualis, quæ non omnino expellit timorem de qua intelligitur ſeruite Domino in lętitia. Vnde Triden. ſeſſ. 6. c. 9. docet pios viros formidare poſſe an ſint in gratia. Et cap. 12. Neminẽ præſumere debere in hac vita certo eſſe de numero prædeſtinatorum. Vnde cap. 13. monet cum Apoſtolo Petro, vt cum timore, ac tremore ſalutem operemur in laboribus vigilijs, eleemoſynis, orationibus, oblationibus, ieiunijs, & caſtitate. Tum quia ille, qui dixit ſeruite Domino in lętitia, & lętetur cor quærentium Dominum, idem alibi hæc duo coniunxit exhortans, exultate ei cum tremore: ſicut timor, & amor communiter omnibus ſuadenda ſunt. Conſabulationes vero frequentes ad iocandum, & otiandum periculo non carent, neceſſarię vero, aut vtiles admitti poſſunt. De negotijs autem, & lucris tanquam peſtem a Clerico fugiendis ſæpè dictum eſt cum D. Hieronym. *Dion. de ar. vi. ſa. c. 29.*

Ad ſecundum concedimus non eſſe præceptam Clericis renunciationem temporalium, vt definitum eſt in Concilio Conſtant. & a Theologis traditur, licereque eis habere *Valen. in materia de ſta.*

propriũ. Item non tenentur in communi viuere, vt olim fiebat ex conſilio ad imitationem eccleſię primitiuæ, non ex præcepto. Nam creſcente numero clericorũ, & refrigeſcente charitate (qua bona communia male diſpenſabantur) oportuit diuidi. Ideo D. Auguſtinus mutauit ſententiam, quam prius ſecutus fuerat nolens ordinare clericos, niſi in communi viuentes, quia ad hoc non tenentur. Sunt enim homines Dei cultui dedicati, alio modo quã religioſi. Ex hoc tamen male infertur licere illis ſuperflua ſectari, delicate viuere, pompas mundi, & vanitates ſequi. Quod demonſtrari poteſt argumento a maiori ad minus. Epiſcopi quibus maior apparatus conceditur ob dignitatis reuerentiam tenentur ſuperfluitates fugere, ergo multo magis alij clerici quibus hoc non conceditur. *De conſe d. 1.* Antecedens docent Canones, quo ad primam partem diſponentes, vt Epiſcopus dicat Miſſam cum duobus ſacerdotibus aſſiſtentibus, & tribus Diaconis. Alia pars antecedentis probatur illuſtri teſtimonio *In decre. reforma. c. 1.* Concil. Triden. ſeſſ. 25. his verbis, intelligant Epiſcopi non ad diuitias, aut luxum vocatos eſſe, ſed ad ſollicitudines, & labores pro Dei gloria. Vnde mores ſuos, ita componãt, vt reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, & ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint. Vbi per frugalitatem, vtilitatem, & parcitatem intelligit, ac temperantiam. Et infra. Iubet Sãcta ſynodus, vt Epiſcopi non ſolum modeſta ſupellectili, & menſa, ac frugali victu contẽti ſint, verum etiam in reliquo vitæ genere, ac tota eius domo, caueant ne quid ſit, quod non præſeferat Dei zelum ſimplicitatem, ac vanitatũ contemptum, ſi quis reſpondeat Concilium monere non præcipere. Contra eſt expreſſum verbum pręceptiuum, iubetq; S. ſynodus. Et illud verbũ caueant, quia cauendum non dicitur niſi malum, & caſus grauis. Neque mirum videri debet. Nam qua ratione laudari poteſt in Pręlato exemplo omnium virtutum, quod in diuite Epulone damnamus? qui induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendide? Sed expendamus rationes, quare non liceat? Non licet, quia Epiſcopus debet reprehendere exceſſus ſæcularium in victu, & veſtitu, & exhortari ad temperantiam, & hoc non ſolo verbo, ſed exemplo ſuæ temperantiæ.

Secundo, quia tenetur pauperibus *Ludo. vi.* ſubuenire, at ſi ſuperflua ſectetur nõ poteſt, quia ſuperflua, & curioſa ſũt, & infinita, nec ſine magnis ſumptibus habentur.

Tertio, quia primus gradus Chriſtianæ vitæ eſt humilitas cuius exemplum dare tenentur, at humilitas inter pompas, & lautam menſam ſplendidamque vitam locum non habet, vel maxime periclitatur.

Quarto, quia delitiæ, & ſuperfluitates *Diony c. 32. dear. vi. ſal. & 27.* ſunt occaſiones peccatorum, & comites habent ſuperbiam incontinentiam, luxuriam, impudicitiam, vt pertimeſcendis illis verbis D. Hiero. dixit: Principes eccleſiæ, qui delicijs affluunt, & inter epulas, atque laſciuias pudicitiam ſeruare ſe credunt eijciendi ſunt in tenebras exteriores. Tandem, quia impediunt contemplationem rerum diuinarum, & ſtudium virtutum. Igitur ſi tantam exigimus in Epiſcopo humilitatem, quam clarioribus verbis ſignificauit *d. 41. Toli. ſup.* Concil. Carthaginen. dicens, vilem ſupellectilem, & menſam, & victum pauperem habeant Epiſcopi. Cur alijs inferioribus Clericis, lectos deauratos præcioſa ornamenta, & vaſa ac periſtromata aliaſque pompas, & tot ferculorum ingluuiem ad nauſeam, vſque concedemus? Sicut tumidi,

midi,

In Prolo 30 concio de tempore. midi, & intemperantes faciunt mundani? Nullo modo. In hac parte egregia laude dignus fuit Henricus Cardi. Portugaliæ Rex vltimus ante Philippum Secundum Hiſpaniarum Regem. Quem merito Ludo. Granata commendat, eo quod quia Archiepiſcopus erat depoſuit vaſa auri, & argenti (quæ alias Regiæ ſtirpi non dedecent) & vtebatur fictilibus, vt neceſſitatibus pauperum ſubueniret.

Veniamus ad veſtitum. Certum eſt in ſacris Canonibus fulgidas veſtes Clericis prohibitas eſſe, & decorem in eis quærere. Quod renouauit Innocent. Tertius prohibendo omnem ſuperfluitatem. Quia tales eſſe debent, quæ religionē deceant. In conſtitutionibus Archiepiſcopatus Cæſaraugustani præcipitur, vt veſtibus laneis induantur, & ne portent odores, aut manicas ſericas; at, qui partem veſtis ſericā prohibet totam veſtem ſericam magis prohibebit. Effœminatorum eſt curioſitas exquiſiti indumēti. Immo mulieribus quibus ornatior cultus concedi ſolet Apoſtolus negat veſtem pretioſam aurum margaritas, vt ornatus verecundiam, ſobrietatem, & pietatem promittat, quanto magis in eccleſiaſticis, qui ſunt ſpeculum mundi, erunt damnandæ? Chryſoſ. homil. 18. in Geneſ. reprehendit ſericas veſtes, & homil. 37. immodicū vſum veſtium præter neceſſaria. Interrogādi eſſent ornati ſericis, quæ ſit differentia inter illos, & ſeculares in veſtibus? profecto quantum ad decorem, & ſplendorem, & gloriam nulla. Item interrogandi ſunt, an Clerici teneantur humilitatis, modeſtiæ, & continētiæ exempla in exterioribus oſtendere? dicere quod non teneantur falſum eſt, vt ſupra probatum eſt, atqui habitus, ſiue ornatus veſtium eſt vnum ex præcipuis in quibus humilitas, &

1. Ti. c. 2

Diony. c. 26. de ar. vi. ſa. & 27.

illa virtutes manifeſtantur, ergo alia ratione modeſtiori, quam ſæculares indui debent. Illuſtriſſimorum Cardinalium S. R. E. exemplum in hac parte inſigne eſt, qui cum Principes eccleſiæ ſint tamē in eccleſia, & conſiſtorio non vtuntur ſerico ornatu, ſed laneo, aut inferiori. Et prudēter iuxta Canones Summi Pontifices, Clemens VIII. & Santiſſimus D. N. Paulus V. non permiſerunt Cubicularijs domeſticiſque ſuis Clericis vti ſericis veſtibus, ſed laneis. Dicere vero propter pōpam, & ornatus ſplendorem ſæculares reuerentiam exhibituros, eſt contra illud D. Hiero. ſæcularis iudex plus venerabitur ſanctitatem, quam opes.

Quod opponitur plura ex ijs eſſe abrogata ſupra impugnatum eſt, immo quæ de vita, & honeſtate Clericorum ſancita ſunt renouantur in Concilio Trident. non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque. Seſſ. 22. c. 35. de ar. vi. ſa. lu.

Quæ autem mutata ſunt nō ſunt de ſubſtantia eccleſiaſticæ perfectionis, quæ intacta permanet, vt Dionyſ. Carthuſ. dixit his verbis: Quantum ad aliqua, inquit, per diſpēſationem, vt cohabitatio, & bonorum communitas amota ſunt, non tamen quoad alia multa, vt ſobrietatem continentiam, vitationem ſuperfluitatum, ac vanitatum, diligentē occupationem in ſpiritualib. exercitijs. Quid quod ſtulta illatio eſt ex ijs, quæ fiunt de facto inferre eſſe de iure, aut licere? cum fiant peccata grauiſſima, & nihil magis vſitatum ſit, quam prauæ agere contra Dei leges. Si eccleſiaſticorum abuſus excuſaret quorſum damnat Concilium toto conatu cōtrarias conſuetudines, & inhæret Patrum ſanctionibus? minaturque vindictam ſupremi iudicis ſuperioribus conſentientibus? Niſi quia nullæ conſuetudines prauæ in Dei miniſtris præualere poſſunt contra

diuinam eorum regulam, quæ iubet eos eſſe puros, deuotos, ſobrios, miſericordes, & exempla omnium virtutum. Conſuetudo, vt aſſerunt Doctores non præiudicat iuri naturali, aut diuino, & ſi quid videatur excuſare, id omne tollit Conci. & euertit, ac declarat tanquam nullius momēti. Aut viuendum ex Dei arbitrio, aut ex noſtro: ſi ex noſtro fruſtra ſudarunt Sancti Patres, & Concilia in explicanda, & ſtatuenda eccleſiaſtica, diſciplina; ſi autem ex Dei nutu vita noſtra gubernanda eſt ſupra dictis omnibus ſacris ſanctionibus nō autem licentioſorum hominum factis inhærendum. Maxime cum declinent ad libertatem hæreticorum huius temporis, qui ſuſcitarunt ſectam Nicolaitarum, edere, & fornicari, de quo in Apocalypſi.

QVOD obijciunt poſſe vti ad libitum ſuis reditibus, eſt plus quam falſum. Nam communis Canoniſtarum ſententia eſt Clericos non eſſe Dominos bonorum immobilium eccleſiæ, neque redituum, quæ ſibi dātur, ſed tantummodo diſpenſatores, exceptis neceſſarijs ad victum, & cultum, atque ita cætera tenentur de iuſtitia pauperibus erogare. Quia ſunt bona Deo oblata, quæ in miniſtris ſuis, & pauperibus recipit, vt conſtat ex patribus, & pars pauperū a qua fraudari non poſſunt coniuncta manſit cum parte Clericorum, vt eam diſpenſent cum patres illorum ſint. Quam opinionem defendit Naua. cum Gabri. Ant. Maio. Et quamuis oppoſita Silueſt. Adria. Coua. Soto videatur conformior Tridentino ſeſſ. 25. cap. 1. dicenti, reſidentes, & officium exequentes facere fructus ſuos, quæ benignior eſt, & conſuetudine plurimorum iuuatur, qua eccleſia non reclamante ſuis reditibus tanquam ſuis vtuntur; certum tamen eſt, & indubitatū apud omnes *Valen de ſtat.* teneri ex charitate ſtrictiſſima ad faciendas eleemoſynas pluſquam ſæculares. Immo iure diuino paſtores tenentur pauperum curam gerere paternam, vt ex Trident. dictum eſt. Et quoniam ſecundum Apoſtolum tenentur eſſe hoſpitales viduaſque alendas eſſe ex bonis eccleſiæ. Tum quia tenentur ſalutem animarū procurare, quæ ſæpè periclitatur ex defectu temporalium. Tum quia miniſtri non habent ius, niſi percipiendi a populo neceſſaria ſibi, & huius ſunt Domini, ergo reliqua tenentur diſtribuere. Confirmatur conſenſu totius *Dionyſ. de ar. vi. ſa. c. 1* populi Chriſtiani, qui offenditur videns Clericos negligentes in faciendis eleemoſinis. Vnde, vel non ſunt Domini redituum, vel ſunt Domini cū hoc onere dandi pauperibus omnia præter neceſſaria, & ſtatui decentia. Sequitur grauiter peccare donando iſta alijs vſibus teſtamento, vel donatione, vt Valent. tenet, & Azor, 2. par. lib. 7. cap. 8. his verbis. Quamuis non teneantur de iuſtitia tamen ex charitate, & lege eccleſiaſtica tenentur, quæ ſuperſunt, dare communibus neceſſitatibus, alias peccant. At laici nō ſemper peccant dummodo dent aliqua, quia poſſunt augere bona. Vnde ſi clericus, quæ ſuperſunt inſumat in luſibus, venationibus, delitijs, pompa, aut donet nō indigentibus peccat mortaliter. Itē idē auctor agens de beneficiatis adiungit: Beneficiarios fructibus, & reditibus affluere Canones, & iura prohibent. Vnde ſi quæ ſuperſunt non donant pauperibus grauiter peccant Canonibus violatis qui abundare, vt laicos prohibent; vt ab omni auaritia, ambitione, ſuperbia, & luxu procul auertant, quibus offenſionē non leuem populo præbent. Quod attinet ad illas opiniones Caietanus, videtur magis ad veritatem acceſſiſſe quem ſequitur Pet. Soto, & grauis *F. Leon.* Theo-

Theologus Salmantinus in Lectura, de ſtatibus, qui conſonant cum Canoniſtis, & media via incedunt diſtinguentes, aut eccleſiaſticus habet plures fructus, quam neceſſarios, & non eſt pars ſufficiens deſignata pauperibus, aut ſolum habet ſufficiẽtia. Si habet non neceſſaria tenetur de iuſtitia aliquam partem dare pauperibus non habentibus ſufficientiam, quia fraudari non poſſunt parte, quã habent in bonis Deo donatis q̃ coniuncta manſit cum parte Clericorũ. At vbi reditus ſunt tenues, vel ſolum ſufficientes parum plus, vel minus non tenentur de iuſtitia, quia pars pauperum non eſt coniuncta cũ portione eccleſiaſtici ſolum ſufficienti. Tenebitur tamẽ ex charitate de non neceſſarijs dare, quæ facilius in eis inueniuntur, quia cultus, & veſtitus debet eſſe moderatus. His addit Pet. Soto, quod quamuis ſint opiniones circa pluralitatem beneficiorum nullam excuſationem in iudicio diuino valituram ſi eis vtantur ad abundantiam, & luxum, quia neque vno ſolo beneficio ad hoc vti poſſunt, & minus ad ditandos conſanguineos, & ad alia ſuperflua ædificia, vel ornamenta. Supponit fundamentum magni momenti cum San. Thom. Iure diuino omnia bona eccleſiarum Chriſti eſſe, qui ea vult recipere in ſuis miniſtris, & pauperibus. Et nulla poteſtate humana poſſunt licite expendi in alijs vſibus. Et oppoſitũ, ait eſſe errorem grauiſſimum cõtra ſcripturam, & bonos mores, & contra iuſtitiam. Quia ſunt bona oblata Deo a fidelibus his vſibus tempore Apoſtolorum, & nunc decimæ eandem conditionem retinent, poſt diuiſionem illorum bonorum factam de qua ſupra in prima parte huius libri. Probatur ex ſanctis Patribus, qui hæc bona aſſerunt eſſe vota fidelium pretia peccatorum, & patrimonia

Azor propendet in hanc.

pauperum. Hinc colligit cum S. Th. Quod licet eccleſiaſticus poſſit de ſibi neceſſarijs, aliqua ſubtrahendo dare conſanguineis non tamen, vt ditiores illos faciat, quia eſt contra rationem bonorũ eccleſiaſticorum pauperibus, & eccleſijs deſtinatorũ. Et iſta ab eccleſiaſticis maxime conſideranda ſunt. Præſertim illa Caieta. diſtinctio; Aut Clerici bona data ſunt ei ad diſpenſandũ, vel tanquam ſtipendium, quod ex ſcriptutis eccleſiarum, & conſuetudine cognoſci poteſt; Nam ſi fructus excedant congruam ſuſtentationẽ ſignum eſt eſſe commiſſos ad diſpenſandum, ergo tenetur fideliter diſpenſare, ſi non facit, peccat contra iuſtam diſtributionem, oneribus detrahendo, & plura ſibi ſumendo, & tenetur ad reſtitutionẽ; ſi dãtur tanquam ſtipendium etiam tenetur dare pauperibus ſaltem ex miſericordia, quia nõ habet ius niſi ad neceſſaria, & facile in eis non neceſſaria inueniuntur. Concludamus, ergo non expedire Clericos mendicare, & poſſe decenter viuere, ſed tamen moderate. Ad hanc decentiam moderandam prudentes, & timorati conſulendi ſunt nõ autem inſpiciendus abuſus cum ſæpè graſſentur praua exempla, & paucorum, & bonorum ſit ſequendum conſiliũ, quia pauci ſunt, qui inueniunt viam ad vitam. Inſpicienda eſt neceſſitas vitæ non curioſitas, voluptas, nec ſuperfluitas.

Naua. c. 25.

Manua. dicit eſſe nimis laxam doctrinam Caie. cleri. nõ peccare mortaliter transgrediendo leges humanas, niſi ſit ſcãdalũ graue, aut peccatũ, vel occaſio iure diuino, aut cẽſura incurratur

Ad vltimum reſpondemus prædictam clericorum inſtitutionem plus habere præcepti, & parum, aut nihil cõſilij, vt Pet. de Soto dixit, quia non tam ius humanum, quam determinationem diuini iuris cõtinet. Quod ſi cui videatur magnam perfectionem nos in Clericis poſtulare, quæ proxime ad religioſos accedat, id profecto libenter damus, quia hoc poſtulat ſtatus ſacratorum hominũ.

Si

Si vrgeas arduam, atque difficilem eſſe, & paucorum. Reſpondebo cum illa ſententia difficilia, quæ pulchra. Et cum D. Auguſtino. Nihil facilius letius Epiſcopi, Presbiteri, aut Diaconi officio ſi ſuperficialiter res agatur; Nihil tamen difficilius, & apud Deum beatius ſi eo modo militetur, quo Deus iubet.

Sequitur ex dictis multa eſſe in Clero a Prælatis corrigenda. Nam omiſſis maioribus criminibus; Alij libros tanquam hoſtes odio proſequuntur. Alij irrident deuotionem timoratoſque viros ſæculum fugientes, boniquc, & caſti apparere erubeſcunt. Væ nobis ad quantam perniciem deuentum eſt in eccleſia Dei? Alij ordinantur coacti, quia aliter beneficijs gaudere non poſſunt; Alij nolunt vltra primam tonſuram, aut minores, vt poſſint redire ad ſæculũ, partim volunt eſſe Clerici, vt bonis eccleſiæ potiantur partim non, vt libere viuere poſſint tanquam mere ſęculares excepto habitu longo; Alij raro ſacra conficiunt, ne ad ſui cuſtodiam cogantur; Alii ſcrupulos, immo iuſtos timores deſpiciunt, diuitias, & delitias ſectantur, iocis, & ludis inſeruiunt, nouitates inquirũt, ambitionibus nullum finem imponunt, mundo diſplicere non audent, eius leges venerantur; quo fit vt in multis annis vix agnoſcatur virtutis profectus cum ſæpè celebrent, & choro aſſiſtant. Quibus omnibus intimandus eſt Canon ſupra adductus, per Clericatum non peccandi licentiam, ſed bene viuendi neceſſitatem eſſe aſſecutos, d. 40.

DE MODO CLERICALIVM FVNCTIONVM.

Tertia Libri Pars.

VLtimo loco in hoc libro de modo ſeruando in functionibus eccleſiaſticis erga Deũ erga proximos, & ſeipſum dicendum eſt. Grauis profecto materia, ſed magnopere neceſſaria, quæ proinde eccleſiæ conſuetudine, & Sanctorum Doctorum ſententia abſoluẽda eſt.

MODVS FVNCTIONVM erga Deum.

MOdus Miſſam celebrãdi pręſcriptus eſt in ſacris Canonibus, & vſu eccleſiæ, vt in Miſſali Romano. Quod in tribus cõſiſtit in præparatione, celebratione, & gratiarum actione. Præparamur confeſſione, ſi opus ſit, & oratione in ſacriſtia, aliquid conſiderando ex iis quæ in officio occurrunt, vel Chriſtum Crucifixum, qui eſt ſcientia Chriſtianorum in quo vno immenſa Dei bonitas, miſeria noſtra, & eius remedium cõſtitutum eſt. Per quem petenda eſt peccatorum venia vera cognitio conſcientiæ, & præparatio ad diuinum ſacrificiũ, vt in orationibus præparatoriis Miſſalis habetur. Nam irreuerentia eſſet non parua, properare ad Altare, abſque oratione, qua maximam reuerentiã, & æſtimationem tanti doni concipiamus.

mus. Præueniendaque ſunt dicēda, & agenda in Miſſis Conuentualibus pro ſuo quiſque gradu. In celebratione ceremoniç Miſſalis exacte obſeruādæ ſunt, maxime a Nouitiis Sacerdotibus, qui ſi aſſueſcant parum curare difficile poſtea curātur. Quæ ab Epiſcopis ſunt examinanda, & punienda niſi obſeruentur, iuxta Concil. Trident. ſeſſ. 22.

Quæ ceremoniæ ſunt grauiſſimę, modeſtiſſimæ reuerentia plenæ rationique conformes a religioſiſſimis Pontificibus conſideratę, & per traditionem acceptæ, ideoque ſub magnis cenſuris præceptæ, ſignificationem myſteriorum continentes. Vnde addere, aut detrahere aliquid temeritas, aut magna negligentia eſt. Poſtea agendæ ſunt gratiæ flexis genibus, vt ſolent deuoti ſacerdotes, ſummo honore laudando, & æſtimando maieſtatem tanti hoſpitis.

Modvs horas canonicas recitandi traditus eſt a Concilio Tridēt. ſeſſ. 24. omnes teneātur in choro ad pſallendum inſtituto Dei nomen reuerenter diſtincte, & deuote laudare. Reuerenter, hoc eſt exhibendo reuerentiam, vt ſtando, ſedendo, aperto capite, genuflectendo, iuxta Regulas Breuiarij, & laudabiles conſuetudines Eccleſiarum. Deuote dicunt, qui inflammati amore Dei recitant. Ad quæ neceſſaria eſt attentio, quam iuuat pronuntiare ſenſim non nimis celeriter, & diſtincte faciendo in medio verſus aliquam morulam. Valet plurimum præparatio ante horas, petendo gratiam recte orandi illo verſu, Sancti Spiritus adſit nobis gratia, facto ſigno Crucis, vel imaginando Myſterium de quo fit officium. Vel offerendo illud ſeruitium Deo ad laudem, & gloriam ſuam, & Eccleſiæ ſanctæ vtilitatem, petendo a diuina miſericordia illud perficere ſicut ille pręcipit, & proponendo ita facere. Et qui ita diſpoſitus orare incipit ſi poſtea inuoluntarie diſtrahatur cenſetur attentus ſaltem virtualiter. Et eodem modo recitādum eſt priuatim, quantum fieri poſſit, coercere in Epitome dicta ſunt.

Modvs orationis conſideratricis, poſtulat materiam, partes, finem, adiumenta, & impedimenta euitare; Quæ Sacerdotis maxime propria eſt, & magni momenti ad eius actiones recte præſtandas, adeoque neceſſaria ſecundum Caiet. in materia de deuotione, vt non mereatur nomen viri religioſi; qui ſemel in die aut bis, non vacat deuotis meditationibus, nec tempus habet illis dicatum, ſicut cibo, & ſomno corporis. Quia mentem excitant, & ſollicitant ad religionem, & bona opera. Cuius vſus facilem eam reddit, & Spiritus Sanctus modum docet. At initio ſeruitutis Dei vtile eſt, aliquam formam orandi tenere, quam Granata in Memoriali Chriſtianæ vitæ ſcriptam reliquit. Materia ſunt conſiderationes, aut viæ purgatiuæ de miſerijs humanæ vitę, tam communibus, quā proprijs: aut beneficiorum Dei, præſertim redemptionis, quæ vocantur viæ illuminatiuæ; aut diuinarum perfectionum, quæ viæ vnitiuæ appellātur. Poteſt etiam eſſe materia ſymbolum fidei, & quaſi in idem recidit; ſed cum iſtæ veritates ſint fidei fundamenta maiorem quandam habēt vim, ſi bene ponderentur circunſtantiæ. Viri exercitati ampliorem habēt materiam, nam meditari poſſunt, vel quæ Eccleſia quotidie proponit in officio, quæ diligentiſſime repræſentat omnia, quæ ad pietatem valent: modo deflet vicem noſtram, & pelagus miſeriarum, nunc remedia, nunc Dei beneficia, modo hiſtorias, & exempla ſanctorum, modo ſupplicia, modo præmia, modo Dei patientiam, miſericordiam, eiuſque leges, at-

Seſſ. 24. c. 14. de reform. Dion. de arc. vi. ſal. cap. 30.

atque virtutes. Erit ergo materia, quidquid meditari poteſt, quod ad odium peccatorum, aut Dei voluntatem faciendam, illumque timendum, vel amandum mouere poſſit. Per hebdomadam, quando non occurrunt feſta, nec Euangelia propria poteſt conſiderari Euangelium Dominicæ præteritæ, aut myſterium illius temporis, vt deuotus, ac doctus vir dicebat. Partes, vel forma, orationis, conſiſtat in præparatione, Meditatione, & petitione, iuncta cum actibus voluntatis, & diuinis colloquijs. Præparatione magnitudo Dei penſatur, & bonorum, quæ ab eo ſperamus, profundiſſimaque reuerentia ſubijcimur, & ab eius clementia erratorum veniam poſcimus, & orationis fructum. MEDITATIO initiũ ſumit a lectione, quæ eſt tanquam materia, & textus meditandus. Sed antea fide Catholica, ſymboli armari oportet. Meditationibus, quæ actus eſt intellectus ſeruit imaginatio rerum, quæ conſiderantur, vt perſonarum dictorum, & factorum. Tum circunſtãtiæ tempus, locus, finis, modus, cauſæ, & effectus penſanda ſunt. Ita tamen, vt cura adhibeatur de motione voluntatis, ad ſe humiliandum Deum honorandum, laudandum, amandum, obediendum, & ſeipſum flendum, qui tantam maieſtatem offendit, & contempſit. Nam finis orationis eſt voluntate potius, quam intellectu operari, cor humanum, cæcum, & inflammatum ad bona huius vitæ, illuminatur per veram rerũ conſiderationem; ſed reſtat adhuc, vt voluntas amplectatur vera bona deſiderio affectibus, operibus, contẽnatque apparentia, & falſa, & hæc eſt maior difficultas orationis, quæ vincitur gratia Dei; Ad quam obtinendam ordinatur petitio poſtrema orationis pars: ſimul cum gratiarum actione, & colloquijs. Flendo inopiam virtutum, noſtram miſeriam accuſando, quæ tot contraria diuinę voluntati appetat, inuocando diuinã clementiam per Chriſti merita, vt veniam concedat, ſe reſignando in manus Dei, proponendo emendationem. Præcipue petenda eſt gratia, & virtutes ad faciendum, quæ illi placent. Petendum etiam pro publicis malis remedium, *Pro peccatoribus, pro amicis, & inimicis, & defunctis, vt in Catechiſmo dictum eſt*. Iuuant orationem interna media, vt deſiderium inflammatum proficiendi in ſpirituali vita, & Dei ſeruitio; Cuſtodia cordis, continua memoria Dei, ſaltem per orationes iaculatorias. Et etiam externa, vt lectio, cuſtodia ſenſuum, ſolitudo, tẽpus dicatum. Exercitijs deuotionis, perſeuerantia, locus aptus, aſpera, ſiue pœnitens vita, opera miſericordiæ, ſacramentorũ frequentia. Impedimenta orationis multa ſũt, vt peccata venialia, remorſus conſcientiæ, ſcrupuli, faſtidia, ſenſuales conſolationes, curæ nimiæ, & occupationes, curioſitates indiſcretæ, interruptio exercitiorum, precioſi cibi, & nimia cura corporis, ſicut econtrario corporis debilitas. Item *Granat. lib. de orationi.* tentationes diuerſæ, vt ſiccitas, defectus conſolationum, tentationes infidelitatis, cogitationes importunę, nimius timor, & diffidentia, præſumptio, ſomnus nimius, appetitus ſtudẽdi nimius, vel proficiendi alijs, de quibus omnibus accurate ſcripſit Ludo. Granata. in lib. de oratione. Huic coniungendum eſt

EXAMEN conſcientiæ, de quo ſupra libro primo, erit vtilius ſiue ſit ſicca examinatio, ſeu mixta cum aliqua conſideratione, & actibus virtutum.

MODVS LECTIONIS, & ſtudii librorum multiplex eſt, ſicut ſtudia varia ſunt. Communis modus ſtudendi, cuiuſcumque generis eſt,

vt

vt præcedat oratio ad imitationem Sancti Thomæ. Et quæ leguntur ad aliquem bonum finem accommodentur, & poſt Deo gratiæ agantur, cui omnem veri cognitionem decet acceptam ferre. Proprius vero ſtudendi modus erit, iuxta varietatem lectionis, & ſtudentium. Presbiteris non curatis, neque in maioribus ſtudijs exercitatis, reliquiſque minoribus clericis, ſufficeret lectio Catechiſmi, & Concilij Tridentini, concionum, librorum ſpiritualium floruinque Sanctorum, vel Hiſtoriæ Eccleſiæ; Et quando eſt de rebus fidei, eruenda ſunt credenda, ad errores fugiendos. Si ſit de virtutibus, & vitiis, reprehenſiones propriæ conſcientiæ, conſolationes, eruere, & ſe ipsũ excitare ad virtutes, oportet. Nam ideo lectio eſt clericis neceſſaria ſecundum Auguſtinum. Quia viri iuſti vita lectione inſtruitur, oratione ornatur, aſſiduitate munitur a peccato, iuxta illud, in corde meo abſcondi eloquia tua, vt non peccẽ. Lectio, & oratio ſunt arma quibus diabolus expugnatur, & inſtrumenta quibus æterna beatitudo acquiritur, his armis vitia reprimuntur, his alimentis virtutes nutriuntur; ideo omnes ſancti lectioni dediti fuerũt.

In parochiis, & confeſſoribus & ijs qui Theologiæ, aut Canonum gradus minores ſuſceperũt ſtudium perfectius requiritur ad munus præſtandum, & doctrinæ cępta augmentum. Nam præter diligentem lectionem concionum tractatuumque ſpiritualium ad profectum populi, & ſuum indigent frequẽti ſummarum ſtudio, quas numquam de manibus deponere debent, vt poſſint occurrentibus conſcientiæ caſibus reſpondere, vt Cate. dixit. Ad quod conduceret quotannis, Naua. ſummã perlegere, quod ſpacio trium menſium fieri poteſt, vt vir admodum doctus dicebat, qua frequentia progreſſu temporis ſperari poteſt futuram maxime familiarem ad vſum, & conſilia. Modus huius ſtudij eſt vim diuinę legis bene percipere ad quid obliget, ſimiliter naturam ſacramentorum eorumque adminiſtrationem, & ſuſceptionem legitimam, notando regulas generales, & exceptiones vel limitationes, vt exacte ſciat qua ratione ad praxim doctrina deduci poſſit. Et ſecundum varias circunſtantias, quid ſentiendum ſit de bonitate, aut malitia actuum humanorum; Poſſetque diligentia, & modernorum lectione adiuta tantum excreſcere doctrina iſta Theologis, & Canoniſtis communis, vt perueniat ad capiẽdas reſolutiones vtiliſſimas, quibus eccleſiæ, & fideles poſſent magnopere iuuari, & in dubijs conſolari in vtroque foro ſicut fecerunt noſtra ætate, viri præſtantes. *Nauar. Couarr. Rodriq. Azorius. Toletus.*

In episcopis autem, & eorum Vicarijs, Pænitentiarijs, Cathedraticis, & Concionatoribus, vel cõſultoribus Principum illuſtriumque ciuitatum, aut Regnorum, & in aliis Theologis, Doctoribus, & Eccleſiaſticis viris, qui in ſtudijs grauibus profecerunt, vel munus habent docendi, & conſiliandi: perfectam, atque exquiſitã diuinarum rerum cognitionem requirimus, atque ſtudium. Duo tamen ſunt præcipua ad quæ alia reducũtur. Vnum ſtudium eſt ſanctarum ſcripturarũ. Alterum Scholaſticę Theologię; modus enim diuerſus eſt, quamuis ſciẽtia vna ſit. Illa vocatur poſitiua, quaſi ponens, aut ſupponens principia, iſta vero ſcholaſtica, quæ in ſcholis labore diſcitur inferens ex vero ſenſu ſcripturarum concluſiones, ſine qua nihil firmum in quamplurimis rebus fidei aut morum certo, & conſtanter ſciri poteſt, vt Cano, inquit, in præclaro opere de locis Theologicis, in quo

Cano. Villaui. tradit modum huius ſtudij. Idem fecit Villaui. optime lib. 3. de formãdo ſtudio Theologiæ. Vbi ſupponendum vniuerſam Theologiam eſſe principia, aut cõcluſiones. Principia, alia propria, alia extranea. Propria item, aut primaria ſunt, vt illa generalia Deum eſſe, & remuneratorem eſſe, & ſpecialia, vt Articuli fidei, qui ſunt pręcipua, & per ſe credenda velut in ſcientijs ſuppoſitiones, quæ aliquo modo ſuaderi poſſunt. Aut ſunt ſecundaria, vt traditiones non ſcriptę, & verbum Dei ſcriptum, hoc eſt libri ſacri Canonici, ad quod reducuntur, quæ Romani Pontifices, & Concilia definierunt, & Sancti Patres concordes, qui non inuenerunt noua, ſed ab Apoſtolis accepta tradunt, vel interpretantur, aut conſequentia illiſque repugnantia declarant. Extranea ſunt ratio naturalis, & humana hiſtoria. Quæ principia loci Theologici nũcupantur ex quibus tanquam ex fontibus argumenta ibi velut abſcondita eruuntur.

Qui claritatis gratia numerantur decem.

Primus ab auctoritate Sacræ Scripturæ.

Secundus a traditionibus Chriſti, & Apoſtolorum.

Tertius ab auctoritate eccleſiæ.

Quartus ab auctoritate Papæ.

Quintus a concilijs generalibus.

Sextus ab auctoritate Sanctorum Patrum.

Septimus a doctoribus, ſcholaſticis, & canoniſtis.

Octauus, a ratione naturali per ſcientias difuſa.

Nonus ab auctoritate Philoſophorum, & iuriſperitorum.

Decimus, ab humana hiſtoria. Rurſum infert Theologus ex ijs, aliquando neceſſario, aliquando probabiliter. Neceſſario argumentatur per neceſſariam conſequẽtiam ex duabus præmiſſis de fide, vel ex vna de fide, & altera euidenti. Probabiliter vero infert ex vna præmiſſa tantum probabili, aut per conſequentiam probabilem, & tunc concluſio eſt opinio, & multę huiuſmodi permiſcentur in ſcientijs. Vnde non ſemper neceſſario argumentatur Theologus, eſſet enim ſtultum velle ſemper vti neceſſarijs; Nã plura ſunt obſcura, & implicata quæ velle vtcumque ſuadere, & non demonſtrare prudentia eſt. Ex alienis argumentatur etiam ad probandas concluſiones, & etiam ad probanda principia contra negantes, tanquam ſuprema ſcientia, quæ non habet ſuperiorem, vt non credentes credant, vel diſponantur, & credentes confirmentur. Demum concluſiones ex illis principijs deductæ, quædam ſunt certæ quædam dubiæ in opinione poſitæ. Certæ ſunt quas eccleſia tanquam certas tenet. His cognitis facile intelligitur modus ſtudij Theologici, & vſus locorum illorũ. Nam facta diſtributione materiarũ Theologicarum, vt ſupra fecimus tertio libro, tum viſis capitibus ſciendis in qualibet materia, tum punctis, ſiue articulis cuiuſque capitis, rurſum frequenter titulus cuiuslibet puncti, ſiue quæſtionis conſiderandus eſt ſpeculando an ſit quæſtio ad cognitionem, vel ad actionem, item quæ ſit ex illis an ſit, quid ſit, an hoc ſit illud & cur hoc illud ſit. Item an ſit quæſtio naturalis, an ſupernaturalis, an mixta. Supernaturalis enim ex auctoritate infallibili definienda eſt. Vt an ſit reſurrectio mortuorum in quibus pugnandum eſt cum ijs, qui errant in fide. Si ſit naturalis per locos rationis definienda eſt. Si mixta per auctoritatem, & rationem decidenda eſt. Vt an Chriſtus habeat duos intellectus, voluntates, & operationes. Quod ſi quæſtio non ſit fidei,

dei, immo ſalua fide poteſt vtraque pars ſuſtineri videnda ſunt fundamenta, & eligenda eſt, vt plurimum communis ſententia doctorum, vel quæ grauiores habet doctores, & fortiores rationes, vel quæ magis accedit ad fidem eamque magis confirmat. Et perpetuo ſeparanda ſunt certa in quibus omnes conueniunt ab incertis, & in opinione poſitis. Hic eſt modus Theologizandi ſcholaſticorum in vtramque partem diſputando, & reſpondendo, qui vtiliſſimus eſt, aliter enim non poteſt humanum ingenium diſcernere, quid verum, quid falſum ſit.

Roſenſis. Ruardus Caſtro. Belarm. AD VSVM locorum oportet intelligere naturam, & auctoritatem illorum de quo Cano accurrate egit in opere de locis Theologicis.

Secundo oportet eos perlectos habere, vt Sacram Scripturam decreta Pontificum Concilia, & Sanctos Patres.

Tertio deducenda eſt quęſtio per omnes locos colligendo, quæ pro vtraque parte inueniuntur. Tum videndum eſt quam partem rationes, & argumenta probent. Et definiendum eſt id, quod certo conuincunt teſtimonia, in alijs quod ratio ſuadet. Verum eſt non ſemper idonea argumenta reperiri in omni loco. Hæc de modo vtendi locis Theologicis de modo Theologizãdi, & ſtudio Theologico.

Ad hoc ſtudium reducitur lectio Catechiſmorum, & cõtrouerſiarum contra hæreſes, de quo Illuſtres viri huius ætatis recte ſcripſerunt. Tandem huc reduci poteſt lectio ſummarũ ad caſus conſcientiæ, & etiam ius Canonicum cum ſuis expoſitoribus quatenus tractant materias morales communes, ad eum finem, vt in foro conſcientiæ iudicari poſſint.

DE MODO STVDENDI SACRAS litteras ſcripſit Villauincentius, lib. 2. de formando ſtudio Theologo docens.

Primo ante lectionem præparandum eſſe animum, implorando Spiritus ſancti opem. Nam quę ſunt Dei nemo nouit niſi ſpiritus Dei.

Villaui. de formã Theologo Secundo quæ leguntur ad ſpiritualem profectum conuertenda ſunt, quia agitur de rebus ad ſalutem animæ pertinentibus.

Tertio contentus debet eſſe ſimplici catholica, & propria verborum ſententia, relictis ſenſibus allegoricis. Et ex pluribus ſenſibus, qui in eodem loco eſſe poſſunt ſecundum Auguſtinum eligendus eſt ille quem apparuerit certo ſcriptorem voluiſſe ſignificare. In ipſa lectione duplex explanatio ſcripturæ quæri poteſt, popularis, & ſcholaſtica, popularis concionibus conuenientior eſt, ſcholaſtica vero magis laborioſa ſcholis, qua omnia examinantur. Ad quam videndum eſt quis ſit ſcriptor libri, quem legimus, veteris, aut noui Teſtamenti, & quibus, & pp quam cauſam ſit ſcriptus, & de quibus agatur.

Secundo, quod ſit potiſſimum argumentum libri, ſiue intentum, & in quas partes diuidatur.

Tertio, cum ad primam partem deuentum fuerit, ſumma illius dicenda eſt. His ſuppoſitis incipiendum a prima clauſula, quæ ſinceriter, & clare exprimenda eſt per Paraphraſim, & clariorem ſenſum. Item interpretatio probanda eſt, ex alijs locis ſcripturæ, & ex antecedentibus, & ſequentibus, ex Hiſtorijs, ex rerum naturã, ex diuinis traditionibus, ex rationibus, & Sanctis Patribus. Econtrario alię interpretationes redargui poſſunt; Et pugnantes loci concordati. Stabilito ſenſu clauſulæ, explicandum eſt quantum ponderis habeat ad cauſam de qua agit ſcriptor. Poſt habenda eſt ratio verborum ſingulorum, ſi aliquod ſit amphibo-

logicum (quod ſententiam mutet, aut obſcuret) in qua ſignificatione accipiatur. Item eſt inſpiciendum, ſi in verbis lateat graue aliquod argumentum, ſiue probatio faciens ad propoſitum, vel præſentem ſtatum ecclesiæ, ad ſana dogmata, redargutionem errorum, correctionem morum, vel conſolationem. Vltimo agitari poteſt aliqua quæſtio ibi oblata. Quod hic ſit modus recte exponedi ſacras literas, probatur ex Sanctis Patribus, qui ita legebant ſacras literas ad fines ſpirituales propter quos ſcri-

2. Timo. c.3. Rom. 15. ptura edita eſt. Tum ex Apoſtolo omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum arguendum, corripiendum, erudiendum in iuſtitia, vt perfectus ſit homo. Et quæ ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt. Vnde modus legendi ſcripturas eſt colligere quinq; genera propoſitionum, nempe ſana dogmata, errores aduerſos, inſtitutiones, correctiones, conſolationes. Et qui nihil horum obſeruant, neque legunt ſerio, neque intelligunt.

Ad hoc ſtudium reducitur lectio concionum quæ innumerabiles ſunt tam Sanctorum Patrum, quam aliorum virorum illuſtrium.

In lectione Sanctorum Patrum eſt magna doctrinæ copia, & mirabilius varietas, quorum ſcripta in tres ordines diuiduntur.

Primus interpretantium ſacras literas, & ad ſcripturæ ſtudium pertinet.

Secundus explanantiũ locos communes, & ſana dogmata contra hæreticos, & hic pertinet ad ſcholaſticam.

Tertius ad gubernationem eccleſiarum, vt Epiſtolæ, Dialogi, Apologiæ, Orationes, Homiliæ, Hiſtoriæ. In quorũ lectione eccleſiaſticus debet trãſcribere in codice adhoc præparato, quæ ad interpretationẽ ſcripturæ valent, vel ad dogmata, aut inſtitutionem hac lege, vt ſupra, vel in margine ponatur titulus, cui poteſt inſeruire. Circunſpecte legẽdos eſſe Villaui. libro 4. docet; ad quod valet plurimum Scholaſtica Theologia.

Stvdivm sacrorvm conciliorvm eſt maxima laude dignũ, reduciturque ad Scholaſticam Theologiam. Item. ſtudium Hiſtoriarum eccleſiaſticarum, immo & profanarum perutile eſt ad hiſtorias ſacras intelligendas.

Quæ autem ſint obſeruanda ad veritatem hiſtoriæ, & vtilitatem capiendam recte tradit Villaui. 4. lib. Villa 4. li. c. 5

Quibus omnibus adiungit eccleſiaſticis, neceſſariam lectionem eſſe, ad peculiares functiones, vt de officio Epiſcoporum, Presbiterorum, Diaconorum. De viſitatione eccleſiarũ; De cura paſtorali; De ratione concionandi; De modo diſpenſandi ſacramenta; De præparatione ad mortem; De diuinis officijs. Tandem natvralis Philoſophiæ, atque Moralis ſtudiũ adiuuat ſcientiam ſcripturarum ſicut ratio naturalis adiuuat fidem. Præter dicta eſt etiam laudabile ſtudium.

Declamationum, exemplo Sãctorum Patrum, quæ fieri poſſunt de Themate ſimplici, aut compoſito, laudando, vituperando, ſuadendo, diſſuadendo, quæ adhuc ſunt in vſu in vniuerſitatibus, & eccleſijs, & in ſeminarijs fouenda ſunt: In quibus poſſunt pertractari Theſes, & hypotheſes, Apologiæ defenſiones, ſicut fecerunt Chryſoſto. & Nazian. aduerſus eos, qui rumorem ſparſerant Conſtantinopolitanam Cathedram ambiuiſſe. Poſſunt etiam in ijs fabulæ interpretari, ſententiç, Apophtegmata. Prouerbia iuxta illud. M. Tullij de perfecto oratore; omnium bonarum artium ſcriptores peruolu-

tandi, & legẽdi ſunt, exercitationiſque gratia laudandi, vituperandi, corrigendi, interpretandi. Nam ingenio, ac labore ſimul, omnia quantumuis ardua tandem perficiuntur. Sunt præterea alia domeſtica ſtudia.

Primo Epiſtolæ ſcribi poſſunt, ſicut Sancti Patres fecerunt, & in hac parte D. Hiero. ſummam laudẽ conſecutus eſt; poſſunt in eis pertractari diſputationes graues, poſſunt fieri Epiſtolæ, laudatiuę, ſuaſorię, inuectiuę, defenſorię, familiares.

Secũdo poteſt exerceri ingenium in Poematibus, verſibus, hymnis, vt multi Sancti fecundo ingenio præditi.

Tertio pertractari poſſunt Themata per cauſas antecedentes conſequentes, & circunſtantias, vel in vtramque partem.

Quarto ſcripta aliena poſſunt dilucidari Paraphraſi.

Quinto laudabile eſt in Epitomẽ contrahere diffuſe ſcripta, ſummam tantum retinendo relictis ornamentis.

Sexto, poſſunt ſcribi dialogi de omni materia. Quibus magna doctrinæ copia comparari poteſt, abſque publicis diſputationibus, ſi ſcribendi ſtylus frequenter exerceatur, atque ſi in publicum eſſent euulganda. Nam lingua expolietur, memoria reddetur viuacior, & multarum rerum cognitionem ſentiet, & ad inueniendum promptus ad diſponendum eloquendumque paratus ad diſputandum, & declamandum expeditus reddetur. Illud tandẽ ſtudium Theologo dignum prætereundum non eſt, tranſcribendi reſponſa virorum ſapientum ad caſus conſcientiæ, vel ad quæſtiones difficiles, ſicut de viro egregio (Theologiæ facultatis Decano Salmantino) fertur, qui Concilio Tridentino interfuit, quod incredibiliter exercet, & format iudicium, eaſdemque quæſtione ſi interrogatus fueris, vel ſi doceas poteris ſoluere, quales eſſe ſolẽt de cauſis Matrimonialibus, & contractibus. Ad faciliorem librorum lectionem, poſt tituli inſpectionem, præfatio legenda eſt, tanquam clauis ad operis ingreſſum, quę duo poſtulat, de quibus ſit dicendum, & quomodo; deinde tituli librorum, & capitum euoluendi, & hac ratione facile erit ſcita omittere, de nouo elaborata perluſtrare, vel quæ in pręſenti agitantur, & iudicium ferre de nouiter additis, de ordine ſcribendi, & diligentia ſcriptoris, & in quo emineat.

Franc. Santius

Epiſcopus Segobi.

MODVS FVNCTIONVM ERGA *Proximos.*

QVI docere recuſat, doctus cum ſit, ingratus eſt in Deũ, & eccleſiam, cum gratias gratis datas conceſſerit ad gloriam ſuã, & in ædificationem corporis Chriſti. Neque religio poteſt conſeruari, & propagari niſi aliqui ad docendũ ſe apparent. Vnde duo fines Theologiæ ſunt, iuxta illud. Attende tibi, & doctrinæ, alter vt Theologus melior euadat, & proficiat. Alter, vt alij proficiant docendo. Item dupliciter docere poſſumus vno modo publice in eccleſia, ſcholis; vel capitulis alio modo priuatim. In eccleſia doceri ſolet prædicando Euangelium ex profeſſo, vel cum breuitate familiari ſermone, vt Parochi. Prædicatio Euangelij quantum neceſſaria eſt in eccleſia tanto maior cura in eius vſu adhibenda eſt. Dolendum tamen quantum in hac parte peccetur, aut propter vitæ imperfectionẽ, vel propter negligentiam, vel inſcitiam artis concionandi (ſine qua nihil laude dignum, vel auditoribus frugi-

Trident. ſeſſ. 5.

frugiferum cõſequenter) vt ait Villaui, vel propter defectum aliorum
lib. 5. c. 6 requiſitorum. Quare propter muneris præſtantiam grauitatem, & difficultatem, & quia in hac parte non voto viuitur vno vi, ſum eſt pręcepta
In tribus li. de formam concio. concionandi eccleſiaſticis, ſecutus Villauincentium experientiam, & obſeruationem Illuſtrium concionatorum breuiter præſcribere.

CONCIONANDI methodus.

COnuenienter ad quatuor capita reduci poteſt. Nam Concio non eſt aliud, quam ratiocinium bene ordinatum de rebus diuinis ad perſuadendum. Vnde cum ſit ens quoddam fabricatum a ratione ad inſtar entium naturalium. Quatuor habet cauſas finalem, materialem, formalem, atque efficientem de quibus recte præſtandis Regulæ tradendæ ſunt.

FINIS CONCIONIS.

PErpetuo inſpiciendus, ad quem omnia dirigenda ſunt, ad eo excedit humanas vires, vt abſque diuino affiatu haberi non poſſit. Is eſt, vt exiſtentes in peccato conuertantur, & boni meliores euadant ad beatitudinem. Nam omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt, &c. vt perfectus ſit homo Dei. Si Philoſophia morum pro fine habet, non vt ſciamus (inquit Philoſophus) ſed vt boni efficiamur, quanto magis vera Philoſophia Euangelica? Quod clarius fiet ex nominibus, qui bus concio in ſcripturis ſanctis appellatur. Dicitur enim prædicatio Euangelij, verbum crucis, & verbũ Dei. Prædicamus ait Apoſtolus non noſmetipſos, ſed Ieſum Chriſtum, & hunc crucifixum. Et forte Romæ ideo in ſuggeſtis ponitur imago Crucifixi, vt eo tendant prædicatorum verba. Contra hoc iactantioſi, & arrogantes delinquunt, & introducentes nouas, & inſolentes locutiones, vt noua, & inaudita credantur afferre. Item verbo Crucis ſatis improbãtur delectare tantum cupientes contenti verborum lenocinijs loquentes placentia. Verbum autem Dei recte vocatur, quia illud ſemper eſt vtile. Ego Deus docens te vtilia, ait, eſt verbum fidele, ſicut eius lex conuertens animas, fructificans, & nunquã vacuum rediens. Vnde niſi è corde penitus abradatur non eſſe agendũ de negotio prædicatoris, vel æſtimatione, ſed de bono auditorum, vt informentur de ijs, quæ ignorant, & facere tenentur ad felicitatem conſequendam, perpetuo extra viam errabit Concionator perditus, vt egregius vir prædicatoriæ familiæ optime dixit. Quos ad viam reducere Epiſcoporum eſt, quoniam negotiũ eorum agitur a quibus conuerſio, & ſalus animarum eſt ſummopere cõmendanda. F. de. Vict. Pat. Rib. A fine ſimiliter deuiant, ij quorum intentum eſt lucrum, & commoditates in miniſtris Dei malorum non poſtremum. Et abutentes verbo Dei, vt male loquantur de ijs quos oderunt. Et qui nouas opiniones inſerunt, reuelationes iactant, & vaticinari futura pollicentur. Nam hæc omnia nocent auditoribus ex his contentiones oriuntur, a virtute retrahunt, vel retardant. Tria igitur a concionatore ſunt ſemper inſpiciẽda, vt Villaui. docet, Auditorum vtilitas, decorum in dicendo, agendoq; & concordia; quam temerarij deſtruunt diſcordias ſeminantes, omnia dicentes, & facientes in contemptum aliorum concionatorum, qui id reſcientes laborant partes, aut ſuperiores

riores inueniri. Ecce diſcordias peſtilentes.

MATERIA CONCIONIS.

IN communi eſt Euágelium, Chriſti fides, Scriptura ſacra, Chriſtiana doctrina, lex Dei. Item mala peccati, eiuſque remedia, & virtutes; Sed præcipua materia eſt obſeruantia diuinorum mandatorum, nã non eſt alia via ad ſalutem iuxta illud ſi vis ad vitam ingredi ſerua mãdata. In ſpecie de Euangelio diei iuxta Eccleſiæ conſuetudinem, de epiſtola raro concionandum eſt. Rurſum in Euangelio, materia prædicationis eſt Thema ſimplex, aut compoſitum. Nam omnia, quæ pertractari poſſunt, aut ſunt expoſitiones, aut rationes dictorum, & factorum, aut Euangelium applicatur alicui feſtiuitati, vel propoſito, aut ſunt Theſes generales, aut hypotheſes particulares, aut tandem inferuntur conſectaria. Quidquid illud ſit ſimplici dictione explicari poteſt, vel integra enuntiatione, quæ vocari ſolet conceptum, diſcurſus, conſideratio, locus communis. Vt ſi decreueris loqui de operibus, de fide, de morte thémata ſimplicia erũt, opera, fides, mors; compoſita vero, opera mercedem conſequuntur; fides ſine operibus non ſufficit ad ſalutem. Mortui reſurgunt ad vitam. Totum ergo hoc negocium conſiſtit in recte pertractando quolibet themate.

Modvs pertractandi thema ſimplex ſecundum philoſophos eſt dicere quid ſit, quæ ſint eius partes, ſpecies, cauſæ, effectus, officia, affinia, contraria, ſed concionator agit libere eligit ex ijs capita auditoribus, tẽpori, & loco magis conuenientia. Vnde expoſito quid ſit, id de quo agitur, & diuiſione ſtatim ad perſuadendum, & mouendum ſe cõuertit, modo contrarijs, modo affinibus, itẽ promiſſionibus, comminationibus, exẽplis, ſimilitudinibus, rationibus ſuaſorijs ex communi hominum vita, & moralibus argutiſque ſentẽtijs, vt Chryſoſt. Nanzian. Baſil. qui hoc modo plures locos pertractarunt.

Modvs pertractandi thema compoſitum, ſiue conceptum duplex eſt, communis, & proprius. Præcepta cõmunia ſunt. Primo videre antea omnia conditionem auditorum, an ſit Aula principis, an ſchola, nobilis conſilium, an Emporium, an copia nobilium, & diuitum, an opifices, vel ruſtici. Secundo ante difuſam tractationem prius apertis verbis eſt exponenda totius tractatus ſumma. Tertio aliquando dicere oportet, quantum ſit neceſſaria illa materia. Quarto adducendæ ſunt probationes ex ſacris litteris, ſed efficaciores in principio, & fine, in medio minus firmę. Quinto ſimilitudines naturales graues vocabulis claris nõ ruſticis. Sexto exempla ex ſacris libris. Septimo adhibenda eſt hiſtoria cum amplificationibus. Octauo rationes humanę ad perſuadendum. Nono aliquando oportunæ fiunt digreſſiones breues in medio diſputationis reprehendendo, aut exhortando. Decimo ponderanda ſunt, quæ exaggerationem merentur. Vndecimo adiungendæ ſunt ſententiæ ſanctorum antiquorum, & ſcholaſticorum doctorum. Duodecimo inferenda ſunt conſectaria iuxta Auditorij neceſſitatem, quia hic eſt ſcopus. Poſtremo quod reliquum eſt impẽditur mouendis affectibus. Hæc eſt methodus communis naturalis, & accommodata. Quare tria poſtulat perfecta tractatio, cõceptus, explicationem, amplificationem, ſiuę dilatationem, & motionẽ affectuum, de quibus in ſequentibus dicetur. Ad cõſequendum hunc modum *f. di. vi B.*

dum

dum docēdi popularem iuuat lectio concionum Chryſoſtomi. Et collige re locos communes ex ſacris litteris, cum ſententijs, & exemplis. Et vti Theologia ſcholaſtica in omni materia.

PROPRIVS modus tractandi conceptum eſt iuxta naturam cuiuſque, qui varij ſunt, atque diuerſi. Sed omnes ad quinque genera reducuntur. Nam aut eſt doctrinalis conceptus, aut redarguitiuus, aut inſtitutiuus, aut correctorius, aut conſolatorius, aut mixtus, & compoſitus ex his. Iuxta illam ſententiam Apoſtoli omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, arguendum, corripiēdum, erudiēdum; & omnia quæ ſcripta ſunt ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, vt per patientiam, & conſolationem ſcripturarum ſpem habeamus.

MODVS doctrinalē cōceptum tractandi, hoc eſt ad docenda vera dogmata, & ſtabilienda eſt argumentari ex Theologia. Primo a ſignificatione vocis, vel phraſi ſanctæ ſcripturę. Secundo a certa locutionis forma. Tertio a ſignificatione verborum ad mentem loquentis. Quarto a verbis antecedentibus, & ſequētibus. Quinto a ſententia generali in Theologia poſt probationes ex Prophetis, & Apoſtolis; quia ex doctoribus cōſentientibus explicantibus Scripturas permouentur auditores ad ſanam doctrinam retinendam. Sexto ab attributis Dei. Septimo ab vno tempore ad aliud, vt a tempore legis ad tempus Euāgelij. Et a ſigno ad rem ſignificatam. Octauo ab vno tempore ad omne tempus, a membris ad caput, & a capite ad membra. Nono a corporali ad ſpirituale, & econtra. Decimo a comminatione Dei, & effectu, vel a promiſſione, & effectu. Decimoprimo, a neceſſaria adimpletione vaticinij diuini. Decimoſecundo, a perſona vnius iuſti ad omnes iuſtos, & ab vno impio ad alios impios. Decimotertio, a typo, ſiue allegoria ad veritatem. Cauendum eſt in hoc genere a quæſtionibus curioſis, & inutilibus iuxta Apoſtolū ad Timo. quæ mouent diſſidia. Et vtendum eſt modo quem admittit natura dogmatis, tempus, locus, & ingenia Auditorum. In quo omnia debent eſſe ſolida, expreſſa, certa. Cauendæ ſunt item probationes extortæ, aut longe petitę. Vtendum eſt ſimilitudinibus parce, allegorijs raro, aut nunquam. Neque miſcenda ſunt quę falſam ſententiā ſtabiliant, immo adhibendæ ſunt præoccupationes ſuo tempore ad calumnias remouendas. Et loquendū eſt proprie, & conſiderate. Vltimo docenda eſt vtilitas eruenda conſcientijs, ſine qua infrugifera eſt magnarū rerum cognitio. Valent vera dogmata ad fidem, ſpem, timorem, religionem, & charitatem excitandam, & Dei beneuolentiam agnoſcendam, gratiaſque agendas. Exemplum huius conceptus eſt, 1. Corin. de reſurrectione. Et in ſex. cap. ad Hæbr. de abrogatione ſacrificiorum legalium, & ſucceſſione vnius ſacrificii. Et Homi. 60. Chryſo. in Math. de cauſa peccati. Quod ſi concionator aliquando ſecutus vnum auctorem errauerit aliis non viſis, non pudeat confiteri, & adducere ſaniorem doctrinam, vt lapſi foueam euadāt, nec mirum, quia homines ſunt; de quo Auguſt. de Cate. rudi.

MODVS REDARGVENDI ERRORES, ideſt ad deſtruendos, & impugnandos, eſt quidquid dialectici ad refutandum tradunt. Nā pugnantes cum hæreticis omni armorū genere debent eſſe inſtructi.

Primo debent examinari verboſę probationes, quid veri, quid falſi contineant. Et vitia, tam materiæ,

quam

quam formæ inter hæreticos publice manifeſtanda ſunt. Vitia formæ ex regulis conſequentiarum dignoſcuntur, celanda tamen ſunt vocabula ſcholæ, ne ſolutio ſuſpecta videatur, aut fallacijs vti.

Secundo inquirendum an ſit aliqua æquiuocatio, aut fallacia.

Tertio opponendæ ſunt quæſtiones æque difficiles ſicut fecit Chriſtus, baptiſmus Ioannis eratne e cælo.

Quarto reijciēda eſt cum irriſione infirma obiectio, & ſi facilis ſit ſolutio poteſt fieri digreſſio. Aliquæ ſolutiones ſunt propriæ in Theologia. Prima ab oppoſitione ſententiæ Dei contra ſententiam hominum, vt quare vos tranſgredimini, &c. Secūda a vera interpretatione contra falſam, vt non tentabis Dominum, contra illud Angelis mandauit de te. Tertio ab oppoſitione eius, quod præcipuum eſt, vt non in ſolo pane viuit homo, ideſt conſeruatio vitæ noſtræ non pendet ex ſolo alimento corporali. Quarto a conciliatione locorum pugnantium. Tandem adhibendæ dehortatoriæ rationes, vt fugiantur, vt quod ſint dogmata inutilia, iniuſta, periculoſa. In terris tamen Catholicorum non eſt tutum hæreſes nominare, ſed catholica probare, vt ſolus ſciēs hæreſes intelligat ibi impugnari. Sed non nimis acerbe agendum ex odio, immo cum moderatione ex amore veritatis, vt errantes intelligant reſipiſcentiam, & ſalutem eorum quæri. Exemplum huius eſt Iſaiæ 8. vbi reprehenditur ille populus eo, quod plus niteretur humano, quam diuino auxilio. Et Chriſtus plura falſa dogmata deſtruit Mat. 5. 6. & 7. Chryſoſt. Duas elegantes Homilias reliquit contra eos, qui gehennalem pœnā non credunt. Impugnari etiam poſſunt argumentis doctrinalis generis quibus vera dogmata firmantur. Et quæ Rhetores de genere iudiciali docēt pertinent ad doctrinam, & redargutionem.

A D INSTITVTIONEM morum, quæ cōprehendit exhortationes, ſanctorum laudes, & funebres conciones; Modus eſt argumentari ab ijs, quæ inſunt rei, de qua agitur. Vt ad ſuadendum Xenodochium pauperum, vel collectas ad captiuos redimendos, docendū eſt eſſe honeſtum, iuſtum, pium, vtile, tutum, decorum, laudabile, neceſſarium, facile, vel poſſibile, ex ſcripturis, & Sanctorum ſententijs. Sunt præterea alia argumēta, vt a ſpe ſucceſſus, quod ſit gloria expectanda, apud Deum, & homines. Ab amplitudine gloriæ Dei, & ędificatione aliorum. A metu ignominiæ. A certitudine, & magnitudine prēmiorum. A præcepto Dei. Quod ſit conſilium ſanctorum. A comminationibus, & promiſſionibus. A factis ſanctorum, & exemplis & alijs circumſtantijs, & cauſis. Vbi vtendum eſt regulis mouendorum affectuum. Cauendum tamen in hoc genere, ne multitudini ſuadeantur niſi neceſſaria, & vtilia. Item vitāda eſt aſperitas agreſtis, & ex aduerſo, ne frigidus, aut timidus appareat cōcionator. Tertio vtendum eſt libertate, & ſimplicitate, quæ tollit ſuſpiciones quaſi proprium commodum quærat. Quarto non debet ſe nimis ſubmittere, quia eſt adulantium, at grauitas docendi coram multitudine conſeruanda eſt. Exemplum huius generis eſt exhortatio. Chryſoſt. ad beneficentiam, & terrenorum contemptum.

I N SANCTORVM laudibus, de bonis corporis, & fortunæ parum agendum, niſi quod Sancti in ijs non ſunt confiſi, neque illis ſint abuſi. Et ſemper locus aliquis Scripturæ Sanctæ proponitur in eorum laudibus,

explicandus, de quo duo, aut tria docenda ſunt; Commendando virtutes ſanctorum plus manifeſtas. Magis ſtudendum in corrigendis corruptis moribus, & formandis in pietate, & iuſtitia Chriſtianis. Vnde duo ſunt laudum ſcopi. Alter prouocare ad laudandum Deum, qui eos elegit, & mirabilia fecit per eos. Alter eſt mouere ad imitationem, iuxta illud imitatores mei eſtote, & obſeruate eos, qui ita ambulant. Cauendum eſt ab hiſtorijs, & miraculis fabuloſis, vt d. 15. cap. Sancta Romana habetur. Item, & a cóparationibus; quæ inuidiam concitare poſſunt. Huius generis exemplum, ſunt laudes Baptiſtæ a Chriſto Domino. Poſſunt etiam laudari facta egregia, vt fractio Idolorum per Ioſiam, vel Machabæorum mors: Ad quod demonſtrandum eſt eſſe honeſtum, pium, vtile, laudabile, verbo, aut voluntati Dei conſentaneum. Et ex cauſis, & circunſtantijs amplificanda ſunt. Præcipue hortandũ ad imitationem & perſeuerantiam in bene ceptis. Exemplum bonorũ factorum eſt in prima Theſſalonicen. Demũ eodem modo laudandę ſunt res, ex eo quod ſit honeſta, vtilis, pia, vt lectio aſſidua & eleemoſynæ.

CONCIONES funebres religioſius fiunt nunc quam olim, cũ mortui a pueritia vſque ad ſenectutẽ laudabantur more gentilium. At modo loci ſaluberrimi pertractantur, vt de præparatione ad mortẽ; Quod mors ſit pœna peccati; de miſerijs humanæ vitæ; De mundi contemptu; de miſericordia Dei erga pęnitentes in extremis; De reddẽda ratione. Non eſſe immoderate lugendos, mortuos ſed agendas gratias, eo quod ex hoc carcere dignatus ſit eos eripere. Et beatos eſſe, qui in Domino moriuntur; De mortuo breuiter quaſi verecunde dici poteſt de genere vitæ, vel ſi in aliqua virtute excelluit, vel de confeſſione fidei in tranſitu.

IN CORRECTORIO GENERE probandum eſt, eſſe inhoneſtum, iniuſtum, periculoſum, difficile, quod corrigitur, vt Auditores cognoſcant fœditatem, & proponant emendationem. Ad corripiendum, ſiue reprehendendum cum fructu prudentia non vulgari opus eſt, vt debito modo, & tempore, & cum diſcretione perſonarum fiat. Et bona pars concionatoris eſt poſita in reprehenſione; ſibi dictum exiſtimet concionator illud, clama ne ceſſes, annũcia populo ſcelera eorum. Et illud prophetæ tui non aperiebant iniquitatem tuam, vt te ad pęnitentiam prouocarent. Sed non fit decore, & cum auctoritate, niſi a viris magnæ opinionis, vt ſenibus exercitatis, vel vitæ puritate, aut ſcientia præſtantibus, vel ab ijs, qui donum habent. Tempus eſt quando locus ſcripturæ qui in manibus habetur id poſtulat, & vitia graſsãtur. At grauiora prius reſecanda ſunt, quam leuiora. Modus eſt præmittere doctrinam, & rationes quibus etiam ruſtici intelligant eſſe peccata grauia, & damnationem afferre. Nã reprehenſio quæ non fundatur in verbo Dei imbecilla eſt. Verũ alia debet eſſe acerbior alia moderatior pro qualitate criminum. De quibuſdam enim ſatis eſt amanter admonere, quæ non ſunt grandia vitia, vt de veſtitu nouo. Cauendum tamen ne extenuentur peccata, vel ita depingantur, vt prouocentur auditores ad peccandi cupiditatem. Vnde turpia, & fraudes nõ pluribus verbis, ſed grauiter attingenda ſunt, illa vero ſeuere reprehendenda, quæ aperte pugnant cum decalogo. Non tamen ita excandeſcendum, vt modeſtiæ obliuiſcatur eccleſiaſtes, aut ſe deformet, vel odio hominum rapiatur non vitiorum.

Item

Item omnes ſtatus hominum etiam Magiſtratus reprehēdendi ſunt quoties a iuſtitia deuiant, breuiter tamē, ne videatur imperium affectare iuxta Apoſtolū, non quia dominamur fidei veſtræ ait, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri. Neque eſt regula certa qua hoc fieri debeat, ſed colligendum eſt ex cauſis, circunſtantiis, ex concionibus Chriſti, & Prophetarū (concionatorum magiſtris) qui grauiſſime ſacerdotes, & iudices impetunt. Et diſcretione opus eſt, nā quidam nullum monitorem admittunt, alij patiūtur ſe corripi a quibuſdam non ab omnibus. Modeſte, vt plurimum in officio publico cōſtituti corripiēdi ſunt, iuxta Apoſtolum, Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra, vt patrem. Et nihil temere dicendum ex quo tumultus, aut ſeditio ſequi poſſit. Neque peccantes nominandi ſunt niſi hæreſum auctores, ſicut Apoſtolus Hymeneum, & Philetum nominat, vt ab illis caueant. Monendi ſunt Magiſtratus, vt pœnis ab eis impoſitis adiuuent ad coercenda vitia, aliter parum proficient reprehenſiones. Præterea ſępius eadem vitia reprehendēda ſunt donec emendentur. Docenda ſunt etiam remedia peccatorū. Denique miſcendum eſt aliquod conſolationis temperamentum more medicorum, vt eſſe promiſſam certam ſpem miſericordiæ pænitentibus. Quia omni modo curandum, vt non ſolum ad dolorē, ſed etiam ad fidem, & charitatem adducantur peccatores. Quod ſi importunis, aut oportunis clamoribus aliqui emendentur collaudādi ſunt, & iuuandi ad perſeuerantiam. Si autem ob iuſtas obiurgationes offendantur, ne puſillo animo eccleſiaſtes fiat, nec propterea ceſſet ab opere, ſed conſideret ad quam excellēs munus ſit prouectus, & quanta præmia ſtrenue certantibus ſint parata, & Spiritum Sanctum, nunquam dē futurum conſolatorem, neque permiſſurum opprimi a feritate aduerſariorum. Verum ad emolliendos animos aliquoties inſerendum eſt, ex officio teneri ad veritatem dicendā, neq; licere latum vnguem diſcedere a via veritatis, quia nuntius eſt Dei ſummi, ideoque proferre non poſſe, niſi quod dedit in mandatis. Tum cum dolore deſcendere ad graues reprehenſiones, quia cogit publica neceſſitas. Et facere, quod medici, qui ſecundum morborum naturam adhibent medicamenta acerbiora, vel mitiora; infirmum vero inique factū ſi putet medicum lapidādum eo, quod potionem dederit amaram tamen ſalutiferam. Et eſt bellum gerere cum Deo. Exemplū huius conceptus eſt Homilia Chryſoſt. contra indigne communicantes.

In consolatorio modus eſt vti argumentis generis inſtitutiui. Quia conſolari eſt diſſuadere dolorem. Probandum eſt eſſe æquum iuſtum, honeſtum, decorum, laudabile, facile, inuicto animo perſtare, & inutile mœrore ſe conficere. Tum a genere malorum, quia nō ſunt ita grauia ſicut vulgus exiſtimat, immo potius bona quam mala, cum ad virtutem incitent, & corpus moleſtent non animum, nec diuturna ſint, & comparata cum aliis malis ſint exigua. Tum etiam argumentis Theologicis conſolatoriis amœniſſimis, vt a prouidentia Dei, quæ nihil facit fruſtra, & nouit quib. opus habeamus. A præſidio Angelorum, qui noſtri curam gerunt. A iuſtitia Dei punientis minus, quam mereamur. Ab eo quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Ab eo quòd mittēdo aduerſa exercet, probat, & coronat; Nam occaſionem præbent ſe humiliandi, contemnendi terrena, & Deum inuocandi. Ab eo quod

mala quæ toleramus beneficiis nouis conduplicat. Ab eo quod aduerſa ſunt ſigna dilectionis paternæ. A promiſſionibus Dei, quod non patietur tentari ſupra, id quod poſſumus. Ab exemplo Chriſti ducis noſtri imitãdi. Ab exemplo ſanctorum in quibus eluxit eximia patientia. A certitudine, & præſtantia præmiorũ quib. non ęquantur paſſiones. A glorificatione Dei. Ab ædificatione aliorum. Alia argumẽta peti poſſunt a circunſtantijs, vt in morbis, quod nulli parcant, nec diuitibus, nec pauperibus. Et quod ſint effectus luxus. Si fames vaſtat expectandum eſſe alterum Ioſephum, qui prouideat. Denique Scriptura Sancta eſt pelagus ex quo poſſunt mirificę conſolationes peti, quæ ſunt digerendæ per locos cõmunes, vt ſint ad manum, ad conſolandos miſeros. Ad conſolandum valet oſtendere ſe vehementer ſentire malum publicum.

Secundo melius eſt colligere plures rationes ex ſpiritualibus, quam ex temporalibus.

Tertio quando aſſeruntur flagella a iuſtitia Dei emanare non ſunt proferenda niſi quæ ſcriptura proponit præſenti ſtatui congruentia.

Quarto cum promittitur certa liberatio ad ſingularem modum non eſt deſcendendum, ne ſi poſtea non ſuccedat ridiculus appareat.

Quinto licet luctus concedatur, ſed non immoderatus.

Sexto maior cura habenda eſt de conſolatione interna, quam de externa quod ſi altera carendum ſit tutius eſt frui tranquillitate conſcientiæ.

Septimo hortandi ſunt auditores ad petendum totis viribus Spiritum ſanctum conſolatorem, qui omnem expellit męſtitiam. Exemplum huius eſt Iſaiæ 4. Vbi eſt conſolatio populi captiui. Et Chriſtus conſolatur Apoſtolos. Duæ etiam epiſtolæ ad Theſalo. ſunt conſolatoriæ. Et quæ Sancti Patres de perferendo martirio ad conſolationem. Hæc de quinque generibus conceptuũ. Sed multoties concio eſt mixta ex ijs quinq; vel ex aliquibus.

ET TVNC IN MIXTO conceptu primo poſſunt doceri aliqua, & mox oppoſitum reprehendi, vel hortandum eſt ad bonum: interrogationibuſque, & exclamationibus agendum, vt fit a pleriſque quibus nõ placet tot præceptorũ congeries. Vltimo dicendum eſt de vſu, & quomodo illa doctrina practicanda ſit. Quomodo autẽ colligendi ſint conceptus ex ſcriptura docet Villaũ. lib. 1. c. 10. de forman. concio. Eſt enim literalis ſenſus conſiderandus, & Sancti Patres concioneſque illuſtriũ virorum, vel tractatus legẽdi, & qua ratione illos ſuadeant, atque extendant.

AMPLIFICANDVS eſt etiam cõceptus, non vt appareat res maior aut minor, quam ſit ſicut oratores faciunt, ſed vt res cognoſcãtur quantę re vera ſint. Quod fieri dẽt quando probabile eſt Auditores nõ recte iudicare de re, de qua agitur, qualia ſunt peccata quę paſſim impune cõmittuntur, vt odium, periurium, contumelia, ſcandalum, quæ vulgus non tam grauia iudicat, virtuteſque eximias negligit. Exemplum eſt in Apoſtolo, qui amplificat fidem Abrahæ, & iram Dei aduerſus non credẽtes. Porro amplificatio fit verbis, & ſententijs; Verbis vt expolitione, definitione, deſcriptione, diſtributione, congerie, incremento, ſententijs fit transeundo a quæſtione finita ad infinitam. Et diſcurrẽdo per quattuor cauſas, & circũſtantias, & per ſigna antecedentia, conſequentia, coniuncta. Et per comparationes, ſimilitudines, contraria. Item per ſchemmata de

ra de

ta de quibus primo libro dictum eſt, quæ ſimul ſunt amplificationes, & argumenta. Proprias amplificationes habet Theologia, vt a Dei attributis,qui ſcrutatur corda,& falli nō poteſt. A præcepto Dei. A promiſſionibus;A comminationibus;A vocatione ad eccleſiam. Ab acceptis donis ſpiritualibus; A ſententia generali in Theologia; A vaticinio Prophetico. Ab eo quod res ſint ſpirituales; A tempore legis ad tempus Euangelij, & a ſigno ad rem ſignificatam; A re ſpirituali ad corporalē, & econtra. Exemplum ſit Iſaiæ 15. Vbi amplificatur Moabitarū deſtructio. Et Homi.Chryſ. de vitando iuramento ad agricolas.

Mouere affectus eſt etiam neceſſarium,non ſufficit conceptum probare, neque explicare, ſed curādum præterea auditorem mouere; Nam aliter docendum eſt, atque in ſcholis,vt ad pęnitentiam,& emendationem inducantur. Quatuor affectus ab oratoribus numerantur lætitia, triſtitia, ſpes, timor. Mouere eſt eo modo tractare aliquid, vt auditores ad ſperandum,timendum,lętādum, vel triſtandum prouocentur. Affectus præcipue excitandi a prædicatoribus verbi Dei ſunt quinque, ſollicitudo æternæ ſalutis,contritio, & odium peccatorum,amor virtutum metus diuini iudicij, ſpes miſericordiæ,miſericordia erga proximos & alij ſimiles. Igitur ſi aduertat Auditores luxui, & crapulæ deditos,& locus incidat contra luxum in hoc immorandū eſt exhortando ad temperantiam,& reprehēdendo intemperantiam. Similiter ſi plebs inopia, & charitate annonę pręmatur omni induſtria ſuadenda eſt beneficentia in pauperes. Rurſum motio quādoque fit ſine arte, vt D. Petrus prima concione, ita commouit auditores, vt ſtatim compungerentur dicentes, quid faciemus? Vnde quidam ſimpliciſſime docentes pertrahūt animos quocumque volunt; ergo dicendum eſt vim mouendi potius eſſe Dei donum eximium,quod ſpiritū vocant, quam exquiſitorum verborum, & elaboratę orationis vim. Aliquando motio fit medijs quibuſdam licet donum non ſit adeo manifeſtum; vt partim certitudine, & grauitate rerum, partim pronunciatione moderata,& graui ſono,ac modo loquendi, partim teſtimonijs Prophetarum promiſſionibus Dei,præceptis,comminationibus, quibus etiam ruſtici efficaciter ad ſpem metum, vitamque mutandam mouentur. Nā negari non poteſt res,& modum dicendi eſſe magni momēti ad permouendos animos. Aliud medium eſt ſeipſum mouere,& affectus animo conceptos verbis voce vultu, & apto geſtu declarare. Nam inflammatus poteſt alios inflammare ſimileſque efficere,vt Apoſtolus; Per triēnium nocte,& die non ceſſaui cum lacrymis monens.Hoc fit accurata conſideratione ſingulorum, vehementi imaginatione, & apprehenſione, qua depingantur imagines rerum, de quibus eſt ſermo; Et tanquā concionatoris cauſa ageretur, & de ea perpetuo eſſet cogitandū. Ad quod iuuat legere locum ſcripturæ, qui mouere ſoleat, ſicut fertur de Magno Alexandro,ſolitum ſe ipſum excitare, & accendere quoties bellum eſſet commiſſurus, lectione Poetæ, qua honorificum bellum deſcribebatur. Valet etiam orare initio, vt concionator, & auditores moueantur.

Granat. in Reth. eccleſiaſ. Non generat ſibi ſimile,niſi animal perfectum.

Tertium mediū eſt vti argumentis deſumptis a locis mouendorum affectuum. Vt ad excitandam ſollicitudinem ſalutis argumētandum eſt ab honeſto, a peccatorum turpitudine, ab humana fragilitate; a miſerijs

ſerijs

ſerijs internis,& externis; a damnis turpis vitæ; a bonis melioris vitæ, a neceſſario niſi reſipiſcamus; a facili quia inuitat nos Deus, & facilē reddit. Ad odium peccatorum argumentandum eſt,a diligentia eorum, qui ea extirparunt, a fæditate,a magnitudine. Ab eo quod ſolo inſtinctu naturæ homines abhorrere debent, a malis illorum. Theologia ſua etiam habet argumenta, vt a vilitate qua homo ſubijcitur inimico. A lęſa maieſtate, ab ingratitudine, ab eo quod contriſtamus Spiritū S. Angelos,& eccleſiam. Ab eo quod per gratiam poſſumus reſiſtere tentationibus, a pœnis. Ab eo quod non eſt excuſatio. Ad amorem virtutum valent argumenta, ſequentia,ab honeſto,a religioſo,a facili,a pio, a glorioſo,a neceſſario. Quæ omnia illuſtrari poſſunt ſententijs ſimilitudinibus,& exemplis. Ad metum argumentandum eſt a peccatorum magnitudine exaggerando circunſtantias,& legem, a propria culpa, a vacuitate omnium virtutum,a neceſſitate comminationum diuinarum, a grauitate pęnarum, a Dei iuſtitia; Ab exemplo punitorum,ab eo quod nihil poteſt reſiſtere Dei iudicio,ab eo quod ſi non ſtatim, nec in hac vita, at poſt breue tempus fiet. Exempla huius ſunt conciones obiurgatoriæ Prophetarum, Apoſtolorum, & Chryſoſtomi. Ad ſpem valent argumenta conſolatoria. A peccati confeſſione, ab humiliatione, ab aſſidua imploratione veniæ,nam non deſpicit Deus humiles. A promiſſionibus diuinis, a bonitate naturali promittentis qua vult remittere, a fidelitate Dei, qui neminem fallit,& ſtat promiſſis, ab interceſſione mediatoris Chriſti, & ab effectu mortis eius,& meritorum, ab eo quod non deſerit ſuos, ſed paterno amore ſuccurrit in periculis. Ad miſericordiā in pauperes argumentandum eſt ab ætate,a ſexu,a vitæ innocētia,a priore fortuna felici, a genere calamitatis, a magnitudine, a comparatione præſentis mali,a loco,a tempore cęteriſque circunſtantijs. Item a crudelitate eorum,qui iniuriam intulerunt. A prouidentia Dei, ſapienter calamitates mittente, tanquam occaſiones charitatis exercendæ,a dignitate afflicti, a metu ſimilium malorum nobis impendentium,a pręcepto Dei miſericordiam iubentis, a promiſſionibus, & comminationibus. Ad gratitudinem,& vitæ emendationem ſunt prædicanda ampliſſima beneficia collata per Chriſtum quæ ex Theologiæ fontibus cum magna confidentia amplificanda ſunt.

Quartum medium ſunt figuræ oratorum, vt repetitio,congeries,incrementum contentio, exclamatio, interrogatio, ſubiectio, apoſtrophe, dubitatio, reticentia,hyperbole,effictio,hypotipoſis. Tempus mouendi eſt quotieſcumque neceſſarium, aut vtile eſſe dictat ratio, ſiue ſit exordium,ſiue epilogus,maior enim in hoc eſt libertas concionatoris quam oratoris; Nam imperat obiurgat, & minatur,vt Chryſoſt. orator vero cogitur aliquando adulari turpiter. Præcipuus tamē locus mouendi eſt, in exhortationibus, reprehenſionibus. At non eſt diu inhęrendum in affectibus vehementibus,quia vehementia diuturna eſſe non poſſunt, vt oratores dicunt.Ex dictis patent plura concionum vitia, qualia ſunt tangere diuerſos conceptus, & in nullo immorari. Item cōfundere, aut non bene fundare in Euangelio,& probationes parum ad propoſitum afferre; Et quod peius eſt nihil ſuadere; quo fit,vt Auditores remittantur inanes; Cum ſit concionatoris officium illuminare intellectum, & inflammare affe-

affectum. Quæ in nouitijs contingere ſolent ex inopia artis, & negligentia in legendis ſcriptoribus; ideoque magis ſtudent in quęrendis concionibus ab alijs elaboratis, non ad inueniendam materiam proprio labore diſponendam, aut ad ſumendum aliquid de forma (ſicut inſignis quidam concionator faciebat) ſed ad recitandum, & fugiendum laborem. Et tamen Chryſoſt. lib. 6. de ſacerdotio, docet opus eſſe labore ad ſatisfaciendum auditoribus, vt ſemper aliquid noui afferatur. Verũ eſt interdum tangenda eſſe aliqua puncta breuiter, quę poſset dilatari, quia intentum eſt tranſire ad alia, ſed hoc arte non caret. Cum autem varia Euangelia proponat Eccleſia in diſcurſu anni (quæ ab Spiritu Sancto, edocta melius nouit doctrinam neceſſariam fidelibus proponendam) ſequitur eas doctrinas eſſe tractandas, & ſuadendas in quolibet Euangelio quas Chriſtus, & Eccleſia intẽdit ſuadere, cordibuſque inſigere. Vnde recte dici ſolet electionem eſſe præcipuam concionatoris partem qua diſcernantur, tam in diſcurſibus, quam in medijs, & alijs ad hoc miniſterium ſpectantibus magis accommodata, & propria.

Gallo. Epiſcopus Sego.

FORMA CONCIONIS.

EST bona partium diſpoſitio; materia ſunt argumenta, & ſententiæ, collocatio vero, ſiue diſpoſitio illorum eſt, velut forma, & figura in corpore naturali. Vnde ad formam concionis duo requiruntur, certus ordo dicendorum in propoſitione inſinuatus, & partes orationis ſuaſoriæ. Hinc fit varias eſſe concionandi formas, quia varia ſunt ingenia diuerſimode partes diſponentia; quas omnes tradere non intendimus, ſed tantum eas quas in optimis concionatoribus, & ſcriptoribus obſeruare potuimus. Sũt autem quatuor. Prima vſitata commentari paraphraſtice Euangelium conceptus eruendo, ac in lucẽ proferendo fundatos in verbis Euangelij, & ſenſu literali iuxta Sanctos Patres, eoſque pertractando, & confirmando, ac in populi vtilitatem conuertendo. Secũda proponit initio conceptus tractandos, quos deinde explicat, & extendit, ſicut factum eſt in concionibus exequiarum Philippi II. Hiſpaniarũ Regis; in qua maior eſt induſtria. Quod fieri poteſt ſumẽdo aliqua capita ſuadenda ex Euangelio, aut totum Euangelium ad certa capita reducendo, vel ab hypotheſi ad theſim vniuerſalem trãſeundo, exempli gratia Do. 4. poſt Epiph. Qui cum Chriſto nauigat tempeſtatem patitur; ſed bono animo pergendum, Nam ſuccurrit Deus, & fit tranquillitas magna, de his dicendum eſt hodie. Tertia eſt de vno propoſito agere, vt ſi Euangelium applicetur ad aliquam feſtiuitatem, aut materiã, vel ſi proponatur Thema ex Euãgelio, aut verbum declarãdum. Huius formæ multa ſunt exempla in Sanctis patribus Chryſ. Nazian. Et eſt in vſu in concionibus coram ſummo Pontifice. Ad quam primo contemplandę ſunt omnes ſententiæ Euangelij, & ex illis eligenda eſt non quidem ſterilis, ſed fęcunda, ac plena ſignificans plura, aut difficilis. Et talis proponenda eſt pro Themate verbis ſonantibus, & implentibus auditum, atque ornatis, vulgari ſermone abſque exacta explicatione, quaſi verbo ad verbũ, ne nimia breuitate penuriaque verborum aures queruloſas relinquat, & quo ſtatim incipiat attentionem excitare; iuxta M. Tullium dicentem auditum eſſe menſuram pro ſe. Quarta eſt qua fit ſumma quædam dicendorum

P. Ludo. Gran.

P. Gonz.

f. primo eſcalco.

P. Mon. Maior.

Cabre. Terre.

Card. Monopo.

f. Dida. Viẽ.

F. Au. Nau.

F. Arias

dorum, & deinde minutatim per ſingulas partes declaratur. Quæ ſumma poteſt includere in ſe totum Euangelium, vel aliquam eius partem. Quẽ modum videtur ſequi Topiarius in ſuis concionibus, vt feria 4. Cinerũ. Hodie dicendum eſt perfectam pœnitentiam, quam hoc ſacro tempore deſiderat Eccleſia in ſuis fidelibus, habere aliquid internum, & aliquid externum velut corpus, & animam, vt corpus luat pœnas peccato debitas, ſicut ſupponit Euangelium hodiernum cum ieiunatis, &c. & anima interius doleat, vt Deo placeat, & ſatisfaciat, peccatumque deſtruatur, non vt videaris hominibus ieiunans. Iſtæ videntur formæ præcipuę, nam omnis concio, aut eſt de vna re, vel de pluribus, abſq; ordine, aut ordine aliquo diſpoſitis. Partes maiores concionis ſunt prohemium, & tractatus. Rurſus in prohemio quatuor continentur, inuocatio Spiritus Sancti, exordium, narratio, propoſitio. Inuocatio Spiritus Sãcti, poteſt fieri ante omnia, vt fit Romæ, vel inuitando populum aliqua conſideratione ad gratiam implorandam per interceſſionem Beatiſſimæ Virginis. Exordium a varijs circunſtantijs; cauſis, ſimilitudinibus ſumi poteſt. Vt a commendatione auctoris a quo Thema ſumptum eſt. A laude doctrinæ pertractandæ, ſed accommodatius deſumitur a materia. Vt hodie in ſancto Euangelio habemus dilectionem inimicorum, vel feruoroſã conuerſionem, & exemplarem cuiuſdam peccatricis, aut mercatoris. Poteſt etiam initium ſumi a loco ſcripturæ. Nam incipere ex abrupto eſt contra naturalem modum loquendi. Communis eſt exordio inuocationi, narrationi, & propoſitioni breuitas. Vnde exordia prolixa, velut integrę conciones non quadrant, cum regulis bene dicendi. Conſona autẽ eſt narratio grata populo, & vtilis: quę eſt velut caſus apud Iuriſtas, qua aperitur campus, & materia philoſophandi. Quæ poteſt fieri dupliciter, extenſe proprijs, & vſitatis verbis, in quo aliqui eminent lucem adhibendo hiſtoriæ. Aut breuiter per capita præſertim inſtructiori auditorio; immo omnibus gratius eſt relicta prolixitate preambulorum ſtatim rẽ aggredi, vt verbi gratia. Hodiernum Euangelium eſt filij prodigi, ac perditi, qui audacter petijt a patre portionem bonorum ſuam, quam conſumpſit cum meretricibus: deuenit miſer in tãtam miſeriam, vt coactus fuerit alias vir nobilis ſeruire in paſcendis porcis, de quorum cibo adhuc non permittebatur ſaturari. Ingemuit ex recordatione abundantię paternæ domus. Tandem decreuit reuerti ad patrem, petere veniã, demerita recognoſcere, atque indignitatem. Hanc bonam reſolutionem eccleſia in nobis deſiderat hoc ſacro tempore, de qua hodie loquendum nobis eſt. Cauendum ne confundatur narratio cum expoſitione, quæ pertinet ad tractatum, ideoque paucis eſt abſoluenda tono graui paulatim. Propoſitio docet, de quibus ſit loquendum, & quo ordine, vel modo. Quod ſi plura ſint capitula vocatur partitio, ſed non debent eſſe plura, quam tria exempli; gratia ſi Thema proponatur dicendũ eſt quis ſit eius Auctor, & quibus dicta ſint illa verba, & qua occaſione, & ſenſus verbalis rudis, vulgari ſermone. Poſtea vero propoſitio facienda dicendo: Hæc verba accepi pro Themate quorum ſenſum dicam diſtincte. Vel ex toto iſto Euangelio elegi hanc ſententiam, vel iſta capita pertractãda. Propoſitio eſt baſis, & fundamentum a quo pendet ſtructura concionis, ideo collocanda eſt ante confirmationem. Per eam eliguntur

con-

conceptus vtiliores quibus infecta multitudo indiget relictis ſublimioribus, modo in eis non ſint diſſenſiones, neque ſint ſteriles, ſed late pateant quos poſſint domi repetere, v. g. Ad plebem illiteratam, dicendum eſt, audiendum eſſe verbum Dei, & quærenda prius ſpiritualia bona. Et de gratiarum actione pro quotidianis beneficijs. Quod ſi calamitate publica premantur conſolãdi ſunt, ex eo quod Deus non patitur diu vexari ſuos, aut ſupra vires tentari, & alia huiuſmodi. In ciuitatibus de eiſdem agendum eſt, ſed maioribus argumentis, & elegantia. Et præterea aliæ materiæ pertractandæ ſunt, vt de prouidentia Dei, & miſericordia, de miſerijs hominis, & ſimiles. Sed non eſt decorum eadem repetere, & eodem modo quoties, idem Euangelium prædicatur. Tractatus continet partes concionis magis præcipuas, quæ ſunt confirmatio, & refutatio, ſi vnicus tantum doceatur conceptus vnica erit cõfirmatio, & refutatio, ſi plures conceptus, plures confirmationes, & refutationes. De modo cõfirmandi dictum eſt in communi, & in ſpeciali, in quinque generibus conceptuum. Si fiat confirmatio in forma ſillogiſtica memoriæ firmius hęrebit, & Auditor facilius conuincetur. Refutanda eſt aduerſa ſententia rationibus perſpicuis, & accommodatis, ſicut Chryſoſtomus, homilia, quod ſit melius pati iniuriam, quam inferre. Sed non eſt neceſſarium confutationes in vnum accumulare, immo poſſunt ſpargi per diuerſas ſermonis partes; vbi ſe obtulerit occaſio ſine mora oppoſita ſentẽtia refellenda eſt. At quando totus ſermo eſt redargutiuus, tunc omnia ex ordine ſunt diſſoluenda. Vltimo loco ponitur concluſio, ſiue Epilogus, quę duplex eſt vna partis, altera totius. Quilibet cõceptus ſua gaudet breui concluſione, ſed vltra toti prædicationi adiungenda eſt, quæ pręcipuorum capitum, & probationum contineat repetitionem, ſi plures, atque inſignes conceptus ſint pertractati. Si de vno ſolo eſt concio in Epilogo mouendum eſt ad fugiendum, expetendum, probandum, improbãdum, vt Chryſoſtomus, qui concludit exhortando, obiurgando, frequentiſſime tamen, orando, obſecrando. Contra formã eſt confundere tractatum cum Prohemio, vnam materiã cum altera, non vti tranſitione ad nouum ſermonem ordiendum; nullam dicendi formam, aut modum tenere, neque certum ſcopum, aut intentum ſibi proponere. *P. Carlo Regio.*

EFFICIENS CONCIONEM.

Est concionator, in quo ad fructuoſe cõcionãdum, quinque requiruntur, vocatio Dei, doctrina, bonitas, ſpiritus, & optima pronunciatio. Prædicare propria auctoritate, vt hæretici, non licet; Apoſtoli id non fecerunt niſi prius accepto mandato, prædicate Euangeliũ. Nunc vocatio, ſed mediatio exiſtimari poteſt, facta per Epiſcopos quibus data eſt poteſtas vocandi, quos idoneos ad diſpenſandum verbum Dei iudicauerint. Doctrina Theologiæ, & Philoſophiæ de rebus politicis neceſſaria eſt ad Catholica dogmata confirmanda errores refutandos, & vitia in diuerſis hominum ordinibus condemnanda, ſiue contractus ſint, ſiue conſuetudines. Ex cuius defectu tot hæreſes in multis Prouincijs vires accceperũt, quia hoc munus iuuenibus, indoctiſque, vel grammaticis commiſſum eſt. Bonitas neceſſaria eſt veluti ſigillum quo doctrina cõfirmatur ad eam amplectendam; vitæ enim impuritas vim

Docere bene, & male operari est cauſa multorũ malorũ doctrinæ extenuat. Ideo Apoſtolus, Presbiteros, & Diaconos a vitijs immunes, & virtutibus ornates poſtulat, vt poſſint exhortari, & arguere. Saltem percipiãt Auditores virtutũ deſiderio teneri. At vbi non poſſunt haberi vitæ puræ ferendi ſunt ij quorum doctrina ſana eſt. Spiritus hoc eſt Spiritus ſancti gratia opus eſt, ad doctrinam prædicandam ſacrorum librorum, & agnoſcendam, quia nemo nouit quæ Dei ſunt, niſi ſpiritus Dei, qui eſt in ipſo. Vnde ſenſus petẽdus eſt ab Spiritu ſancto, ab Apoſtolis, ab Eccleſia, quæ habet claues ſcripturæ. A Concilijs, & Pontificum decretis, & doctoribus, qui in obedientia Romanæ eccleſiæ vixerunt, & mortui ſunt, vt Hiero. Auguſtino, Ambroſ. Hilario, Cyprian. Athanaſ. Baſil. Chryſoſ. Gregorio. Neque temere præſumendo quis debet prædicare, quod ſibi bene viſum eſt, ſed clamare, ſpiritu principali confirma me, & docebo vias tuas. Ideo vetus eccleſiæ conſuetudo eſt ante concionem gratiam poſtulare, vt mũda cor meũ, ac labia mea omnipotens Deus qui labia Iſaiæ calculo mũdaſti igni to, &c. Et recte interponitur Dei genitricis interceſſio, noſtram deprecationem indignam reputando, quia hęc humilitas Deo placet, & facilius impetratur.

Chry. homi. 30. in Acta Apoſtolorũ

Secundo ſpiritus ſignificat facultatem trahendi animos ad religionẽ (quæ vocatur oſtenſio ſpiritus) quã nemo habuit a Deo perfectam ſicut filius virginis, cuius ea fuit maieſtas in dicẽdo, doctrinę grauitas, verborum proprietas, & corporalis pulchritudo, vt cogeret auditores ad excellentiæ ſuæ confeſſionem. Ideo dixit verba quæ loquor ſpiritus, & vita ſunt, ab effectu. Et docebat tanquam poteſtatem habens non ſicut Phariſæi; ſine quo ſermo eſt velut cadauer inanimatum, & verbum nudum, carnales aures ſolum pertingens. Ideo orandum, vt verba viuificare dignetur quo vtilitatẽ afferant. Vnde ſe debet explorare ſequendo iudicium prudentum, & ſi experiatur ſine fructu eſſe concionaturum, alijs ſtudijs ſe applicet, & aptioribus illud relinquat.

Tertio Spiritus ſancti gratia eſt neceſſaria, vt emolliat corda, nam nemo credit, niſi Deus illuminet, quod vocat Apoſtolus aperire oſtiũ, corda ſua habent oſtia, quæ a Deo pulſantur, in infidelibus eſt infidelitas, in chriſtianis obſtinatio vitiorũ. Nam oſtium eſt propter quod excluditur Chriſtus.

OPTIMA PRONVNCIATIO (in qua concionatores Hiſpani multorum iudicio excellunt) adeo neceſſaria eſt, vt Demoſthenes græcæ eloquentiæ Princeps, affirmarit, eſſe pręcipuam oratoris partem. Et locutio ipſa eſt bona pars vitæ humanæ, ex qua iudicatur hominis ingeniũ. Ideo cura adhibenda in loquendo, ſicut in bonis moribus. Ex cuius defectu quidam facti ſunt vulgi fabula propter indecoram locutionem, & motus non ſatis honeſtos, ob crebrã vocabuli repetitionẽ, vel troporum vſum ad nauſeam vſque; quibus datur occaſio momis riſum mouẽdi in conuiuijs, geſtum, & ſonum concionatoris exprimendo, vel ridiculo nomine appellando. Quare decorum in dicendo agendoque prope ad curioſitatem vſque obſeruandum eſt. Ad quod iuuant dextere imitari concionatorem aliquem excellentẽ. Et rogare virum incorrupti iudicij, vt commonefaciat ſi aduerterit aliquid in dicendo auditores offendere. Pro quo gratias agat, vt Chryſoſt. homilia de ferendis reprehẽſionibus, eo quod quidam ſignificauerant exordiorũ eius prolixitatẽ. Nõ autem audiendi, renunciantes, quid

de

de concionibus dicant alij fingentes nunquam cogitata, & candide dicta in deteriorem partem interpretãtes. Qua occaſione è ſuggeſto audiũtur ſtomachoſæ inuectiones. Alij adeo deſipiunt, vt ex leuibus hominibus, & loquacibus, patiantur præſcribi, de quibus, & quomodo ſermones fieri debeant. Igitur optima pronunciatio conſiſtit in conuenienti voce, & motu corporis. Voces, ſiue toni præcipui duo ſunt narratiuus, & exaggeratiuus. Ille eſt naturalis planus quo vox conſueta ſuos fines non

F. Rami tranſgreditur, altior tamen, quam ſi priuatim è propinquo vni loquamur paulatim, & grauiter ſonans, qui aptus eſt exordijs, & ad hiſtoriam narrandã, ad concluſiones tanquam fundamenta, ſtabiliendas, ad epilogandum diſcurſum, & repetendum locum ſuper quem fundatus eſt. Alter, eſt altior quo extra conſuetudinem loquimur quaſi vociferando, cum doloris ſenſu, affectibus, & motibus corporis inſolitis, quo vtẽdum in confirmatione, & in ponderationibus, exclamationibus, commendationibus, lamentationibus, reprehenſionibus, conſolationibus, & alijs locutionibus, vehementibus. Et licet multũ referat diſtinctio vocis quandoque eleuatæ, quandoque demiſſæ fugere tamen oportet fictionem illorum, qui feruore quodam ficto incipiunt vociferando, & in diſcurſu vtuntur ſimilibus clamoribus, licet non ſint ad propoſitum, quod tollit decorem, & efficaciam.

Vid. Igitur curandum, vt actio, & feruor ex intimo oriãtur, talis namque verus erit, ſiue paruus, ſiue magnus; Et de quærendis ſententijs ſelectis, quæ tangant auditores, deque illis recte intelligendis formãdo diſtinctos conceptus earum, depoſita vociferandi cura. Nam ſi quid grande dixerit, & interius ſenſerit totũ commouebit hominem, & coget ad geſtus, & vociferationem abſque aduertentia iuxta magnitudinem conceptæ admirationis. Quia homo eſt ſinceritatis amicus. Iuuat loqui cum deſiderio ſalutis animarum, & dolore perditionis; Et nihil dicere frigide ſicut, qui fabulas narrant, ſed ſerio, & vitam verbis adhibendo, ſicut repreſentantes comedias, transferendo affectuoſas illas locutiones mundanas ad res diuinas, quæ vere merentur exaggerationes, & lamentationes. Vel ſicut pater, aut amicus excitaret filium, aut amicum dormientem ſi domus pateretur incendium, is enim pluſquam voce cõſueta loqueretur. Vel ſicut ſuadens amico, vt ſe domi cõtineat, quia in ianua parati ſunt inimici, vt interficiant, profecto ardenti locutione id efficeret. Vel ſicut ſuadẽs cuſtodem arcis obſeſſæ, ne claues tradat inimico, quia rex ipſe cum ingenti exercitu properat in eius ſubſidium, ditabitque honoribus, & diuitijs magnis, inimices vero ſubito eum eſſe interfectures; profecto ſi cuſtos animum haberet tradendi arcem, ſuaſor a rege miſſus nullum non moueret lapidem, vt ab illa mẽte deduceret. Hoc igitur modo agendum cum peccatoribus, qui animas diabolo tradunt vt a propoſito deterreantur. *Rami. Menes. de lu. anima.*

Quo loquendi modo ſerio graui affectuoſo tenero, ponderoſo, condolẽti, & quaſi ad lamenta declinanti vti ſunt in concionibus excellẽtes viri, exemplo Apoſtoli, qui cum lacrymans monebat. Quo forte Prophetæ vſi ſunt vaticinantes captiuitatem, comminantes, & peccata improperantes. *F. Lobo, Pat. Archiep. Riba. D. Fontido. P. Eſcri. Io. Auil.*

MOTVS, ET GESTVS debet eſſe conueniens rebus, vt erecto vultu, motione manuum præſertim dexteræ (quam telum orationis vocant) item capitis oculorum ſuperci- *F. Auendan.*

ciliorum. Sunt qui obiurgando vocibus indignantis vtuntur. Alij manibus ſe reſpicientibus oculiſque in ſublime eleuatis admiratiue exclamant, atque interrogāt. Alij manus proijciunt in locum inferum, corpus inclinant, frontem comprimūt. Alij brachiorum iactatione ſicut gladiatores vtuntur forte ad feruorem excitandum. Sed extrema fugienda ſunt, vt neque ſit nimia repreſentatio, neque immotus maneat prædicator tanquam ſtatua. Prudenter ſuſcipitur imitandum, quod proprio ingenio magis accommodatum fuerit, omni fictione ſublata, cum facilius ſit quod ad noſtrum ingenium propius accedit; Quædam vero ſunt non facile imitabilia. Famoſi autem neſcio quomodo, vtcumq. dixerint placent.

Rami. Villaui.

Franciſ. Borſa.

Ex prædictis ſequitur ad concionem ſtudendam primo loco ſalutem animarum eſſe deſiderandam propter quam ſit, & petendam eſſe Spiritu ſancti gratiam qua mens illuſtretur ad eligendam doctrinam, & inflammandumq́, tam dicentesq́, quam audientes.

Secundo legendum eſt Euangelium cum expoſitoribus antiquis, & modernis illuſtrioribus, & tractatus de illa materia, quæ omnia meditanda ſunt.

Tertio ex lectis eligēda ſunt duo, aut tria quæ ipſum magis mouent, & auditoribus vtiliora iudicauerit. Quæ ſuo ordine ſcribenda ſunt, aut cum omnibus verbis, ſed hoc incipientium eſt, & impedit ſpiritum, vel potius puncta latine breuiter dilatata cum auctoritatibus in vno folio, quod ſcriptum ante ſomnum legere oportet.

Quarto vtile eſt intra proprios parietes ſe probare ad voces in publico edendas exprimendas. Denique propria opera iudicanda ſunt, atque ſi eſſent aliena; quæ ſi placeant ſibi incorruptiſque iudicibus, laborem nō contemnendum exiſtimet eſſe conſecutum. In ſuggeſto nihil eſt dicendum præter ſcripta, niſi ſe offerant euidenter meliora. Neque in materia graui dicenda ſunt, quæ in toto rigore Theologico tolerari non poſſint. Ideo prius ſunt examinanda. Conferens ſe ad ſuggeſtum humiliter de ſe ſentiat, vt quantum diſtet a perfectione Iſaiæ, & Baptiſtæ, nam illius os igne fuit purificandum, hic vero ſolitudine, & pœnitentia ad prędicationem. Confidendum tamen, quia Dominus dat verbum euangelizantibus virtute multa. Item eſt rectificanda intentio. Poſt cōcionem gratiæ ſunt agendæ, & defectus notandi. Hæc de concionandi methodo.

ALIVD genus prædicandi familiarius ſimplicius, & breuius non ita exactum eſt Parochorum, quo neceſſaria ad ſalutem docentur cum aliqua probatione, & declaratione iuxta Conci. Triden. ſeſſ. 5. quæ optime ſcripta ſunt in Catechiſmo. Ad quod reduci poſſunt inſtructiones breues in ſacramentorum adminiſtratione, iuxta Tridentin. & Cate. Item, & modus catechizandi ſimplices. Et breues admonitiones, vel obiurgationes Epiſcoporū. Demum huc pertinent exhortationes publicę, vel priuatę ſacerdotum ad Chriſtianā pietatem, & exempla ſanctorum quæ narrantur ſimpliciter abſque ornatu, quod conſonat cum humili dicendi genere.

IN SCHOLIS docetur legēdo, aut diſputando. Ad bene legendum quinque requiruntur, inuentio eorum quæ legēda ſunt, quæ fit lectione, & ſtudio.

Secundo bona diſpoſitio, & ordo.

Tertio elocutio, & proprietas in loquendo.

Quarto

Quarto memoria legendorum, quam iuuat materias per capita pertractare.

Quinto actio bona hoc eſt modeſta, quæ neque offendat vociferationibus, neque frigide loquatur, ſed alta voce cum ponderatione, & attentione, vt Magiſter Mantius, qui in hoc eminebat.

In Luſitania. Pat. Archiepiſ. Bib.

IN DISPVTATIONIBVS, aut arguitur, aut reſpondetur. Si arguens ſit prouectus plus ab eo exigēdum, quam a ſcholaribus; is enim in tentatiuis, & publicis exercitationibus, relictis oſtentationibus verboſis debet ad punctum difficultatis ſtatim deuenire. Prius concipiendo bene argumētum cum clara probatione, vel exemplo quaſi ad oculū. Cui ſi omni ex parte ſatisfiat fatendum eſt recte reſpondiſſe. Sin autem dici poteſt, certe hoc non tollit difficultatem, vel reſponſio non ſatisfacit omnino, nam illud eſt certum, vel negari non poteſt, vel argumentum bene probat hoc, ex hoc antecedenti bene infertur hoc conſequēs. Hac ratione tempus non conſumitur inutiliter, & datur locus, vt multa poſſint pertractari. Si arguētes ſint ſcholaſtici audiendi ſunt, & iuuandi, vt exerceantur in dogmatibus impugnandis; At quando cogitata proſecuti ſunt, & difficultatis punctū non attingunt, aut relinquunt ſupplendū eſt, quod probare neſciunt. Quod ſi error defendatur, aut propoſitio male ſonans diſſimulandum nō eſt. Si ſit reſpondens ſtatim mentem figat in difficultatem propoſitam, & conetur probabiliter ex alijs veritatibus, ſimilibus, rationibus, & exemplis ſe defendere, vt 1. libro dictum eſt.

IN CONFERENTIIS caſuū conſcientiæ ad exercitationem ſicut pij Epiſcopi ſuis Clericis ordinarunt (eamque cōſuetudinem Conci. Tridentin. ſeſſ. 23. cap. 18. vult in ſeminarijs retineri) cum ſint diſputationes in communi, vel de caſu ſingulari, modus ex Theologia petēdus eſt; doctiori committendum, vt dubium proponat, terminos exponat, & ſenſum in quo dubitatur. Et a cæteris ſententia poſcatur, & ratio quare, ita ſentiant. Et ſunt ponderandę opiniones, & rationes, & communis reſolutio doctorum ſequenda eſt, canonibus, & concilijs, & vniuerſitatibus conformior.

IN CAPITVLIS, & congregationibus experientia docet nō ſolum inquiri, quid ſit ſecundum prudentiam agendum, ſed fere ſemper miſceri, quid ſecundum bonam conſcientiam facere oporteat, at agere ſecundum rectam conſcientiam prudentia non caret. Ad recte procedendum in ijs eſt optima præparatio prius adeſſe ſacro, vt Deus illuminet iuxta conſuetudinem aliquarum eccleſiarum. Negotia item ſunt diſtinguenda, an ſint gratiæ, an iuſtitiæ, vel indifferentia. Negotia iuſtitię fori interni reducēda ſunt ad materias Theologiæ, & per regulas doctorū decidēda ſunt. Negotia fori externi iuriſperitis cōmittenda ſunt, vt inſpecto facto, & iure nullo modo iniuſtitijs detur locus. In negotijs gratiæ ſæpè admiſcetur iuſtitia. Nam ſunt de rebus eccleſiaſticis perſonis bonis officijs, aut beneficijs, in quibus iuſtitia, & eccleſiæ vtilitas quærenda ſunt. Quod ſi res ſit dubia Canones conſulendi ſunt, qui fere nihil intactum reliquerunt. Sunt etiam conſiderandа ſtatuta, & laudabiles conſuetudines, & ne inconuenientia ſequātur; Nam id ex quo mala ſequuntur fieri non debet. Videndum etiā, ne quid fiat cōtra bonos mores, aut ſpeciem mali præſeferat. Iuuat rem diſputare pro vtraque parte ponderando

ratio-

rationes, & concludendo id quod fortiores rationes habet. Prudentia eſſet interdum prius alios audire, quam propriam ſententiam dicere; inter plures enim ſæpe tanguntur difficultates, aut aperiuntur factiones. Nonnunquam eſſet cõſultius interponere tempus ad maturiorem deliberationem. Aliquando ex caſibus ſimilibus præteritis, vel Hiſtorijs aliqua ſimiliter deciduntur. Vtcumq; ſit, ſeruandum eſt illud; Non abſcondi veritatem a conſilio multo. Si res ſit indifferẽs nouitates fugiẽdæ ſunt nam omnis alteratio, vt plurimum perturbationes cauſat. Inſpiciendæ ſunt aliarum eccleſiarum, vſus, tempus, locus, & reliquæ circunſtantiæ, quia omnes eccleſiæ idem regimen non patiuntur. Et vbi adhuc eſſet indifferentia, quod bonis, & expertis videtur, virtutibuſque conformius, id eligendum eſt. Demum ſententia propria paucis, & neceſſarijs verbis dicenda eſt, & ratio quæ mouet. Quaſdam regulas prudentiæ tetigit Ludo. Granata in pio libro, cui Titulus eſt Guia peccatorum. Iuuat conſilia experientia rerum humanarum, & diuerſorum ſtatuum notitia, & defectuũ, quæ ad Politicam pertinent. *Guia de peccu. Grana.*

AD CASVS conſcientiæ reſoluendos priuatim, Modus eſt non ſtatim reſpondere, vt Magiſter Medina dicebat, niſi prius accepto tempore ad conſiderandum, ſecus eſſet ſi res ſit, adeo manifeſta, vt ſtudio non ſit opus. Secundo petendus eſt caſus inſcriptis præſertim ſi ſint cõtractus. Tertio videnda eſt materia vbi ex profeſſo de ea re doctores tractant, cum regulis exceptionibus, & limitationibus. Etſi fieri poſſit quærendus eſt auctor caſum illum in ſpecie pertractans. Tandem reſpondẽdum eſt, vt in pluribus cum communi doctorum. Quod ſi aliquis Auctor oppoſitum aſſerat, videndum eſt an habeat auctoritatem in ea facultate, & boni nominis ſit, eiuſque rationes examinandæ ſunt, an cum lege Dei cum Canonibus, & ſenſu eccleſiæ conſonent. Sunt enim quandoque opiniones liberę non ſatis ſecuræ maxime cauendæ, ingeniumque aliquorum audax, qui mercatorum potius aduocati, quam iudices videntur, quos merito arguit D. Naua. & Magiſter Cano dicens, licet floreat hac ætate Scholaſtica Theologia; ſed in paucis eſt ſpes, in paucioribus facultas, & in multis audacia. Et Pet. de Soto pie, ac prudenter docuit, in moralibus non eſſe tutius, quod minorem obligationem imponit, neq; ſtrictior, quæ ad plura obligat (quando ſunt diuerſæ doctorum ſentẽtiæ) tamen ad cautelam ſequendum eſt, quod poteſt prodeſſe, & non obeſſe. Vt in pluralitate beneficiorum, qui conſulit a pluralitate abſtinere rectius conſulit conſcientijs, & in dubio de præteritis agere pænitentiam. Quarto quando non eſt controuerſia inter doctores, ſed difficultas eſt in applicatione doctrinæ, cõſiderandæ ſunt circunſtantię cum exceptionibus, & limitationibus; Et forte poſſet reſponderi cum talibus circunſtantijs non eſſe licitum, at alio modo forte fieri poſſe. Aliqui fugiunt reſpondere inſcriptis, quia ſępe contingit tacere circunſtantiam qua poſita reſolutio, quæ ſine illa adhibetur non eſt ad propoſitum, quia eſt caſus diuerſus ab ſcripto, & nouus caſus indiget nouo conſilio. Iuuat cogitare, quid nos in tali caſu omnibus penſatis cũ ſecuritate ageremus, nam quod non audemus ſecundum Deum facere non videtur alijs conſulendum. Hæc de modo docendi, ſequitur de modo adminiſtrandi ſacramenta dicendum. *De inſti. Sacer.*

DE

DE MODO ADMINISTRATIOnis Sacramentorum, altera Sacerdotis functione.

SAcerdotalia Eccleſiarum hactenus modum docuerunt, nūc vero ex ritu; Romano a ſanctiſſimo D. N. Paulo V. in lucem edito, (ſicut Pontificale a Clemente VIII. vt vna ſit firma omnium Eccleſiarū, petendus eſt; ad quem remittimus ſacerdotem. Verum ne ordinetur presbiter ſine notitia ſaltem præcipuorum capitum, quam Triden. poſtulat de ijs breuiter agendum. In primis tria in ſacramentorum adminiſtratione in cōmuni ſeruanda ſunt, quædam ad præparationem, quędam ad ipſam adminiſtrationem, & alia poſt adminiſtrationem. Antea ſacerdos præparandus eſt ſi ſit cum conſcientia mortalis per cordis pænitentiam, & ſi ſit opportunitas confiteri conuenit. Quia ſancta ſancte tractanda ſunt. Ideo ſemper paratum eſſe oportet Parochum vita pura, & caſta, ad tam ſanctum officium. Deinde orare debet, & ordinem agendorum in Rituali perlegere. & conſiderare quod ſecum ferre debet, & nihil omittere, nec mutare.

In ipſa adminiſtratione ſuperpellīceo, & ſtola debet eſſe indutus. Et formas Sacramentorum attente diſtincte, & pie pronuntiare, vt ad ſublimia cogitanda animi erigantur. Itē debet habere intentionem actualem, vel ſaltem virtualem faciendi, quod facit Eccleſia Sancta. Et vbi commode ponit virtutem Sacramen. ex Catechiſmo explicabit.

Tandem cauendum eſt, ne aliquid petatur in Sacramentorum adminiſtratione, ſed gratis adminiſtret, ſi quid vero offeratur pro conſuetudine locorum accipi poteſt, ſed neque non ſubditis Sacramenta adminiſtrāda ſunt, niſi in neceſſitate, vel de licentia. Hæc in communi.

DE ADMINISTRATIONE Sacramenti Baptiſmi.

POſt præparationem requiſitorū ad Sacramētum omnia, ad tria capita rediguntur, quædā fiunt ante baptiſmum, quædam in ipſo baptiſmo ad fontes quædam poſt peracto Sacramento.

Antea in promptu parata eſſe debent vaſa ſacri olei Catechumenorum, & Chriſmatis. Et vaſculum ſalis benedicti. Et vaſculum ad fundendam aquam baptiſmalem, & bacile ad eam recipiendam ex capite defluentem. Et goſſipium ad abſtergēda loca ſacris oleis inuncta. Et medulla panis, & vas ad lauandos digitos Sacerdotis. Item veſtis alba, & liber Ritualis. Quibus paratus ante fores Eccleſiæ cum Clerico procedit Sacerdos. Et niſi conſtet interrogat an ſit ſuæ Parochiæ, & an maſculus, vel femina. Et an ſit baptizatus domi; Nam ſi ſit dubium ſub conditione baptizandus eſt. Item qui ſint cōpatres, qui infantem teneant, & reſpondeant, & quo nomine vocetur.

His præparatis ordo baptizandi paruulos eſt, vt ante Sacramentum præcedat catechizatio, exorcizatio, benedictio ſalis ſignatio Crucis, & vnctio, in hunc modū Sacerdos interrogat.

N. Quid petis ab Eccleſia Dei.

Reſpondit fidem.

Fides quid tibi præſtat.

Vitam æternam.

Igitur ſi vis ad vitam ingredi ſerua mandata, Diliges Dominum ex toto corde &c. & proximum ſicut te ipſum.

Deinde exufflatur. Exi ab eo immun-

mundeſpiritus, & da locum Spiritui ſancto, &c.

Accipe ſignum Crucis, tam in frõte, ✠ quam in corde, ✠ &c.

Oremus, &c.

Et exorcizato ſale. Accipe ſalem ſapientiæ, propitiatio ſit tibi, &c.

Oremus, &c.

Exorcizo te immunde Spiritus, in nomine Patris, ✠ & Filij, ✠ & Spiritus ſancti. Ergo maledicte &c. Et hoc ſignum ſanctę Crucis, quod nos fronti eius damus, &c. Oremus.

N. Ingredere in templum Dei, vt habeas partem cum Chriſto, in vitã æternam, & cum ſuſceptoribus clara voce dicitur; Credo, & Pater noſter, euntes ad fontem.

Exorcizo te omnis Spiritus immũde, in nomine Dei Patris omnipotentis, &c.

Epheta, quod eſt adaperire, & tanguntur aures, & nares, &c.

N. Abrenuntias Satanæ?

Reſpondit. Abrenuncio.

Et oĩbus operibus eius? Abrenuntio.

Et oĩbus pompis eius? Abrenuntio.

Ego te linio ✠ oleo ſalutis in Chriſto Ieſu D.N. vt habeas vit. æter.

N. Credis in Deum Patrem oĩpotẽtem creatorẽ cęli, & terrę? Credo.

Credis in Ieſum Chriſtum filium eius vnicum Dom. N. natum, & paſſum? Credo.

Credis in Spiritum ſanctum Sanctam Eccleſiã Catholicam ſanctorum communionem? Credo.

Remiſſionem peccatorum, carnis reſurrectionem vitã æternã? Credo.

N. Vis baptizari? Volo.

N. Ego te baptizo in nomine patris, ✠ (fundit primo aquam baptiſmalem ſuper caput in modum Crucis;) Et filij, ✠ fundit ſecundo; Et Spiritus ſancti, ✠ fundit tertio.

Vbi baptizatur per immerſionem ter immergit dicens, Ego te baptizo, &c. ſi dubitatur an fuerit baptizatus, vtendum hac forma:

N. Si non es baptizatus; Ego te baptizo in nomine patris, ✠ & filij, ✠ Spiritus ſancti. ✠

Peracto Sacramento. Deus omnipotens Pater Do. N. Ieſu Chriſti, qui te regenerauit ex aqua, & Spiritu ſancto quiq; dedit tibi remiſſionem omniũ peccatorum (inungitur chriſmate in ſumitate capitis) ipſe te liniat Chriſmate ſalutis ✠ in eodem Chriſto Ieſu D.N. in vit. æter.

Pax tibi, &c.

Accipe veſtem candidam, quam immaculatam perferas, ante tribunal Dom. N. Ieſu Chriſti, vt habeas vit. æter.

Accipe lampadem ardentem, & irreprehenſibilis cuſtodi baptiſmum tuum, ſerua Dei mandata, vt cum Dominus venerit ad nuptias poſſis occurrere eĩ vna cum omnibus Sanctis in Aula cæleſti; habeaſque, &c.

Vade in pace, & Dominus ſit tecum.

Et ſcribuntur nomina baptizati, & ſuſceptorum dies, & annus, & admonẽdi ſunt de ſpirituali cognatione contracta.

In baptismo adultorum eadem fiunt, quę in baptiſmo paruulorum, ſed aliquã adduntur, aliqua mutantur ordine ſequẽti. Quia adulti non baptizantur, niſi in Sabbato Sancto, & Pentecoſtes, niſi eſſet cauſa; vtcumque ſit non debet baptizari adultus, niſi prius ſit bene inſtructus in chriſtiana fide, & exercitatus per aliquot dies in operibus pietatis, voluntateque eius, & propoſito ſæpius explorato monenduſque eſt, vt peccatorũ pæniteat, & ita ſciens, & volens probeque inſtructus baptizandus eſt. Et debet ad interrogationes reſpondere ipſemet, vel per interpretem, ipſe vero ſignis conſenſum explicet.

Primo ad gradus Altaris orat Sacerdos

cerdos cum Clericis. Deus inadiutorium meum intende, &c.

Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini, &c.

Domine Dominus Noſter, &c.

Afferte Domino filij Dei, &c.

Quemadmodum deſiderat ceruus, &c.

Effundam, &c. Kyrie Pater noſter, oremus omnipotens, &c. Adeſto, &c. Da quæſumus Domine electo noſtro, vt ſanctis edoctus myſterijs, & renouetur fonte baptiſmatis, & inter eccleſiæ membra numeretur, &c.

Quo nomine vocaris? Reſpondet.

Quid petis, &c.

Abrenuncias Satanæ? &c.

Credis in Deum patrem, &c.

Credis, & in Ieſum Chriſtū, &c.

Credis, & in Spiritum ſanctū ſanctam eccleſiam, &c.

Exi ab eo ſpiritus immunde.

N. Accipe ſpiritum bonum per iſtam inſufflationem, &c.

N. Accipe ſignum Cruci, tam in fronte, &c. Talis eſto moribus, &c.

Horreſce idola, vel Iudaicam perfidiam, vel Mahumeticam perfidiam, aut hæreticam prauitatem, & nefarias ſectas impiorum. Oremus. Te deprecor Domine Sancte pater omnipotens, &c. vt reſeratis oculis cordis ſui te vnum patrem, &c.

Signo tibi frontem ✠ vt ſuſcipias Crucem Domini.

Signo tibi aures ✠ vt audias diuina præcepta.

Oculos ✠ vt videas claritatē Dei.

Nares ✠ vt odorē ſuauitatis Chriſti ſentias.

Os ✠ vt loquaris verba vitæ.

Pectus ✠ vt credas in Deum.

Scapulas ✠ vt ſuſcipias iugum ſeruitutis eius.

Signo te totum in nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti.

Preces noſtras, &c. vt ad regenerationis gloriā peruenire mereatur, &c.

Deus huma. gene. conditor, & reformator, &c.

Omnipotens, &c. cæcitatem cordis expelle, diſrumpe laqueos Satanæ, &c.

Benedicitur ſal. &c.

N. Accipe ſal ſapientiæ, &c. Deus patrum noſtrorum, &c.

Ora electe, flecte genua, & dic Pater noſter. Leua comple orationem, (Et ſignatur in fronte, in nomine patris, & filij, & Spiritu ſancti.

Deus Abraham, Deus Iſaac, &c. mitte Angelum tuum, vt perducat hunc famulum tuum ad gratiam baptiſmi, &c.

Ergo maledicte diabole recognoſce ſententiam tuam, &c.

Item ora electe dic pater noſter Deus immortale præſidiū omnium poſtulantium, liberatio ſupplicū pax rogantiū vita credentium reſurrectio mortuorum te inuoco, &c.

Audi maledicte Satana adiuratus &c. Diſcede da honorem aduenīeti Spiritui ſancto, vt ſanctificatū Deo habitaculum perficiat.

Ora electe dic pater noſter, &c. Tertio.

Exorcizo te immunde ſpiritus in nomine patris, &c. Ergo maledicte diabole, &c.

Oremus, Aeternam, ac iuſtiſſimā pietatem tuam.

N. Ingredere in ſanctā eccleſiam Dei. (proſternit ſe, & adorat.

Credo in Deum, &c.

Pater noſter, &c.

Nec te latet Satana imminere tibi pœnas, &c.

Epheta, &c.

N. abrenuncias Satanæ? &c.

Ego te linio oleo ſalutis, &c. Exi immunde ſpiritus, fuge, recede, &c.

Prope fontem. N. Quis vocaris?

Credis in Deum patrem, &c.

Credis in filium eius.&c.
Et in Spiritum ſanctum,&c.
N. Quid petis?
Vis baptizari?
Ego te baptizo,&c.vt ſupra.
Deus omnipotens, &c. te liniat Chriſmate ſalutis ✠ &c.
Pax tecum, &c.
Accipe veſtem candidam, &c.
Accipe lampadem,&c.
Vade in pace, &c.

Poſtea confirmatur ab Epiſcopo ſi adſit. Et ſi hora ſit congrua celebratur Miſſa; cui Neophiti interſunt, & Euchariſtiam deuote ſuſcipiunt,cereis accenſis in manibus.

Si baptizandus ægrotus ſit,& grauiter laboret,vt periculũ immineat, ne pereat ſine baptiſmo omiſſis omnibus antecedentibus ſacramentum, eum baptizet ter,vel ſemel infundendo aquam ſimplicẽ ſuper caput eius in modum crucis dicendo, ego te baptizo in nomine patris, &c. Deinde omnipotens pater,&c. Accipe veſtem candidam, &c. Accipe lampadem, & ſi ſuperuixerit ſupplẽdi ſunt ritus omiſſi,excepta forma, & ablutione, & interrogatione vis baptizari.

Inſtructio Catechumenorum, ac Neophitorum,& cura conuerſionis infidelium ad ſacerdotes pertinet. Qui conuertuntur ad Epiſcopũ deferendi ſunt, & intentio eorum eſt inquirenda,an propter reſpectum humanum id faciant.Si non,proponendum eſt eis,prius eſſe recedẽdum ab infidelium conuictu, & a peccandi conſuetudine,& propoſito. Et intelligentiores inſtruendi ſunt ex Auguſtino de Catechizã.rudi.& ex Chryſo.Nazian.Baſilio,& Cate.Roman. de Sacramento baptiſmi.

Granat. Symbolo.

Neophiti inſtruendi ſunt non ſufficere ſolum baptiſma,ſine dilectione Dei,& proximi.Et vt ſemper gratias agant. Et quod ſpoponderunt in baptiſmo ſeruare curent. Nec vllo modo tractent cum infidelibus.

De infidelium conuerſione curandum eſt, quia Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Ad quod adhibẽda ſunt adiumenta,& auferenda impedimenta conuerſionis. Prædicatio iuuat, ideoq; ſummi Pontifices Romani decreuerunt in Alma vrbe fieri Iudæis conciones, quod Chriſtus eſt Meſſias. Alijs infidelibus mittẽdi ſunt prædicatores, ſed cum opus ſit arduũ, ieiunijs, orationibus,& alijs bonis operibus cæleſte auxilium implorandum eſt. Iuuat etiam nos aſpere eos tractare, neque permittere, vt iniurijs afficiantur. Et anunciare quod filij hæreditate debita non priuabuntur ſi conuertantur. Impedimenta ſunt libri impij, ideoque eis prohibendi ſunt,vt Thalmud,& Alcoranus,& propterea Clemẽs Octauo, prohibuit imprimi. Impediunt etiã tria genera rerum eis prohibenda, & caſtiganda quædam ſunt in contumeliam Redemptoris, vt blaſphemare de Chriſto Santiſſima Virgine,vel cum contemptu nominare. Alia in perniciem Chriſtianorum,vt cum eis familiariter tractare,aut eis ſeruire munera, vel medicinam accipere,linguam, aut ſcientiam ab eis diſcere, & fauere, vt quis a Chriſti fide diſcedat. Item officia publica in comeſtibilibus exercere. Alia ſunt in damnum conuerſionis ipſorum prohibenda, vt publicos habere honores, ſynagogas ſumptuoſiores ædificare, non eſſe diſtinctos a chriſtianis,bona immobilia poſſidere, quæ in Alma vrbe non permittuntur.

IN ADMINISTRATIONE *Sacramenti pœnitentiæ.*

QVINQVE præſtanda ſunt, preparatio,confeſſio,& examinatio,remedia, atque abſolutio.

Oratione præparatur ſacerdos diuinum auxilium implorando adhoc miniſterium recte, ſanctequc obeundum.

Mox ſequuntur præambulę interrogationes,quibus ſacerdos inquirit ſtatum pænitentis, & an tempore præcepti ſuſceperit ſacramenta, & an habeat aliquod impedimentum, & ſi examinauit conſcientiam.

Pænitens incipere debet a confeſſione generali, Confiteor Deo omnipotenti,& tibi pater,&c.& peccata ſua confiteri; Neque reprehēdendus eſt antequā finiat, immo iuuandus, quoties opus fuerit fiduciam ei præbendo,& humaniter ſuggerēdo, vt omnia peccata ſua rite, & integre confiteatur.

Deinde interrogādus eſt de omiſſis,vt numero,ſpecie peccatorum,& circunſtantijs explicatu neceſſarijs. Cauendum tamen ne curioſis interrogationibus,& imprudentibus,peccare diſcant.

Audita confeſſione, opportunis correptionibus, & admonitionibus perpendendo peccatorum grauitatem, & multitudinem inſtruendus eſt paterna charitate. Et efficacibus verbis ad contritionem, & propoſitum melioris vitæ mouendus.Et adhibenda ſunt remedia peccatorum. Vtiliſſimumque erit rarius confitentibus,& in peccata recidentibus confeſſionem conſulere ſolemnibus diebus,& communionem.

Tum ſatiſfactio ſalutaris iniungenda eſt, iuxta conditionem perſonæ. Non tamen pro peccatis occultis pœnitentia manifeſta imponenda eſt.

Sed videndum, ne pro grauibus peccatis leuiſſimæ pęnitentiæ imponantur, & particeps fiat cōfeſſarius peccatorum, immo debent eſſe caſtigationes præteritorum peccatorum ipſis peccatis contrarię.

Tandem abſolutio, aliquando eſt differenda, ſed incapacibus negādà quales ſunt nulla ſigna doloris dantes,odia non deponentes nolentes aliena reſtituere cum poſſint, proximam peccandi occaſionem deſerere nolentes, nec volentes publice ſatiſfacere cum publicum ſcādalum dederint. Neque a peccatis reſeruatis ſine facultate ſuperioris danda eſt abſolutio niſi in periculo mortis,tūc enim ab omnibus cenſuris, & peccatis eſt abſoluendus,prius tamen facta ſatisfactione, & quod ſiſtere ſe teneatur ſuperiori ſi periculum euaſerit. Quod ſi inter confitendū ægrotus loquelam amittat conetur ſignis peccata in genere, vel ſpecie cognoſcere quibus cognitis, vel etiam ſi confitendi deſiderium,ſiue per ſe,ſiue per alios oſtenderit, abſoluendus eſt. Aegris tamen non eſt laborioſa pęnitentia imponenda, ſed indicenda ſi conualuerint, interim leui aliquā ſatiſfactione impoſita, & acceptata ſunt abſoluendi,cætera ex Catechiſmo accipienda ſunt.

Abſolutionis forma.

Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.

Indulgentiam abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & miſericors Dominus. Amen.

Dominus Noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat,& ego auctoritate ipſius te abſoluo ab omni vinculo excommunicationis,ſuſpenſionis, & interdicti

dicti in quantum poſſum, & tu indiges. Deinde ego te abſoluo a peccatis tuis in nomine patris ✠ & filij, & Spiritus ſancti. Amen.

Paſſio Domini noſtri Ieſu Chriſti merita Beatæ Mariæ Virginis, & omnium ſanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris ſint tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

In confeſſionibus frequentioribus.

Poteſt omitti miſereatur, &c. ſatis erit dicere Dominus noſter Ieſus Chriſtus, vt ſupra vſque ad illud Paſſio Domini, &c.

Vrgente graui neceſſitate in periculo mortis breuiter dicere poteſt.

Ego te abſoluo ab omnibus cenſuris, & peccatis in nomine patris, &cæt.

Ritus, & abſolutio ab excommunicatione ī foro exteriori, & forma Eccleſiæ conſueta.

Miſerere mei Deus, &c. Percutiendo leuiter pœnitentem genuflexum. Kyrie Eleiſon, Pater noſter, ſaluum fac, &c. Deus cui propriū, &c. vt ſupra in Epitome Toleti Dominus noſter Ieſus Chriſtus te abſoluat, & ego auctoritate ipſius, & Sanctiſſimi, vel Reuerendiſſimi mihi cō miſſa abſoluo te a vinculo excōmunicationis, quam incurriſti, vel declaratus es incurriſſe propter talem cauſam, & reſtituo te communioni, & vnitati fidelium, & Sanctis ſacramentis Eccleſiæ in nomine patris ✠ & filij, & Spiritu ſancti.

Si non fuerit forma præſcripta nec res adeo grauis, abſoluere poteſt dicens.

Dominus noſter Ieſus Chriſtus, &c. Et ego authoritate ipſius, & Sāctiſſimi Do. N. vel Reuerendiſſimi, aut alterius, abſoluo te, &c. vt ſupra.

Modus abſoluendi a ſuſpenſione, aut interdicto intra, vel extra confeſſionem, vel diſpenſandi.

Confiteor Deo dicit pœnitēs, &c. Sacerdos Miſereatur Indulgentiam &c. & Authoritate mihi tradita, ego te abſoluo a vinculo ſuſpenſionis, vel interdicti, quam incurriſti propter talem cauſam, in nomine patris, & filij, & ſpiritus ſancti. ✠ Si ſit facultas diſpēſandi, poſt abſolutionem a peccatis dicit. Et eadem authoritate diſpenſo tecum ſuper irregularitate, in quā propter talem cauſam incurriſti, & habilem reddo, & reſtituo executioni ordinum, & officiorum tuorum in nomine patris, &c. Vel habilem reddo ad omnes ordines ſuſcipiendos. Vel reſtituo tibi titulum beneficij, & condono fructus male pceptos in nomine patris, &c.

Canones Pœnitentiales.

NON erit abs re breuiter adiungere cum ſacerdotali Romano antiquo, &c. quia iuxta Catechiſmum Roma. aliquando ſignificari debet pœnitentibus ad grauitatem peccatorum demonſtrandam; ſunt ergo vtiles quamuis non neceſſarij, ſuntque moderandi ſecundum Innocentium Tertium per arbitrium diſcreti Sacerdotis ſecundum contritionem, & conditionem, ac circunſtantias pœnitentium. Qui per ordinem decalogi tradi poſſint. *Ex Sacerdotali Romano antiquo, & ex Card. S. Seue.*

Qui a fide inter infideles deficiūt, ſi ex animo pœniteant tribus annis ſint inter audientes, & ſeptem inter pœnitentes, & duobus extra Cōmunionem.

Qui dederit, vel acceperit Communionē, at hæretico ſcienter quinque annis pœniteat. Sed qui permiſerit hæreticum dicere Miſſam in

Eccle-

Eccleſia Catholica propter reueren tiam per annum integrum pęniteat. Si vero pro damnatione eccleſiæ Ca tholicæ proijciatur ab eccleſia ſicut hæreticus. Et pęniteat decẽ annis, ſi ad hęreticos trãſierit,& alijs perſua ſerit, duodecim annis pœniteat. Sed hodie conſulendum eſt officium ſan ctæ inquiſitionis.

Qui ſcienter rebaptizãtur ſeptem annos pœniteant quarta,& ſexta feria, & tres quadrageſimas ieiunent. Qui autem ſine neceſſitate,aut timore ſe hæreticis dederunt, vt rebaptizentur decem annis pœnitentiam agant.

Diuinatorem introducens in domum ſuam cauſa exquirẽdi aliquid arte maleſica quinq; annis peniteat. Et qui in Tabulis,vel codicibus furta requiſierit,aut diuinationes obſeruauerit quatuor dies pœniteat. Qui autem in Aſtrolabio pœniteat per annum.

2. Iuramentum violans factũ regi,aut Domino,& machinatus mortem anathema eſt, & in Monaſterio omnibus diebus vitæ ſuæ pœniteat; Epiſcopus vero Presbiter, & Diaconus degradentur.

Pro periurio ſcienter 40. dies ieiunet in pane, & aqua, & ſeptem ſequẽtibus annis pœniteat, etiã compulſus a Domino; Si vero ſit ſeruus tres quadrageſimas, & legitimas ferias ieiunet. Si peierat in manu Epiſcopi, aut in Cruce conſecrata tres annos pœniteat, ſi in non cõſecrata vnum,ſi pro vita redimenda,vel alia cauſa periurat tres quadrageſimas pœniteat, quia corpus pluſquam animam dilexit.

Parentes,frangentes iuramentum ſponſaliorum filiorum ſuorũ ſi ſint in culpa ſeparentur triennio a communione.

Blaſphemus publicus ſeptem ferijs ieiunet in pane,& aqua, & ſaltem in illis vnum pauperem reficiat; Et ſeptem dominicis diebus exiſtat maniſeſte præ foribus eccleſiæ,dũ Miſſa cantatur, & in eam non ingrediatur, & vltimo die ſit ſine pallio, & calceamentis cum corrigia ligata ad collum. Quod ſi prædictam pœnitentiam renuat agere interdicatur ei eccleſia, & careat eccleſiaſtica ſepultura,& pœna pecuniaria mulctetur. Hodie blaſphemia hęreticalis ad Inquiſitorem remittitur.

Iurans ad pacem nullo modo redire cum proximo, cum quo litigat per annum ſit ſegregatus à communione Domini. Et reatum periurij eleemoſynis, & fletibus defleat, & ad charitatem feſtinet.

Votum ſimplex violans pœniteat tribus annis.

5. Homicida voluntarius perpetuo pœniteat,ſi ſit presbiter duodecim annis pœniteat, tres in pane, & aqua, & deponatur ſine ſpe reſtitutionis ſi ſit Epiſcopus quindecim annis,& peregrinando finiat, & deponatur, ſi ſit Diaconus decem annis. Clericus, & Laicus ſeptem, tres in pane, & aqua. Homicida caſualis ſi culpa præceſſit pęniteat quinque annis. Itẽ faciens homicidium in obſidione, vel alia neceſſitate euitabili pęniteat duobus annis.

Percutiens incaute intuitu diſciplinæ,& occidens ſi eſt in ſacris perpetuo deponatur. Item furem occultum occidens quem potuit viuum comprehendere abſq; occiſione per 40. dies eccleſiam non ingrediatur, ſed lanea veſte indutus a toto gladio,& æquitatu abſtineat. Sed ligatos latrones interficiens arbitrio Epiſcopi pœniteat.

Interficiens Iudæum, aut Paganum propter odium 40. diebus in pane,& aqua ieiunet.

Matricida pęniteat decem annis, ita vt per annum eccleſiam non ingredia-

grediatur, & tribus annis non communicet, nec carnem manducet, nec vinum bibat.

Vxoricida, ſine certa probatione, qui aliam duxerit publicam pęnitentiam agat, nunquam ducat vxorem, nec carnem manducet, nec portet arma, nec interſit conuiuijs. In vitæ exitu ſi meruerit viaticū concedatur.

Parentibus voluntarie filios occidentibus maior pęnitentia imponatur, quam pro alio homicidio. Item qui facto, vel potione impediūt conceptus, vel generationem tanquam homicidæ tenentur.

Parentibus, qui infantes ſuos oppreſſerunt in lectulis, ſi caſum culpa præceſſit, trium annorum pœnitētia eſt imponēda quorum vnus in pane, & aqua peragatur. Si ante baptiſmū per quinquennium. Si dubium ſit parentes non debent eſſe ſine pœna. Qui vero mortui reperiuntur cum patre, & matre, & non apparet a quo oppreſſus fuerit, non debent eſſe ſine pœna, quamuis debet eſſe conſideratio pietatis, quia non eſt voluntas. Quidam trium annorum pœnitentiam iudicant quorum vnus ſit in pane, & aqua. At filij presbiteri gręci ſi inueniantur oppreſſi in lectis perpetuo ab Altari abſtinere debent, & grauior quam Laicis pœnitentia imponatur. Si in Cunis reperiantur mortui, & fuerit occultum pro arbitrio pęnitentia imponatur.

Occidēti presbiterum duodecim annorum pœnitentia imponatur. Qui vero Clericum, aut Monachum occiderit ſeptem annis pœnitētiam agat publicam, & ſeruiat toto vitæ tempore in Monaſterio.

6. Contrahens cum deſponſata alteri per verba de præſenti 40. dies ieiunet in pane, & aqua, & ſeptem annis pęniteat.

Pater, & filius, aut fratres fornicantes cum vna muliere octo annis pœniteant. Idem ſi cum duabus ſororibus, aut commatribus.

Qui cum matre, & filia fornicatus fuerit vna ignorante de altera vir priuetur coniugio illæ non.

Quæ poſt votum contraxit matrimonium, ad communionem nō admittatur, niſi marito defuncto egerit pœnitentiam, ſi autem ille prius moriatur cum pœnitentia, & petierit tantum in fine vitæ accipiat communionem.

Deuota, quæ poſt votum peccauerit non eſt recipienda in eccleſia, niſi decem annis egerit pœnitentiam.

Mulier, quæ nupſit viro cum quo adulterauit viuente primo quinque annis pœniteat.

Contra naturam peccantes ſi Clerici ſint deijciantur a Clero, vel in Monaſterio detrudantur ad agendā pœnitentiam, ſi laici excommunicentur, & ſeparentur a cœtu fidelium.

Pro peccato beſtialitatis ante annum vigeſimum, quindecim annis ſtet ante ianuam eccleſiæ, & poſt quinque annis pęniteat. Si poſt vigeſimum annum habens vxorem viginti quinque annis iaceat in humilitate, & tantum quinque annis orationibus communicans recipiat ſacramentum.

Vxorem adulteram pœnitentem cognoſcens ante pęnitentiam peractā pęniteat duobus annis. Et ſciens eſſe adulteram, ſi non vult dimittere tribus annis pęniteat, & per id tempus ab ea abſtineat.

7. Furatus pecuniam eccleſiaſticam reddat in quadruplum, ſi ſit de myſterio Altaris ſeptem annis pęniteat tribus in pane, & aqua. Violans Eccleſiā violenter arripiens vaſa Euchariſtiæ, & Chriſmatis pœniteat ſeptem annis, vno anno extra Eccleſiam; Secundo ante fores Eccleſiæ, ſine Communione tertio intra

Eccle-

Eccleſiam inter audientes ſine oblatione, & hoc triennio non bibat vinum, nec carnem manducet.

Qui combuſſerit Eccleſiam quindecim annis pœniteat, & eam reſtituat. Clericus furtum faciens ſeptem annis pœniteat. Laicus quinque. Si autē bis faciat de rebus minoribus, vno anno in pane, & aqua, vel tribus ſi reddere non poſſit.

Qui falſa menſura menſurat 30. dies in pane, & aqua pœniteat. Patroni laici Eccleſiarum, qui in rebus collatis rapinam fraudem, vel violentiā quaſi iuris proprij præſumpſerint excommunicationem per annum ſuſtineant, & caueant ne in perceptione fructuum ſe ingerant iuxta decretū Triden. Conc. ſeſſ. 25. c. 9.

Incendiarius domus, vel Areę voluntarius reſtituat, & pœniteat tres annos. Et ſi ex odio ignem appoſuerit, vel auxilium dederit excommunicetur. Hodie eſt caſus Papæ reſeruatus.

8. Accuſans aliquem iniuſte, & propterea occiſum quadraginta dies ieiunet in pane, & aqua, & pœniteat ſeptem annis ſequentibus. Si autem propterea debilitatus eſt, p tres quadrageſimas pœniteat, quas dicunt B. Petrum inſtituiſſe, ante Natalem Domini, ante Paſcha, & ante S. Ioannē.

Qui Miſſam celebrat, & non communicat per annum a Communione repellitur, & ipſo iure ſuſpenſus eſt.

Epiſcopus ordinās inuitum, & reclamantem per annum ſuſpenſus maneat.

Epiſcopus diſſimulans ſimoniam non corrigens duobus menſibus ſit excōmunicatus, presbiter vero, qui eam commiſit quattuor, Diaconus tres, Subdiaconus, & Clericus debita pœna puniantur, & excommunicatione.

Presbiter reuelās peccata in confeſſione audita de iure antiquo deponitur, vt ignominioſus. De iure nouo deponitur ab officio Sacerdotali, & in Monaſterium detruditur. Sed hodie conſulitur officium Sanctæ Inquiſitionis.

Si propter presbiteri negligētiam aliquid de ſanguine Domini ſtillauerit in terra pœniteat per 40. dies, & locus lingua lambatur, & radatur & raſio igne conſumatur, & cinis intra Altare recondatur. Si ſuper Altare ceciderit ſorbeat ſtillā Sacerdos, & tribus diebus pœniteat, ſi ſuper linteum Altaris quattuor diebus ſi vſque ad tertium nouem, ſi vſque ad quartum viginti diebus; Et vbi tetigerit abluatur calice ſuppoſito, & aqua ablutionis ſumatur, ſi ceciderit, & nō inueniatur omne quodcumque inuentum fuerit in loco, in quo ceciderit igne comburatur, & cinis ſub Altari recondatur, & medio anno pęniteat, ſi inuentum fuerit ſtramen comburatur, & cinis recondatur.

Qui per ebrietatem, aut voracitatem Euchariſtiā euomuerit 40. diebus pęniteat ſi laicus ſit, Clericus vero Monachus, & Diaconus 60. Presbiter 70. diebus, Epiſcopus 100. Si cauſa ſit infirmitas ſeptem diebus.

Qui ſacrificij die euomuerit, & vomitum in ignē, vel flumen proiecerit centum pſalmos cantet, ſi canes illum lamberint centum dies, ſi perdiderit, aut pars eius ceciderit, & inuenta non fuerit 30. Si vermibus conſumptum ad nihilum deuenerit per negligentiam tres quadrageſimas in pane, & aqua, & vermis comburatur.

Diſcrepans a Metropolitana eccleſia in officijs diuinis ſex menſibus communione priuetur.

Presbiter videns mortuum inuolui palla Altaris non monens ſit excommunicatus. Decem annis. Diaconus

conus id faciens triēnio,& ſex menſib. a dominico erit ſuſpēſus Altari.

Qui inebriatur votum ſanctitatis habens,vt mens mutetur lingua balbutiat oculi turbentur,ſi Clericus ſit quattuor dies pęniteat, Monachus 14. Diaconus quattuor hebdomadas, ſimiliter Presbiter, Epiſcopus quinque,alij Prelati tres ſine vino,& carne.

Qui frangunt pęnitentiam ſolemnem,aut redeunt ad priora crimina, vel ſimilia, vel ad illa quæ ſunt illis interdicta a communione mēſæ Domini ſegregentur,niſi in fine vitæ,ſolum ad orationem, vt Miſſæ ſacrificio intereſſe poſſint admittuntur.

Alij Canones ſtudioſis videndi in iure relinquuntur. Vetus conſuetudo fuit, vt ſeptem annorum pęnitentia pro quolibet peccato mortifero imponeretur, ſed hodie non ſeruatur,immo omnes pęnitentiæ ſunt arbitrariæ.

In administratione Sacramenti Euchariſtiæ.

TRia ſunt ſeruanda præparatio, miniſtratio, & benedictio.

Prius parato vaſe cum vino, & aqua ad purificationem communicantium, & extenſo linteo in gradibus Altaris, cum ſuperpelliceo, & ſtola præcedente miniſtro, iunctis manibus,ſacerdos procedit ad Altare,& accenſis cereis, facta genuflexione extrahit pixidem, & ſuper corporale diſcooperit. Et Miniſter nomine populi dicit Confiteor Deo, &c.Et Sacerdos dicit Miſereatur, & Indulgentiam,&c.

Tum genuflectit, & eleuatus, pixidem ſiniſtra apprehendit,& dextera Sacramentum eleuat dicens populo. Ecce agnus Dei,ecce qui tollit peccata mundi. Et ter Domine non ſum dignus. Deinde accedit ad communicandum eos, qui ſunt ad partem Epiſtolæ faciēs ſignum Crucis ſuper pixidem vnicuique dicens corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam. Amen, & reuerſus ad Altare,ò ſacrum conuiuium, &c. cum verſu,& oratione. Tempore vero Paſchali Spiritū Domine nobis tuæ charitatis infunde, &c. Abluuntur digiti, & ablutio datur communicantibus,vel ſumitur a Sacerdote.

Poſtea benedictio Dei omnipotẽ patris,& filij,& Spiritu ſancti deſcēdat ſuper vos, & maneat ſemper.

Infirmis portandum eſt cum omnij reuerentia, & timore comitantibus Clericis, & Parochianis cum luminaribus,& ſub baldachino; præparato prius habitaculo infirmi cum menſa,& linteo, & proceditur, Dicendo Miſerere;cum peruentum fuerit dicitur;Pax huic domui,& omnibus habitantibus in ea. Et Aſperges me Domine, &c. cum aqua benedicta. Et exaudi nos Domine ſancte pater, &c, & ponitur in menſa ſuppoſito corporali.

Et diſpoſito, vel reconciliato infirmo, factaque confeſſione dicitur Ecce agnus Dei, & Domine nō ſum dignus. Et accipe frater viaticū corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti,qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam Amen. Et cū Sacramēto incluſo in cuſtodia facit ſignum Crucis ſuper infirmū.

Et reuertitur ad eccleſiam dicendo,laudate Dominum de cælis,&c.In eccleſia panem de cęlo, & Deus qui nobis ſub Sacramento, &c.

Orde miniſtrandi Sacramentum extremæ vnctionis.

POſtulat, vt præparentur neceſſaria in infirmi cubiculo, nempe mẽſa cum linteo, & ſeptem globuli bambacij in vaſe ad abſtergendum partes inunctas, medulla panis ad abſtergendos digitos ſacerdotis, & aqua, & candela accenſa vngentem illuminans.

Deinde procedit ſacerdos ſaltem cum Clerico portante Crucem ſine haſta, aquã benedictam, & Rituale, ipſe vero cum vaſe ſacri olei infirmorum in ſacculo ſerico. Cum peruentum fuerit dicitur, Pax huic domui. Deponitur vas ſacri olei in mẽſa datur crux oſculanda infirmo. Aſperguntur circunſtantes aqua benedicta. Et paucis eſt conſolandus, & de virtute ſacramenti admonendus. Et adiutorium noſtrum cũ orationibus, vt in Rituali.

Sequitur vnctio facta prius confeſſione generali, & dicto Miſereatur, & indulgentiam, &c. Monendi ſunt circunſtantes, vt orent; dicunt Clerici Pſalmos pænitentiales cum Litanijs. Tum ſacerdos. In nomine patris, & filij, & Spiritus ſancti extinguatur in te omnis virtus diaboli per impoſitionem manuum noſtrarum, & per inuocationem omnium Sanctorum, Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarũ, Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Virginum, atque omnium ſanctorum. Amen. Et intincto pollice in Oleo Sancto in modum Crucis vngit infirmum, vt ſequitur.

Ad oculos.

Per iſtam Sanctam vnctionẽ, ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per viſum deliquiſti. Amen.

Ad aures.

Per iſtam ſanctam vnctionẽ, ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid per auditum deliquiſti. Amen.

Ad nares.

Per iſtam ſanctam vnctionẽ, ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per odoratum deliquiſti. Amen.

Ad os. Compreſſis labijs.

Per iſtam ſanctam vnctionem, ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per guſtũ, & locutionem deliquiſti. Amen.

Ad manus interius Sacerdotibus exterius laicis.

Per iſtam ſanctam vnctionẽ, ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per tactum deliquiſti. Amen.

Ad pedes.

Per iſtam ſanctam vnctionem, ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per greſſum deliquiſti. Amen.

Ad lumbos.

Per iſtam ſanctam vnctionem, ✠ & ſuam pijſſimam miſericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per lumborum delectationem deliquiſti. Amen.

His peractis, Kyrie eleiſon, Pater noſter, &c. cum orationibus, Domine Deus, qui per Apoſtolum tuum Iacobum, &c. reſpice, &c. Domine Sancte Pater, &c.

Tandem præbenda ſunt ſalutaria monita quibus confirmetur ad moriendum in Domino; ſæpè viſitãdus eſt, vt Rituale præcipit.

MONITA SALVTARIA.

VT contrito corde ſanctiſſimũ nomen Ieſu ſæpius inuocet.

Excitandus etiam, vt dum mente viget eliciat actus fidei, ſpei, & charitatis, aliarumque virtutum.

Verbi gratia, Vt credat firmiter omnes articulos fidei, & quicquid Sancta Romana Eccleſia Catholica, & Apoſtolica credit, & docet.

Vt ſperet Chriſtum Dominum Noſtrum pro ſua immenſa clemẽtia ſibi fore propitium, & merito Sanctiſſimæ paſſionis eius, & per interceſſionem Beatę Mariæ, & omnium Sanctorum, ſe vitam æternam conſequuturum.

Vt toto corde diligat, & maxime diligere cupiat Dominum Deum ea dilectione qua illum diligunt beati, ſanctique omnes.

Vt ob amorẽ Dei doleat ex corde de omni offenſa, qualitercumq; contra Dominum Deum, & proximum commiſſa.

Vt ex corde ob amorem Dei parcat omnibus, qui ſibi quoquomodo fuerint moleſti, aut inimici.

Vt ab ijs veniam poſtulet quos dĩctis, aut factis offendit.

Vt quem patitur dolorem, & morbi moleſtiam propter Deum in pœnitentiam peccatorum ſuorum patienter toleret.

Vt ſi Dominus ſalutem corporis præſtare dignabitur proponat pro viribus in poſterum a peccatis cauere, & eius mandata ſeruare.

Vnde hortandus, vt ex corde eo modo quo poteſt ſic precetur.

Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.

In te Domine ſperaui nõ confundar in æternum.

In manus tuas Domine commendo ſpiritum meũ, redemiſti me Domine Deus veritatis.

Deus in adiutoriũ meum intende, Domine ad adiuuãdum me feſtina. Eſto mihi in Deum protectorem. Deus propitius eſto mihi peccatori.

Dulciſſime Domine Ieſu Chriſte per virtutẽ Santiſſimæ paſſionis tuæ recipe me in numerum electorum tuorum.

Domine Ieſu Chriſte ſuſcipe ſpiritum meum.

Maria mater gratiæ mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.

Sancte Angele Dei mihi cuſtos aſsiſte. Omnes Sancti Angeli, & omnes Sancti intercedite pro me, & mihi ſuccurrite.

Itẽ poteſt vti alijs verſiculis Pſalmorum, oratione Dominica ſalutatione Angelica, Symbolo fidei, & paſſione Domini, aut meditatione. Et ſacras imagines Chriſti Beatæ Mariæ, & ſanctorum habeat, & veneretur, & vas aquæ benedictæ, qua frequenter aſpergatur ſignando ſe ſacro ſigno Crucis. Quæ omnia latius in ſequenti tractatu pro iuuãdis morientibus traduntur. Comendatio animæ fiat, vt in Rituali.

MODVS IVVANDI *morientes*.

PAſtor animarum præcipue adeſſe debet migraturo, rationẽ redditurus ſi ſua negligentia ouis ſibi credita ab infernalibus lupis deuoretur. Si impeditus fuerit prouideat, vt aliquis deuotus, ac prudens aſſiſtat, vt in feruente charitate, ac conuerſione ad Deum ex hac vita decedat; quia in eo ſtatu quo deceſſerit in æternum permanebit. Igitur pius vir hoc opus magnę charitatis pfecturus primo loco finẽ inſpiciat,

ſpiciat, puriſſima intentione iuuandi ægrotum, vt in Dei gratia decedat, & beatitudinem conſequatur; conſiderando eſſe Dei imaginem, & Chriſti membrum. Sed cum negotiũ ſit ſupra vires, orandus eſt Deus, vt tantum bonum concedat, adiuuetque pro ſua clementia ſacerdotem, & ægrotum. Et dum ſe confert renouet deſiderium ſalutis morientium, cogitetque agenda, & in Miſſis Deo commendet. Deinde diſtinguere oportet, aut vocatur ſacerdos ad omnia, vel ſolum ad bonum tranſitum. Si ad omnia, aut vult facere omnia quæ tenetur, aut non, & tunc inueſtiganda eſt cauſa. Item, vel habet iudicium, aut non, vel parum iudicij habet. Item aliter cum doctis agendum aliter cum plebeis, & indoctis, de quibus interrogandi ſunt vocantes. Duo tamen genera rerum præcipua ſunt, alia neceſſaria infirmo ad ſalutem, alia ſolum vtilia ad conſolationem, & maius meritum.

Polan. in Metho. iuuan. mori.

NECESSARIA morienti ſunt recipere ſacramenta, reſtituere ſi poteſt, vel committere alteri, quæ facilius ſuadentur habentibus tempus, & iudicio vtentibus. Salutandus ergo eſt ægrotus, & interrogandus quomodo ſe habeat. Dicere poteſt Euangelium, Recumbẽtibus vndecim cum oratione, Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidi. auxil. tui ſuper infirm. famu. oſtende virtu. vt ope miſericordiæ tuæ adiutus eccleſiæ tuæ ſanctæ, incolumis repreſentati mereatur, &c. Si medici de eius vita dubitent amanter dicendum eſt, chariſſime tempus eſt nunc quãdo parum poſſunt iuuare humana remedia, aut medici, vel amici. Verum remedium eſt ad patrem cæleſtem verum medicum, & amicum Ieſum Chriſtum ſe conuertere, qui poteſt ſanare corpus, & animam, ſanat autem per gratiam, animam, & gratia datur per ſacramenta. Quare primo loco oportet ſacramentũ pœnitentiæ ſuſcipere, ad quod promitto me adiuuaturum. Si differat ad horam, vt cogitet, vel quia neceſſe eſt generaliter confiteri, vel cum altero, admittendum eſt. Si autem recuſat laborem, dicendum eſt eſſe periculum in dilatione, & non poſſe ſibi polliceri ſecure horam vitæ. Si nolit cõfiteri, interrogare debet de cauſa, ſi propter negligentiam, deſperationem, vel pactum cum dæmone, aut hæreſim. Et curandum eſt de remedio, vel vocandus eſt vir idoneus gratior qui eum conſoletur. Si velit, illum audiat, & poſt de probabiliter omiſſis interroget. Tum excitandus eſt ad contritionem cum ſpe ſi imperfectam habeat. Quia peccauit contra Deum cuius maieſtas eſt immenſa, & iuſtitia qua punit peccata ſeueriſſime, & ſummo amore dilexit nos pro nobis moriendo, & contulit tot beneficia naturæ, & gratiæ, ideo magna ingratitudo eſt talẽ patrem, & benefactorem contemnere, & ſanguinem Chriſti conculcare, & inſuper animam ſuam interficere. Nihilominus tanta eſt eius bonitas, quod expectat ad pœnitentiam apertis brachijs, vt conuertaris, & ſanet animam. Dic ergo ex toto corde, Deus propitius eſto mihi peccatori Domine, ꝓpitiare peccato meo multum eſt enim, Miſerere mei Deus, ò ſi numquã te offendiſſem? diſplicet mihi, quod tuam bonitatem, tam ingrate offenderim. O Domine Ieſu Chriſte, qui me tanta charitate peccatorem viliſſimum redemiſti pœnitet me, quod ſæpe, & grauiter mandata tua præuaricatus ſum. Quis det mihi fontem lacrymarũ, vt defleam malitiam, & ingratitudinem meam? qua contẽpſi Deũ propter viliſſimas creaturas. Propono cum tua gratia millies mori potius, quam te offendere.

dere. Et talis conſolandus eſt ſpe ve-niç,& abſoluendus cum facili pœnitentia,& indulgentia, ſi facultas ſit. Hortandus tamen ad reſtitutionem ſtatim faciendam ſi poteſt, & res eſt clara ne relinquatur hæredibus, & ſi quem offendit, vt veniam petat. Poſt ſumat viaticum cum magna fide ſpe,& dilectione. Et ſacramētum vnctionis,(ſi medicus dicat ad finem accedere, vel in magno periculo verſari, vt ſenſibus integris deuote ſuſcipiat,vel petat ſaltem. Tū faciendum eſt teſtamentum, vel emendandum, aut ratificandum iam factum, vbi curandum eſt, vt omnia clara relinquat, quæ ad exonerationē conſcientiæ ſpectāt,vt dotes filiorū,ſtipendia famulorū, & debita omnia, vt ſi habuit officiū,adminiſtrationē, vel tutelā,q̄ nō potuerunt in vita impleri.

Si parum iudicij habeat, vel tempus breue ſit, aſſiſtentes interrogādi ſunt,an ſacramenta ſuſceperit, ſi nihil fecit excitandus eſt vociferationibus,quod mors eſt ꝓpinqua;quod eſt in periculo æternæ damnationis niſi animam purget:& vis confiteri? & alia ſacramenta? ſi annuat, interrogandus eſt de mortalibus, ſi ſigno reſpondeat,& loqui non poſſit,abſoluendus eſt, & hortandi amici, vt Miſſas,orationes,& eleemoſinas pro illo faciant, vt Deus ſanitatem reſtituat, aut pro ſua clementia bene diſponat ad felicitatem: ſi tempus ſupereſt interroget alia maiora, vt habes aliquid alienum? ſi annuat petat,vis vt hæredes tui illa examinēt? ſi conſentiat hæredes vocandi ſunt, & teſtes cum Notario, quibus præſentibus interrogetur. Cōmittis hæredibus,vt examinent,& ſoluant debita tua? ſi annuat extramittantur.

Et mouendus ad dolorem de peccatis cum ſpe veniç per Chriſti crucem,& mortem.Et cum faciat quod in ſe eſt,& loqui non poſſit abſoluendus eſt a cenſuris,& peccatis. Si vocem recuperet, & velit confiteri audiat illum, (& interim præmoneat aſtantes, vt ſacramenta parata ſint) interrogetque de maioribus mortalibus in quæ veriſimiliter credi poteſt incidiſſe, & ſi aduertat hominē deficere,breuiter expediat; moueatque ad dolorem non ſolum ex timore ſeruili, ſed ex charitate, vt doleat quod maiorem dolorem non habet. Et abſoluatur. Tū detur ei viaticum, & extrema vnctio.

Si loquelam amiſit, & vſum ſenſuum, tamen antea petijt ſacramenta verbis,aut ſignis, vel oſtēdit ſigna contritionis,& voluntatem faciendi ea quæ Chriſtianus tenetur, cēſetur contritus licet magnus fuerit peccator,& poteſt ei dari Euchariſtia,ſi ſit ſpes,quod deglutiet. Item,& Sacramentum vnctionis,& abſolutio a cenſuris. Immo ſecundum probabiliorem ſententiam ſi aſtantes dicant petijſſe confeſſionem,aut abſolutionem, & dum vocatur ſacerdos, perdit vſum ſenſuum, poteſt ſacerdos adueniens, & præſens abſoluere a peccatis,ſecundum S. Antoni. Et ſacerdotale Romanum antiquum, & Rituale Sanctiſſimi D. N. Pauli V. Et habetur Cano. Egrotantes de con ſecr. d.4. vt tenet Cardin. Tolet. in ſua ſumma in materia de Sacramento confeſſio. Et Valentia.to.4.diſpu. 7.q.11.p.1. Et citat in eandem ſententiam Cano.76. Conci. Carthagi. 4. Quidquid alij contra dicant,non poſſe dari, vel ſolum cum conditione. Ratio eſt,quia iuuandus eſt habens attritionem,adiungendo ſacramentum abſolutionis,quia ſola attritio non ſufficit ad ſalutem,aliter fieret ei iniuria, relinquere in extremo periculo, maxime cum per eum non ſtet. Et ſignificet habere peccatum, alia autem ſacramenta, non ita celeriter conferri poſſint, & contritio

eſt difficilis. Quod ſi nõ habeat ſufficiens iudicium, interroget ſuos, an ſoleat habere lucidum interuallum, & ſi ſperetur, redeat ſacerdos poſt aliquantulum temporis, vel non recedat donec ægrotum ad meliorem ſtatum reducat, Item huiuſmodi impediti ſunt excitandi, vt Ieſum inuocent ex corde, & ſanctiſſimam eius matrem, & proteſtẽtur ſe velle mori in fide Sanctæ Romanæ eccleſiæ. Et ſi aliquid grauat conſcientiam, & animus nõ ſit quietus recõcilientur.

Vtilia morienti quædam fiunt ſimul cum illo, quædam ſine illo. Cum illo. Primo ſupplenda ſunt neceſſaria ad ſalutem, omiſſa. Secũdus exercendus in actib. virtutũ. Tertio iuuandus eſt ad vincendas tentationes. De omiſſis inquirẽdum an ſit aliquid omiſſum, quod ſecundum ſuam conſcientiam videatur ſupplendum. An recordetur alicuius peccati non confeſſi. Item ſi relinquit omnia clara in ſuo teſtamento. Quod ſi in eo aduertat ſcrupulos, & timorem non neceſſarium iubeat bono animo eſſe. Exercitatio virtutum Theologicarum poteſt fieri legendo aliqua, quæ ipſum conſolabantur cũ eſſet ſanus; ſi tempus ſit, & ſana mẽs. Vt Paſſiones Domini. Prima Canonica Ioan. Apoſtoli, & duo capita, vltima Apocalyp. aut Hymnos, & Officia Breuiarij, vel Euangelia Miſſalis per ordinem, aut Meditationes. Granatæ de amore Dei. Poteſt etiam fides exerceri Sacerdote cum crucifixo in manibus hortante, per modũ orationis, & gratiarum actionis; vt Chariſſime dic; Commendo me tibi æterne pater, qui omnia creaſti, cõmendo me tibi fili vnigenite Ieſu Chriſte, qui pro me mortuus es, commendo me tibi, & gratias ago, Sãcte ſpiritus, qui viuificas vnam ſanctam Eccleſiam Catholicam. Spes per deſiderium beatitudinis, & confidentiam. Vt bono animo eſto dilectiſſime, quia accedit finis peregrinationis tuæ. Eleua oculos ad cæleſtem patriam, vbi nobiles ciues, & amabiles habitant, & nulla ibi ſunt pericula. Abſterget Deus omnem maculam, & non erit vllus dolor; quæ per gratiam eleemoſynas, & bonas operationes comparatur. Et Deus eſt, qui dat gratiam, & gloriam, & eſt tam nobilis, quod amat te tanquam opus ſuum, immo tanquam pater filium. Te ad hoc creauit, & redemit, & fugiẽtem quæſiuit, vt hoc ſummum bonum haberes, igitur ſi filius hæres eris; ſi fugientem quæſiuit; te cupientem, & quærentem melius recipiet. Conuerte oculos ad Chriſtum, vide quæ 33. annis pro te paſſus eſt, uide ſanguinem fluentem ex manibus, pedibus, & latere, conſidera flagella ſpineam coronam, Alapas, ſputa, irriſiones, & crucis ſupplicium. Ergo qui talia cum tanto amore paſſus eſt, non te deſeret in tempore neceſſitatis. Inſuper ſe tibi dedit in cibum in Euchariſtia ergo ſe reuelatum dabit in gloria. Item habes tot interceſſores Beatiſſimam Virginem dic ei. Eia ergo aduocata noſtra illos tuos miſericordes oculos ad nos conuerte, & Ieſum benedictum fructum ventris tui nobis poſt hoc exilium oſtẽde. Habes tuum Angelum, & omnes ſpiritus cæleſtes; dic illis, omnes ſancti beatorum ſpirituum ordines, intercedite pro me, Dic pſalmum, in te Domine ſperaui. Item dic, Pater æterne, qui vt ſeruum redimeres filium tradidiſti, quamuis ego indigniſſimus ſim tanto bono, ne me permittas a te ſeparari, ne pereat pretium ſanguinis dilectiſſimi filij tui. Domine Ieſu Chriſte, tu dixiſti: Ego ſum reſurrectio, & vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit viuet. Ego credo in te per miſericordiam tuam, & ſpero videre

Chryſ. in Geneſi hom. 34.

bona

bona Domini in terra viuentium, per tuam ſanctam paſſionem, & merita. Cum his miſcenda eſt cōtritio, & ſpes. Miſerere mei Deus, Ne proijcias me a facie tua, & Spiritum ſanctum tuum ne auferas a me. Domine Ieſu Chriſte coniunge tuas perfectiſſimas actiones infiniti valoris, cū meis tepidis, & imperfectiſſimis, & offer Patri æterno, vt de tuis diuitijs paupertas mea ditetur. Exercitium charitatis, omnium finis, & ſummā bonorum ad premium augendum, conſiderationibus, orationibus, & exemplis fit. Vt, Tenemur totis viribus diligere Deum, gaudendo puro amore de eius omnipotentia pulchritudine felicitate. Et diligendus eſt, quia ipſe prior dilexit nos, plus quā pater, amicus, & ſponſus. Et propter beneficia naturæ, gratiæ, & gloriæ, gratis collata, non autem diligendus propter noſtram vtilitatem. Cuius immenſi amoris ſolam recompenſationem amoris requirit. Dic ergo illi, diligā te Domine fortitudo mea. Quis mihi tribuat, vt te perfecte diligam bonitas infinita? quando occupabis totum cor meum? quando ero totus tuus, ſicut totum me tibi debeo multis modis pater cœleſtis. Domine Ieſu Chriſte, qui me æterna charitate dilexiſti adde hoc beneficijs tuis, vt te puriſſimo amore diligam, & ſine modo. O Spiritus ſancte amor patris, & filij auge dilectionem tuam in me. Congaudeo beatiſſima Trinitas de tua perfectione poteſtate felicitate, & ęſtimo illam plus quā omnium creaturarum felicitatem. (Poteſt iungi contritio.) Hei mihi, qui tantam bonitatem offendi, & contempſi: Ego ſum ingratiſſimus, & omnibus pœnis digniſſimus, qui talem patrem, talem amatorem, & benefactorem ſæpe, & grauiter offendi. Parce mihi Domine per merita Ieſu Chriſti Domini mei. Amplius laua me, &c. Regina Cœli, refugium peccatorum, reconcilia me cum vnigenito filio tuo. Maria mater gratię, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe. Angeli ſanctiſſimi præcipue Michael, & tu cuſtos meus aſſiſtite mihi migranti ab hoc ſeculo, & eripite ab aduerſarijs meis. Et vos ſancti omnes ciues celeſtes pręſertim patroni mei, adiuuate me, vt in veſtrum conſortium admittar. Si vicinior ſit tranſitus poteſt addi, proteſtatio fidei, vt ſupra cum Credo, & adoratione crucis. Adoramus te Chriſte redemptor meus, & Deus meus, & benedicimus tibi, quia per Crucem, & mortem tuam redemiſti mundum. Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus ſuſtinet. Vide Chriſtum pendentem in cruce clauis confixum, & ſolem turbatum, & terram trementem, vt peccata deleret, confide quod qui hæc fecit non te deſeret.

Tentationes quibus moriens impugnatur prudenter aduertendæ ſunt, vt diligenter adiuuetur ad eas vincendas. Solent eſſe dolor de præſentia mortis, impatientia, tentationes contra fidem, & deſperatio. Dolor de morte ex vitæ deſiderio plurimū nocet, quia magis torquet, repugnat, enim proprię voluntati, & priuat merito conformitatis, & diſpoſitione ad vitam futuram. Vnde celari non debet, immo ſuauitate ſignificanda eſt, vt ſe præparet, & conformet rationibus, & exemplis. Tum quia ſperandum de amore patris, quod nos vocat eo tempore quo magis expedit nobis ſecundum Chryſo. Tum quia mors fideliū nō eſt mors, ſed tranſitus ad meliorem vitā, præſens namque eſt miſera, & vallis lacrymarū. Ergo non male nobiſcum agitur transferendo nos ad locum lætitiæ? Ideo Paulus cupiebat diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Dic ergo frater,

quam-

quamuis naturalis amor vitæ recuſet mortem, ſed ſi tibi placet eam tibi offero, & afflictionem meam ad beneplacitum tuum cum paſſione, & morte Domini mei Ieſu Chriſti, ſi oritur ex amore ad terrena orationibus, & eleemoſinis iuuādi ſunt, & remouendus eſt aſpectus perſonarum illarum, & rationibus exemplisque temperandus affectus.

Primo hæc memoria affligit ſine fructu, & impedit præparationem.

Secundo quæ in mundo ſunt imperfecta ſunt, & ad breue tempus data.

Tertio Deus plus eſt pater filiorum tuorum quan tu, qui prouidentiam de omnibus gerit, & tuos non relinquet. Proijce ergo curā in eum quia ipſi cura eſt de vobis, ait D.Pet. Demum vita, & omnia mundi bona data ſunt mutuo a Deo, vt illis tanquam medijs vtamur ad eum cognoſcendum, amandum, & ſeruiendum, ergo ſi tollat ea non facit iniuriam. Vide Chriſtum in cruce mortuum nudum. Et S.Franciſcum, qui in terra mori voluit, & S.Ludouicum Regem Franciæ ſuper cinerem extenſis in modum crucis manibus. Dic chariſſime libera me Domine a ſpinis terrenarum cogitationum, quæ animam inquietant, & imprime cæleſtia deſideria. Si oritur ex temporis breuitate ad implicata declaranda; talis hortandus eſt, vt faciat quod poteſt, ſacramenta ſuſcipiat, teſtamentum faciat, quo ſuppleat, quæ ſtatim fieri nequeunt, & ad tranſitū ſe præparet. Nam nihil maius homines facere poſſunt, quam vitam Deo ad ſuum beneplacitum offerre.

TENTATI de impatientia propter dolores, vel defectum neceſſariorum, iuuandi ſunt per compaſſionem rationibus, & exemplis.

Primo, quod impaciētia auget malum, & aufert meritū impacientiæ.

Secūdo Deus mittit labores illos, vt medicus ſapientiſſimus ad tuum bonum, & quamuis medicina ſit amara, tamē eſt vtilis. Quia cū ſit iuſtiſſimus non finit peccata impunita, & huius vitæ punitio leuior, & breuior eſt.

Tertio facit, vt ab amore mundi abſtrahat. Et aliquando ad probandam fidem ſpem humilitatem patiētiam, iuxta illud tunſionibus preſſuris expoliti lapides ſuis coaptantur locis. Ergo bono animo ferenda quę nos expoliunt, vt lapides viui efficiamur Hieruſalem cæleſtis. Vide Chriſtum, vide Martyres in tormentis. Dic cum Auguſtino, hic vre, hic ſeca, vt in æternum parcas. Domine quos diligis caſtigas, ſim ergo ex numero filiorum, quos diligis, quando quidem me caſtigas. Adiuua me adiutor in opportunitatibus in tribulatione, da mihi Domine virtutem patientiæ.

Sed potiſſimum duabus tentationibus aggreditur diabolus, ſcilicet, vt in fide deficiant, vel in deſperationem labantur, ſi contra fidem, monendus eſt, vt nullo modo diſputet cum dęmone, ſed oret, vt ab illa moleſtia liberetur. Domine illumina oculos meos, ne vnquā obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus præualui. Vel Domine vim patior reſponde pro me. Aut cum Apoſtolis Domine adauge nobis fidem. Et dicat ſymbolum. Iuuat maxime vnica ſolutione reſpondere dęmoni; diſputa cum Eccleſia Catholica. Ex Prophetis, Apoſtolis, Martyribus Doctoribus, Cōfeſſoribus, Virginibus, quorum caput eſt Papa, mihi ſatis eſt quod credo, quidquid illa credit, & confitetur. Poteſt etiam fieri proteſtatio fidei, vt ſupra, vel per interrogationes ſequentes.

Pro-

Proteſtatio Chriſtiani per interrogationes pro loco, & tempore, & perſonarum qualitate.

Ex Ritua. S. Sene. CRedis firmiter omnes articulos fidei, & quidquid in Sacra Scriptura continetur ſecundum expoſitionem eccleſiæ, & quidquid Sancta Romana Eccleſia credit? Credo.

Deteſtaris omnes hęreſes, & errores quos illa deteſtatur? Deteſtor.

Vis mori, vt obediens Eccleſiæ filius? Volo.

Gaudes mori in fide Dom. N. Ieſu Chriſti, & obedientia Sanctę matris Eccleſiæ? Gaudeo.

Cognoſcis te grauiter, & ſæpe offendiſſe Dominũ Deum Creatorem a quo tanta beneficia accepiſti? Cognoſco, & pœnitet.

Doles de omni offenſa cõtra Deũ teipſum, & proximum? Doleo.

Doles de omiſſione bene operandi? Doleo.

Petis a Deo veniam peccatorum? Peto.

Doles quod poſt veniam conſecutam per pęnitentiæ Sacramentum reincidiſti? Doleo.

Doles non timore pœnæ, ſed propter Deum, & offenſionem diuinæ bonitatis? Ita doleo.

Proponis toto vitæ tẽpore ſi Deo placuerit cauere a mortalibus, & potius ſuſtinere quodcumque tẽporale damnum, quã mortaliter Deum offendere? Propono.

Recordaris alicuius mortalis, de quo non ſis confeſſus? Recordor, vel non.

Optas a Deo illuminari, vt peccata oblita in memoriã reuoces, & valeas confiteri? Opto.

Credis quod D. Noſter Ieſus Chriſtus pro nobis peccatorib. mortuus eſt, & quod nemo ſaluari poſſit niſi in virtute, & merito paſſionis eius? Credo.

Parcis ex corde omnibus, qui verbo, vel facto tibi nocuerunt amore Domini Dei tui? Parco.

Petis veniam ab his quos offendiſti? Peto.

Vis omnia quæ iniuſte tuliſti reſtituere, & adhoc omnes facultates tuas exponere? Volo, & paratus ſũ.

Omnem dolorem, quem pateris vis in pœnitentiam tuorum peccatorum patienter tolerare? Volo.

Age gratias Chriſto, & ipſum inuoca Saluatorem, & quantum potes paſſionem eius cogita Agam, & cogitabo.

Si occurrat tibi diabolus, ſemper appone ei merita Domini Noſtri Ieſu Chriſti Apponam.

Si te tẽtauerit de fide, dic te credere omnia, quæ credit Sancta Eccleſia Catholica. Dicam.

Si occurrerit ſeueritas diuinæ iuſtitiæ, quaſi te velit ſecundum tua peccata iudicare, dic non intres in iudicium cũ ſeruo tuo Domine, quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens. Item Domine pone paſsionem, & mortem Domini mei Ieſu Chriſti, & merita inter me, & iudicium tuum, loco meriti quem debuiſſem habere. In manus tuas commendo ſpiritum meum.

Secundo ſi non ſit in agonia, & integris ſit ſenſibus poſſunt ei generales rationes proponi ad conſolationem, vt chariſſime; fides eſt participatio diuinæ ſapientiæ, quæ non fundatur in rationibus, quia lumen paruum eſt, ſed in auctoritate Dei, qui eam Eccleſiæ reuelauit. Vnde ſecure credis, qđ tot Apoſtoli, Martyres, Doctores, Confeſſores, Anachoritę, Virgines, & viri magnæ virtutis, verbis factis ſcriptis crediderunt

runt

runt, & pro ea mortui ſunt. Secure credis, quod tot concilia generalia ex toto orbe deſiderio veritatis credenda definierunt. Secure credis Prophetis, Chriſto Domino, Ioanni Baptiſtæ, Apoſtolis, qui ſcripturis. Veteris, & noui Teſtamenti, hanc fidem tradiderunt, & per manus eccleſiæ ad nos vſque peruenerunt. Secure credis diſcipulis Domini, qui rudes ignobiles pauperes, ſine potẽtia, & eloquentia, veritate, fortitudine, virtute, miraculis, verbera egeſtatẽ irriſiones tormenta, & mortes paſſi, Romanos Imperatores, & Reges mundi vicerunt, & Idolatriam relinquere coegerunt.

Tertio fides eſt lex perfectiſſima altiſſime de Deo ſentiens, de animæ immortalitate, & de fine hominis vitaque perfectiſſima, & de medijs ad illam, ſcilicet virtutibus omnibus, atque paternis.

IN TENTATIS ad deſperationem, inueſtigandum eſt, an cauſa ſit, peccatum non confeſſum, vel affectus, aut nõ reſtituere alienum, an vero puſilanimitas, & peccati memoria; ſi hæc ſit, dicendum eſt; bono animo eſto, quia Deus offenſus eſt cui proprium eſt miſereri ſemper & parcere. Eſt pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis. Qui proprio filio ſuo non pepercit; ſed pro nobis omnibus tradidit illum. Reſpice mediatorem Chriſtum qui delet omnes iniquitates ſuis virtutibus, & eius ſatisfactio eſt ſufficiens pro omnibus peccatis mundi.

Tertio, qui te eſt iudicaturus eſt tuus aduocatus, vulnera offerens patri. Dic illi, Domine Ieſu Chriſte pone crucem, & paſſionem tuam inter iudiciũ tuum, & animã meam, & ſaluus ero. Vide manſuetudinem quod pro inimicis orauit, Pater ignoſce illis. S. Stephanus propter aliquã participationem huius manſuetudinis, & charitatis pepercit inimicis; quanto magis parcet Deus? Item pepercit Magdalenæ, Samaritanæ, Chananeæ, Adulteræ, & promiſit parcere, & verax eſt, dicens, in quacunq; hora ingemuerit peccator nõ recordabor. Dic Pater noſter qui es in cælis, miſerere filij mali, & ingrati, tamen filij quem adoptaſti per Ieſum Chriſtum, dimitte nobis debita noſtra. Pater peccaui in cælum, & coram te non ſum dignus vocari filius tuus. Tamen maior eſt tua bonitas, quam malitia mea. Et cum An ſelmo, ſi commiſi vnde me damnare potes, tu non amiſiſti, vnde ſaluare ſoles. Pœnitet me, quod tam ingratus fuerim beneficijs tuis. Domine non ſecundum peccata noſtra facias nobis. Oſtendatur ei imago Crucifixi, vt dicat Domine Ieſu, qui ſanguinem tuum pro me effudiſti, miſerere mei, in manus tuas commendo Spiritum.

Valent ad tentationes pſalmi exercitium virtutum, & orationes, vt oratio ad Sanctiſſimam Trinitatem. Ad Ieſum Chriſtum, ad Spiritum ſanctum, ad Mariam ſemper Virgin. Ad Angelum Cuſtodẽ, & omnes Sãctos præſertim Aduocatos, & aliæ orationes breues. Pſalmis pænitentialibus vſus eſt D. Auguſtinus in morte cum lachrymis. Pro perfectioribus dici poſſunt, lętatus ſum. Quam dilecta tabernacula tua Domine.

SINE AEGROTO fiunt, comẽdatio animæ in tranſitu, Miſſæ, Orationes in eccleſijs, & eleemoſynæ; Pſalmi pro agonizantibus; Qui habitat in adiutorio altiſſimi. Dominus illuminatio mea. In te Domine ſperaui. Dominus regit me. De profundis. Ad te leuaui animam meam. Monendi ſunt etiam aſſiſtentes, vt orent pro eo. Et quando incipit anhelare, dicatur ei Symbolum Apoſtolorum, & ad aures vociferando.

Ieſu, Ieſu, Ieſu, in manus tuas commendo ſpiritum meum. Sancta Maria ora pro me, Maria mater gratiæ, mater miſericordiæ, tu nos ab hoſte protege, & hora mortis ſuſcipe.

Poſt tranſitum vtiliter ad ędificationem præſentium, Sacerdos monet, quā bona ſit præparatio ad mortem, & vita ſine peccato, frequentia ſacramentorum præſertim generalis confeſſio. Item meditandā eſſe mortem in vita, & quam præcioſum ſit tempus, quod nobis datur ad merendum. Quanta ſit mundi vanitas. Et dum tempus habemus operemur bonum. Quantus ſit virtutis fructus. Nam beati, qui in Domino moriuntur. Sequitur ritus ſepeliendi mortuum, qui in Rituali Sanctiſſimi D. N. Pauli Quinti. Dilucide traduntur cum alijs proceſſionibus, & benedictionibus, & in Miſſali, & Breuiario, in præſenti ſatis fuit modum adminiſtrationis ſacramētorum inſinuare.

RITVS CELEBRANDI Matrimonij Sacramentum.

PRimo antecedere debet informatio, & inquiſitio, an ſit aliquod impedimentū inter contrahere volentes. Et præcepta Tridentini Concil. ſeſſ. 24. ſeruentur, Ne interueniat fraus, aut coactio.

Secundo præcedere debent publicationes in eccleſia, in tribus diebus feſtis.

His peractis decet celebrari in eccleſia, vbi veſtitus Sacerdos ſuperpelliceo, & ſtola, & clerico, cum aqua benedicta coram teſtibus, & conſanguineis interrogandi ſunt ambo in hunc modum.

N. Vis accipere N. hic præſentem in tuam legitimam vxorem, iuxta Ritum Sanctæ Matris Eccleſiæ. Reſpondet Sponſus, volo.

N. Vis accipere N. hic pręſentem in tuum legitimum maritum, iuxta ritum Sanctæ matris eccleſiæ. Reſpondeat ſponſa volo. Nam neceſſarius eſt conſenſus amborum ſigno ſenſibili expreſſus per ſe, vel per procuratorem, vt ſupra ex Catechiſmo dictum eſt. Tum igitur conſenſu amborum intellecto iubet eos manus dextras iungere inuicem, dicens.

Ego coniugo vos in matrimonium in nomine patris ✠ & filij, & ſpiritus ſancti. Amen.

Et aſperguntur aqua benedicta, annulus benedicitur, diciturq; Miſſa, quibus expletis ſcribuntur nomina coniugum, & teſtium.

MODVS in alijs operibus Miſericordiæ exercendis à Clericis, efflagitandus eſt ab Spiritu ſancto, qui eſt magiſter piorum operum. Iuuāt ad hæc ſacræ litteræ Sancti Patres, & Sanctorum exempla. Habentes curam animarum eorū neceſſitates inquirere tenentur, vt ſupra traditum eſt, & ſubuenire pro facultate. Alij Clerici publicas, & occurrentes neceſſitates conſiderare debent, & primo miſericordiſſimo patri cōmendare, vt ſuccurrere dignetur. Deinde in extrema, aut graui neceſſitate omnes tenētur, ſi non ſit alius, qui hoc præſtet, vt in Epitome Toleti diximus. Vel, vt ad Hoſpitalia vehantur vbi commodius poſſit ſubueniri. Et quamuis non ſint extremę, neque graues conſilia Sanctarum ſcripturarum ſequenda ſunt; vt illud, cum videris nudum operi eum. Et frange eſurienti panem. Et egenos vagoſque induc in domū tuam. Et qui habet duas tunicas det non habenti. Et hoſpes eram, & collegiſtis me, infirmus, & veniſtis ad me, In carcere, & viſitaſtis me. Eſuriui, & dediſtis manducare; ſitiui, & dediſtis bibere. Non enim mundanorum imperfectorumque crudelita-

tes, & contemptus, ſed Sanctorum Chriſtianorumque perfectorũ imitanda eſt pietas, vt Sancti Iob, in quo creuit ab infantia miſeratio. Et Sancti Tobiæ flentis, & ſepelientis mortuos. Et Sancti Gregor. Papæ quotidie peregrinos ad menſam adhibentis, pauperesque vrbis benigne ſuſtentantis. Et Ioannis Eleemoſinarij; Et Ludouici Regis Galliæ, qui proprijs manibus miniſtrabat ægrotis, & aliorum innumerabilium, quos legimus in Sanctorum Hiſtorijs. Similiaque exempla noſtris temporibus non deſunt, nam in Collegijs, & Monaſterijs reliquiæ menſę pauperibus diſtribuuntur, vel ſeorſum cibi pro illis parantur; Et ſæculares permulti pro facultate pauperes alunt, vel proprijs manibus in domo, aut Hoſpitalibus inſeruiunt aliaque officia hilariter exhibent, ad exemplum Abraham, & Loth, qui peregrinos non ſolum recipiebant, ſed pedes lauabant. Hæc ſunt a eccleſiaſticis imitanda, nam turpe eſſet a ſæcularibus in miſericordia ſuperari; ſicut turpe fuit Sacerdotem, & Leuitam prætеrijſſe viſo ſemiuiuo, eo qui incidit in latrones, & ecõtra laudabile in ſæculari Samaritano miſericordia commoueri, alligare vulnera, oleum & vinum infundere, ponere in iumentum, ducere in ſtabulum, & curam eius agere.

Patres congreg. Orato. Vrbis.

MODVS OFFICIORVM *erga ſe.*

NOn eſt ita facilis, niſi mortificatione mundi contemptu, & conſilio perfectorum virorum vtamur, ad continentiam abſtinentiam ſobrietatem modeſtiam prudenter in cultu corporis rerumque externarum ſeruandam. Opus eſt etiam oratione, qua impetremus a Deo modum, & medium, ne extrema ſectemur neceſſaria corpori denegando, aut ſuperflua concedendo, fugiendo licentioſam imperfectorum vitam quorum Deus venter eſt, & mundi gloria. Sacra ſcriptura 4. Regum 4. videtur aſſignaſſe ſeruis Dei ſupellectilia neceſſaria, quæ etiã in monaſterijs nemini denegantur, dicens; paremus homini Dei cęnaculum, lectum, menſam, ſellam, & candelabrum. Non tamen cenſemus negandam eſſe Clericis in dignitate conſtitutis ſtatus decentiam honeſtamque habere familiam ad onera officij obligationeſque melius portandas. Tamen eſſet decens, iuxta Canones, vt familiares præcipui eſſent Clerici, aut Scholaſtici, qui poſſent iuuare, & viciſſim adiuuari, in Eccleſiaſticis functionibus. Porro in compoſitione domus Collegiorum, vel Monaſteriorum eſſet imitanda ratio, vt in ea ſit oratorium Bibliotheca Refectorium, aut quid ſimile, cæteræq; officinę ad vitæ vſum neceſſariæ; vnicuique autem cubiculum mundum cum ſacris imaginibus, ſintque omnes viri quantus fieri poſſit. Cui familiæ ſit bene præpoſitus Clericus, vt Apoſtolus iubet, nullo modo eis vitia permittendo; ſicut laude digni eccleſiæ Principes, qui inter alia, vt fertur præcipiunt domeſticos ſuos ſtatim poſt ſignum angelicæ ſalutationis in domum ſe recipere oſtia claudere, & conuenire in oratorio ad præcandam Beatam Virginem Dei matrem. Illi ſecurius procedent in ijs officijs ad ornatum pertinentibus, qui non omnia, quæ poſſunt efficient, & prudentiũ timoratorumque conſilia ſpreto proprio, ac mundanorum iudicio; ſectabuntur, iuxta Concil. Tridentin. ſupra traditum.

Granata Guiada pecca.

Concil. Trid. ſeſ. 2. Baro.

Seſſ. 25. cap. 1. de reform.

FINIS LIBER III.

DE OPTIMO ECCLESIASTICORVM STATV CONSERVANDO.

Liber Quartus.

SVPERIORIBVS adiungitur, ad deterrendos clericos a periculoſa appetentia præſidendi in eccleſia: Quod ſuademus adducendo grauia Epiſcoporum onera non ex noſtro, ſed ex Concilijs, & Sanctis Patribus. Deinde, vt intelligamus caput pręcipuum a quo pendet bonus Cleri ſtatus eſſe hoc vnicum, optimos eſſe præſules minimeque ambitioſos, quales depinxit Apoſtolus, quod non indiget longa probatione cum per ſe ſatis rationi conſonum ſit, iuxta illam ſententiam D. Leonis integritas pręſidentium ſalus eſt ſubditorum. Et experientia idem docet, nam vbi Prælatus bonus, & exemplaris eſt, Clericos bonos conſpicimus. Econtra vbi Rector reprehenſibilis dignoſcitur vitia graſſantur. Nam irreprehenſibilis Epiſcopus idoneos ordinat ineptos reijcit, alias eſſet reprehenſibilis. Rurſus prudens Epiſcopus Curatos doctos, & probos coadiutores ſuos pręficit; aliter erit imprudẽs, & ſibi nocebit. Demum Sanctus Epiſcopus ſanctos Clericos efficere ſtudet ſicut Deus vult, vitioſos vero conatur corrigere, & admonere. Quia Sancti Pontificis officium eſt (vt eccleſia canit) verbo, & exemplo quibus præeſt proficere, & ita magna malorum pars exterminabitur; ſequeturque decus, & pulchritudo eccleſiæ præſtantior illa, quæ. 2. Machab. 3. deſcribitur. Cum ſancta ciuitas habitaretur in omni pace, & leges optime cuſtodirentur, fiebat vt Reges, & Principes locum ſummo honore dignum ducerent, & templum magnis muneribus illuſtrarent. Quæ omnia tribuuntur pietati Pontificis, qui tũc præerat (ait enim) propter O me Pontificis pietatem. Pontifex enim prius neſcio quo nexu, vel funibus attrahit poſt ſe plebem, & alios omnes. Habet hoc virtus, & exemplum inter alia bona, vt ait D. Hierony. vt alios reddat meliores, quod ſolum verbum ægre facit. At ſi Epiſcopus peccat totus Eccleſiæ ordo peruertitur, quia quod requiritur in corpore non inuenitur in capite. Porro ad bonum Epiſcopum duo requirũtur,

bona electio munerisque ſuſcepti cognitio,& executio,de quibus pauca dicemus.

DE BONA ET MALA Epiſcoporum electione ex Epiſtola Sancti Clementis ad Iacobum Hieroſolymi.

Hæc Epiſtola forte eſt ad Simeonem fratrem Iacobi, vt Belarm. de ſcrip. Eccleſ.

SIMON PETRVS in ipſis diebus,quibus vitę finem ſibi pręſenſit apprehēſa manu mea repente conſurgens in auribus totius Eccleſiæ, hæc protulit verba; Clementem hunc Epiſcopum vobis ordino,cui ſoli meæ prædicationis, & doctrinæ Cathedram trado, quem præ cœteris expertus ſum,Deum colentem,homines diligētem,caſtum, diſcendi ſtudijs deditum, ſobrium benignum, iuſtum,patientem, & ſcientem ferre nonnullorum etiam ex ijs, qui in verbo Dei inſtituuntur iniurias. 8.q.1.

Ex D. Hieronymo.

Moyſes amicus Dei, cui facie ad faciem Deus locutus eſt potuit vtiq; ſucceſſores principatus filios ſuos facere, & poſteris propriam relinquere dignitatem. Sed extraneus, & ex alia tribu eligitur Ieſus, vt ſciremus principatus in populos non ſanguini deferendum eſſe, ſed vitæ. At nunc cernimus plures hanc rē beneficium facere, vt non quærant eos in eccleſia eligere columnas, quos plus cognoſcant eccleſiæ prodeſſe, ſed quos vel ipſi amant, vel quorum ſunt obſequijs deliniti,vel quibus maiorum quiſpiam rogauerit, & vt deteriora taceam,qui vt Clerici fierent muneribus impetrarunt.8.q.1.

Ex eodem D.Hierony.

Si ergo tantus,ac talis vir, nō permittit iudicio ſuo de eligendo Principe populi, quis erit,qui audeat,vel ex plebe, qui ſæpe clamoribus gratiam, aut ad pretium fortaſſe excitatis moueri ſolet,vel ex ipſis etiam ſacerdotibus,quis erit, qui ſe idoneum ad hoc iudicet, niſi cui oranti, & petenti a Dño reueletur? Sicut & Deus dicit ad Moyſem, aſſume ad temetipſum Ieſum filium Naue hominem qui habet ſpiritum Dei in ſemetipſo, & impones manus tuas ſuper eum, & ſtatues eum coram Eleazaro Sacerdote, & præcepta ei dato in conſpectū ſynagogæ, & præcipe de ipſo coram eis, vt audiant illū filij Iſrael. Audis euidenter ordinationem principis populi, tam manifeſte deſcriptam, vt pene expoſitione non egeat? Nulla huic populi acclamatio,nulla conſanguinitatis ratio nulla propinquitatis habita contemplatio eſt.Propinquis agrorum, & prædiorum relinquatur hæreditas, gubernatio populi illi tradatur quem Deus elegerit.8.q.1.

Ex eodem.Hiero.

Audacter fortaſſis aliquid dicimus tamen, quod ſcriptum eſt dicimus,non ſemper princeps populi,& eccleſiæ iudex per Dei arbitrium datur, ſed prout merita noſtra depoſcunt; ſi mali ſunt actus noſtri,& operamur malignum in conſpectu Domini,dantur nobis Principes ſecundum cor noſtrum. Et hoc ſibi de ſcripturis probabo. Audi quod Dominus dixit fecerunt ſibi Regem, & non per me; Principem, & non per conſilium meum, & hoc videtur dictum de Saul illo, quem vtique ipſe Dominus elegerat, & Regem fieri iuſſerat,ſed quoniam non ſecundum voluntatem Dei, ſed ſecundum peccatoris populi meritum fuerat electus,negat eum cum ſua voluntate, vel conſilio conſtitutum. Tale ergo aliquid intelligamus etiam in eccleſijs fieri,quod pro meritis populi,aut

in verbo, & in opere potens a Deo tribuitur Rector Eccleſiæ, aut ſi malignum faciat populus in conſpectu Domini, talis eccleſiæ iudex datur, ſub quo famem, & ſitim populus patiatur; nõ famem panis, neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbum Dei. 8. q. 1.

Ex D. Leone Papa.

Miramur apud vos tantam ambientium præſumptionẽ, aut tumultum valuiſſe popularem, vt indignis paſtorale faſtigium, & gubernatio eccleſiæ crederetur. Non eſt hoc cõſulere populis, ſed nocere: Principatus quem, aut ſeditio extorſit, aut ambitus occupauit, etiam ſi moribus, atque actibus non offendit, ipſius tamen initij ſui eſt pernicioſus exemplo. Et difficile eſt, vt bono peragantur exitu quæ malo ſunt inchoata principio.

Quod ſi in quibuslibet Eccleſiæ gradibus prouidenter curãdum eſt, vt in Domini domo nihil ſit inordinatum, nihilque prępoſterum, quanto magis elaborandum eſt, vt in electione eius, qui ſupra omnes gradus conſtituitur non erretur? Vbi eſt illa Beati Pauli Apoſtoli per ſpiritũ Dei emiſſa præceptio, qua in perſona Timothei omnes Sacerdotes Chriſti erudiuntur. Manus cito nemini impoſueris, neq; communicaueris peccatis alienis. Quid eſt cito manus imponere? niſi ante maturitatem ætatis, & ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinę ſacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid eſt communicare peccatis alienis? niſi talem effici ordinantem qualis ille eſt, qui non meruit ordinari? Sicut enim boni operis ſibi comparat fructum, qui rectum tenet in eligendo ſacerdote iudicium, ita graui ſemetipſum afficit damno, qui ad ſuæ dignitatis Collegium ſublimat indignum. Merito Sanctorum Patrum venerabiles ſanctiones cum de ſacerdotum electione loquerentur, eos demum idoneos ſacris adminiſtrationibus cenſuere, quorum omnis ætas a puerilibus exordijs, vſque ad perfectiores annos per diſciplinę eccleſiaſticæ ſtipendia cucurriſſet; vt vnicuique teſtimonium prior vita præberet. d. 61. ad Epiſcopos Africa.

Ex D. Gregorio Papa.

Locus regiminis deſiderantibus negandus eſt, fugientibus offerẽdus. 8. q. 1. Item,

Nullus per ambitum ad Epiſcopatus honorem permittatur accedere; Nam cum hic exceſſus in laica conuerſatione culpetur, quis dubitat quod religioſis, & Deo ſeruientibus incutiat opprobrium? 1. quęſtione 1. cap. 118.

Ex Concil. Trident. ſeſſ. 6. c. 1. de reform.

Sacroſancta ſynodus confidit per Domini, ac Dei noſtri, miſericordiã prouidamque ipſius Dei in terris Vicarij ſolertiam, omnino futurum, vt ad eccleſiarum regimen, onus angelicis humeris formidandum, qui maxime digni fuerint, quorumque vita prior, ac omnis ætas a puerilibus exordijs vſque ad perfectiores annos laudabiliter acta teſtimonium præbeat; ſecundum venerabiles Beatorum Patrum ſanctiones aſſumantur.

Et ſeſſione 24. c. 1.

Sancta ſynodus grauiſſimis eccleſiæ incommodis commota, non poteſt non commemorare, nihil magis eccleſiæ Dei eſſe neceſſarium, quam vt Beatiſſimus Romanus Pontifex, quam ſollicitudinem vniuerſę eccleſiæ ex muneris ſui officio debet, eam hic potiſſimum impendat, vt lectiſſimos tantum ſibi Cardinales adſciſcat, & bonos maxime, atque idoneos paſtores eccleſijs præficiat, &c. Quia Dominus Ieſus Chriſtus eſt re- *Decret. de reforma.*

qui-

quiſiturus ſanguinem pereuntium animarum (ex malo paſtorum regimine) de manibus eius? Item initio eiuſdem decreti. Et ſi alias Sancta ſynodus de promouendis ad Cathedrales nonnulla vtiliter decreuerit, hoc munus, adeo magnum eſſe cenſet, vt nunquam ſatis cautum de eo videri poſſit.

Et Paulo inferius.

Omnes, qui ius quodcumque habent ad præficiendos Epiſcopos Cathedralibus Eccleſijs, hortatur Sancta ſynodus, & monet, nihil ſe ad Dei gloriam, & populorum ſalutem vtilius poſſe facere, quam ſi bonos paſtores, & eccleſiæ gubernãdæ idoneos promoueri ſtudeant; eoſq; mortaliter peccare, niſi quos digniores, & eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint, nõ precibus, aut humano affectu, vel ambientium ſuggeſtionibus, ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint, iuxta ſacros Canones, & huius Conc. Trident. decreta.

MVNERA EPISCOPALIA ex ſex libris de Sacerdotio. D. Chryſo. in Epitomem contractis.

CVius excellentis viri animus ex ſuſpicione Epiſcopatus, & rumore electionis ſuæ, tanto pauore, & mæſtitia eſt occupatus, vt prope anima a corpore diſſolueretur aſſiduis gemitibus, & querelis, ſe cõueniens. Quis huius conſilij auctor fuit? quid nam tantum peccauit Dei eccleſia, vt cum tanto eius dedecore mihi mortalium omniũ ignominioſiſſimo eam regendam traderet? Inſtitutum igitur Chryſoſtomi in ſex libris de Sacerdotio eſt probare, eſſe temerarium optare Epiſcopatum, & ſe ingerere. Item non operis, ſed dominationis, & potentiæ deſiderium peſtilens eſſe. Quod demonſtrat pro ponendo curas, & difficultates bonæ adminiſtrationis Epiſcopatus, quas vix poteſt quis niſi ſingulari Dei gratia vincere, ſi non vincit, ſupplicium immenſum ſibi parat.

Curatio aliorum difficilis. Prima difficultas, tantum excedere debet potentia paſtor eos qui paſcuntur, ſicut rationem habentes excedunt bruta ratione carentia. Paſtor pecudes infirmas magna potentia curare poteſt, prohibendo paſtus aquas nociuas, & alia remedia adhibendo. At hoc, in Epiſcopo difficilimum eſt, nam homines liberos nõ licet cum tanta auctoritate ſubijcere (ſicut iudices cũ facinoroſis faciũt) ſed ſuadere tantum oportet non vim inferre. Verum ſi blande tractentur vulnera partim erunt relicta, & ſi nihil parcatur ſæpe peiores fiunt. Illic ſatis eſt ſi aberrauerint paſtorem clamare, hic vero (maxime ſi a vera fide aberrauerint) magno labore opus eſt. Eſt aliud diſcrimẽ, paſtor ſi oues perdat pecuniarum dãnum eſt, Epiſcopus vero iacturam animę ſuæ, & ſuorum facit. Item paſtoribus cum lupis pugna eſt, Epiſcopus vero non aduerſus carnem, ſed aduerſus Principes tenebrarum pugnat, qui etiam poſt deuoratas oues paſtorem ipſum aggrediuntur.

Errores electorum. Secunda oportet electores, & futurum Epiſcopum exacte examinare ſuas vires, neque ſufficit bonum populi teſtimonium, quia decipi poteſt. Et turbationes eccleſiarum ſępè oriuntur ex temeraria electione non diligenter, & accurate facta. In electoribus ſunt factiones diuerſæ, non inſpicitur, quod inſpiciendum erat, ideſt animorũ virtus: Sed alius inſpicit, quod ſit nobilis, alius quod diues, ille quia offenſionem incurrit omittitur, alius quia propinquus eſt placet, alius adulatorem anteponit;

nemo

nemo idoneum inſpicit. Cauſæ idoneæ ad Epiſcopum eligendũ non eſt ſola religio, neq; ſola ſenectus, quanto minus illæ priores? Alij non ſolum immeritos eligunt, ſed idoneos reiiciunt; ſimilia ſunt iſta quibus eccleſia læditur, vtiles arcere, & inutiles intromittere. Vnde fit, vt ſuſcipiant hoc onus, qui non ſunt apti. O, quanta Dei patientia? qui tales ſuffert, & propter cauſas nullius momenti, adeo iniurii ſunt in populum Dei, non eligendo meliorem.

Tertio ſi Apoſtolus formidabat hos Magiſtratus pondus expendens, etiam ſi diceret quis infirmatur, & ego non infirmor? quanto magis nos timere debemus? Neque valet excuſatio, quod ab aliis electus ſit. Nam qui non eſt Architectus non ſuſciperet domum conſtruere, etiamſi millies vocaretur. Et nauẽ onuſtam mercibus, deducere gubernaculo, nemo ſuſciperet niſi peritus in arte nauigandi, vbi de pecuniæ iactura tantum eſt ſermo, vbi ergo animarum in æternum ſuppliciũ imminet quanto magis fugiendum eſt? Vnde præcipuum in Epiſcopo eſt animum ab honoris Epiſcopalis deſiderio, prorſus liberum habere, & illum honorem fugere, ſi quid commiſſum fuerit propter quod oporteat renunciare. Nam ſi tali affectu rapiatur omnium peccatis ſeruiet. Qui vero non formidat remoueri ab Epiſcopatu omnia faciet cum libertate quæ decent.

Quarto vita Epiſcopi debet eſſe irreprehẽſibilis, quod difficillimum eſt propter pericula inanis gloriæ, inuidentiæ, contentionis, delectationis natæ ex miniſterio inepte, atque indecenter adminiſtrato. Item ſunt calumniæ, excandeſcentiæ adulationes; pauperũ deſpicientiæ; Diuitum cultus, & honores nulla ratione impenſi; contra inopes facultas increpandi ſine modo, cõtra potentiores vero nec diducere labia quis audet; munerum largitiones damnoſæ largientibus, & accipientibus; timor ſeruilis; Modeſtiæ animi ſpecies per multa, veritas autem nulla: mulieribus placere (quæ per alios omnia factitant licet illis interdictum ſit) Verum eſt eſſe multos Epiſcopos qui ab ijs retibus ſe liberant, & alios qui illis ſe capi ſinunt. Tum oportet animum Epiſcopi eſſe radijs ſolaribus puriorem, ſicut eorum qui habitant Eremum in ſolitudine. At difficile eſt mentis integritatem inter tot vitia, & mala ciuitatum cuſtodire, & inconcuſſum a fędis cogitationibus ſeruare cor, inter mulierum, & hominum viſitationes, & laudes. Sunt vbique pericula, tam in paupertate, & ſordido habitu, quam in opulentia. Monachos regere facilius eſt, & eos emendare, & cognoſcere quia a mundanis ſegregati ſunt; At ſubditi Epiſcopi, curis ſæcularibus impediti ſunt, quæ ſuffocant ſementem; Ideo neceſſe eſt ſeminare ſingulis, vt ita dicam diebus, vt ſermonem retinere poſſint, impediũt enim afflictiones profectum, & paupertatis vis, & moleſtiæ aſſiduæ. *Sãctum continentem:*

Quinto, non ſolum modeſtum, & ſobrium eſſe oportet, ſed animo fortem, ad tolerandas iniurias ſubditorum non præmeditatas, vel ex vindicta ortas. Eſt autem paucorum non multorum; Principum, & ſubditorũ quærelas ſine cauſa ferre. Et plus neceſſarium eſt hoc quam ieiunia vigiliæ, & ſtratum durum, nam plures aſſueti his aſperitatibus fiũt quaſi immaniſſimę beluę, ſi exaſperẽtur & tales procul arcendi ſunt ab Epiſcopatu. Ideo dixit Paulus non iracundum. Nihil ita turbat prudentes, vt ira, excęcat enim, & quaſi obtenebratus in pugna nocturna, non internoſcit amicos ab aduerſariis. *Non iracũdum.*

Vulga-

Vulgariumque hominum delicta veluti in tenebris commiſſa auctores ſuos ſolos perdunt, cœterum hominis illuſtris, & vulgo cogniti delictũ commune, omnibus damnum affert, remiſſos ſupinos reddit, attendentes autem virtuti ad deſperationem extimulat. Sunt querelæ eorum, quæ ſimpliciter fiunt ab Epiſcopo, quæ accurate, ac diligenter plerique diſcutiũt, vt illi arriſit, illũ hilari vultu ſalutauit, me vero longe parcius. Omnes ſic iudices volunt eſſe Epiſcopi, quaſi eſſet Angelus, & non humana carne veſtitus.

Graue, & manſuetum. Sexto oportet grauitatem ſeruare de qua Apoſtolus in doctrina in integritate, in grauitate, ſed non faſtuoſum eſſe, & terrificum, immo humanum; maieſtate Principem, ſed comem, & integrum officioſum humilem, non ſeruilem: acrem, & vehementem, ſed etiam manſuetum. Nam ſubditus, quomodo iram temperabit videns Principem iracundũ, Magna item debet eſſe auctoritate, & libertate, quamuis omnibus reclamantibus, vt ea faciat quæ ad eccleſiaſticam ędificationem decus, & commodum ſpectent, nihil faciẽdo in odium, vel gratiam alicuius.

Septima magna charitas requiritur in Epiſcopo, nã Chriſtus ad dandas claues cœlis dominici; maiorem in Petro dilectionem poſtulauit, qua alios excederet dicens Simon Ioannis, diligis me plus his.

Iuſtum. Octaua iudicis officiũ, nam oportet eſſe iuſtum, hoc autem difficile eſt, quia multa ſunt negotia, & difficile eſt iuſtum in multis inuenire, & inuidioſum ſequi, & plenum contentionibus; Et periculoſum, nam quidam, qui non habuerunt patrocinantem, fidei naufragium fecerunt. Fit autem neſcio quo modo, vt qui iniuria afficiuntur, nihilominus eos oderint a quibus non adiuuantur, quam eos, qui iniuriam inferunt. Præterea magnus dolor ſi oporteat aliquẽ excommunicare, nam timendum eſt ne deſperet, & maius fiat damnum.

Ratio animarũ reddenda. Nona eſt rationẽ redditurus peccatorum, quæ alij commiſerunt. Audi Apoſtolum; parete ijs, qui pręſunt, nam illi vigilant tanquam pro animabus veſtris rationem reddituri. Hic poſt mortem terror concuꝗit animum. Et tamen minima pars peccatorum, quæ a ſubditis committuntur non poteſt nota eſſe Epiſcopo, cũ plures illorum etiam non agnoſcat, neque viderit vnquam. Ideo non ſolum mundus, ſed prudens eſſe debet, & experientia rerum mundanarum cognitor, ſicut qui in media turba viuunt, & nihilominus, ita ſecurus ſicut habitantes Monachi in deſerto; licet verſetur inter homines vxores habentes, & liberos procreantes, ſeruos habentes, & ancillas, & negociantes, & eos qui potentia pollent. *Prudentem.* Omnibus ſe debet accommodare ad Dei laudẽ, & eccleſiæ ędificationem Monachi autem virtus diuerſa eſt a virtute Epiſcopi, illa non exit in opus nec irritatur. Vnde ſi Epiſcopus recluſus maneat, & ſibi viuat, ſpeciem habet virtutis, ſed non eſt talis qualis eſſe debet. Non eſt adeo admirabilis virtus monachi etiamſi in peccato nõ labatur, ſicut Epiſcopus coactus ferre peccata multorum, ſi immotus perſiſtat. Sicut non eſt magnũ ſi non percutiatur is qui non pugnat in bello. Propterea Monachi nõ admodum ſunt apti ad Epiſcopatum. Nam cum in certamina iſta ignota deſcendunt oſtenduntur; vel erit tardo ingenio natus, & a ſtatuis parum diſtabit. Tum quia in comparanda prudentia, quam requirit in eccleſiæ adminiſtratio non admodum laborant. Vnde fit, vt turbentur, & conſilij inopia laborent, & dotes quas attulerant perdant. Nam iram vin-

cere, & popularem auram contemnere,& gloriam oportet. Non quod lex ſit nullum Monachum præficiendum eccleſijs, nam cõtingit aliquoties cõplures ex ijs electos, vitæ candore eluceſcere. Neque ad regimen eccleſiæ aſſumendi ſunt, qui curas, & negotia ſequuntur, & in delicijs viuunt, & ad rixas, & cõcertationes ſexcentas artes norunt. *Sed qui viuẽs inter homines puritatem conſtantiam tolerantiam, & ſobrietatem ſeruant cæteraſque virtutes, quæ ſunt in Monachis, incorruptas magis, quam ipſi monachi. Neque ſolitudini aſſuetus ſufficiens eſt, quia vitia diſſimulare poteſt, vt non exeant in opus.* Vnde ſi Epiſcopi fiant aliquando ridiculi ſunt, nam cum in lucem prodeunt manifeſtantur ſi ſit iracundus, cupidus inanis gloriæ, arrogans, vel puſilanimis.

Non cupidum. Non litigioſum.

Hoſpitalem benignum.

Decima cura viduarum, quæ in Cathalogum referendæ ſunt, & examinandæ; ne facultates eccleſiæ in improbis conſumantur; nam quandoque propter ſexum paupertatem, & ętatem immodicam habent libertatem. Oportet non irritari Antiſtitem propter importunitatem, nam pauperi blande manſuete, & pacifice reſpondendum eſt, quia propter famem impudentes eſſe coguntur. Prouidendum ne facultates eccleſiæ redundent, neque deſint, ſed continuo egentibus diſpartiendæ. Non vt quidam, qui magnam auri copiam collegit præter pauca, quæ diſtribuit pauperibus, & in terra aſſeruauit, donec tẽporis iniquitas hoſtibus illam tradidit. Sunt etiam quandoque pauperes otioſi, & torpeſcentes quibus largitiones eleemoſinarum nocent.

Vndecima cura virginum quæ tutiſſima cuſtodia indigẽt, quia eis inſidiantur permulti.

Oportet eſſe doctorem.

Duodecima eſt labor ingens concionum. Quia ſpectatores non accedunt, vt diſcipuli, ad diſcendum, ſed ſedent, vt qui comedias audiunt in Theatris ad voluptatem non ad vtilitatem. Alij audiunt ad gratiam, alij ad inuidiam. Vnde vis dicendi, & eloquentia pluſquam in oratoribus requiritur, vt poſſit transferre populum ad vtilia, & non deſiderijs populi agi. Valet ad hæc generoſus animus popularem auram aſpernans, tum dicendi vis, & efficacia; nam ſi vincatur a laudibus, ad gratiam potius, quam ad vtilitatem loquetur, & in multis peccabit, vt laudes illas acquirat. Se habere debet, vt pater cũ filijs, qui non multum laborat ſi rideant, vel plangant, ita non debet animo deijci ob populi dicta. Sed eſt difficile, nam nemo fere mortalium eſt, qui non delectetur ſuis laudibus. Si vero laudes reijciat, & doctrina non ſit ſale condita deſpicietur. Item magna dicendi vis paucorum eſt continuamque exercitationem, & ſtudium poſtulat. Imò maiori ſtudio opus eſt ei, qui dicendi præſtantia valet, nam ſi ex aliis accipiãt habetur, vt fur, & niſi vberiora tradat in dies criminantur. Debet parcere ignorantibus, & inuidorum infelicitatem deplorare. Tandẽ oportet, vt concionator ſit tanquam pictor, & artifex ſuorum operum optimus iudex, & aliorum opinionem reiicere, vt Deo gratę, & acceptę ſint & hic ſit concionum terminus.

Arguat increpa.

Tertiadecima tenetur Epiſcopus, tam domeſticorum, quam aliorum delicta corrigere, quod eſt abyſſus curarum, & pelagus laborũ immenſum. Verum eſt talentum non eſſe abſcondẽdum, vt ille fecit, ſed teneri quemlibet iuuare proximum, & lucrum facere Domino alias peribit: ſed minus ſupplicium dabitur ei qui alios non ſeruauit, quam ſi alios gubernando ſe, & alios perdant; maxime poſt honorem a Deo acceptum. Ideo olim præcipiebatur tantum ſacriſi-

crificium offerri pro ſolo ſacerdote quantum pro toto populo, non quia grauiora ſint ſua natura delicta, ſed dignitate, & conditione, ideo ſacerdotis vulnera maiori egent medicamento. Qui viuit vita priuata inter domeſticos parietes liberatur facile ab occaſionibus peccādi, quod ſi ex memoria peccantium intumeſcat, ſed non ad finem, vſque decurrunt motus, imò facile moderati poſſunt, ſed qui in publicum exſt ad gubernationem pugnam cum importuniſſimis beſtiis aggreditur, quæ cū magis alantur fortiores fiunt: quales ſunt honores, laudes, auaritia, potentiæ, & licentiæ magnitudo, inuidentia, alienæ famę celebritas, intemperantia deliciæ, quæ animum magno impetu ad oriuntur, & conturbant.

Pudicā. Quartadecima ſunt multa in Epiſcopatu, quæ curſum ad Deum impediunt, vt verſari cum mulieribus, quæ negligendę non ſunt ab Epiſcopo, immo ægrotantes viſitandæ afflictę iuuādę lugentes conſolādę ſunt. Hic tamē Dæmō aditus inuenit, niſi quis ſe exacte cuſtodierit, nam non ſolum impudicę mulieris, ſed etiam pudice oculus animum ferit, ac commouet. Item curę, ac ſollicitudines, quæ mentis etiam velocis acumen hæbetāt, & plumbo grauiorem reddunt. Nemo poteſt numerare incōmoda omnia contumelias violētias murmurationes prudentium, & imprudentium a quibus vix poteſt ſe defendere. Qui nec contemnendi ſunt, ſed multa cum humanitate tractandi. Et criminationes omnes diluendæ, non autem ægre ferendæ, vt Apoſtolus faciebat, Ne quis nos carpat de pecunia 2.Cor.8.euellit ſuſpiciones, & opiniones malaſne exoriri poſſint.

Potens ex hoc cō tradict. argu. Quintadecima, denique Epiſcopus curam ſuſcipit corporis Chriſti, quod eſt eccleſia, qui autem ſuſcipit corpus curādum, ſuſcipit curam efficiēdi, vt ſit dignum ſuo capite hoc eſt pulchrum, aptum, honeſtum, nullam maculā, rugam, deformitatem, aut vitium habēs ſicut Chriſtus, hoc autem cum ſit ſubiectum morbis, & inſidijs varijs difficillimum eſt cum caro natura celerius corrumpatur, quam ſanetur. Tum quia pro corporibus curandis varia ſunt remedia, at hic præter exemplum non eſt niſi vnum medicamentum ad curandas animas, nempe Euangelicus ſermo quo tumeſcentes compeſcuntur, iacentes ſuſcitantur, ſuperflua amputamus, & quę deſunt ſupplemus. Sed in hoc eſt difficultas nō parua, oportet enim ſcire omnes hæreſes illaſq; noſſe optime impugnare aduerſus gentiles Iudæos, Hęreticos, & Arrianos, qui re uera idem ſentiunt, quod Iudæi ſolo nomine differunt, & inter fideles etiam difficile eſt reſpondere curioſis, qui de ſecretis Dei, quæ Deus homines ſcire noluit, interrogant. Tales debent eſſe Epiſcopi qualis Paulus Apoſtolus, qui etiam tacens dæmonibus formidabilis erat, valuit efficacia ſermonis, mortuos ſuſcitauit, infinita pro Chriſto pertulit aduerſa a Iudæis, & Gentilibus; eius Epiſtolis omnia dogmata contra Chriſtum refutantur, & ad bene beateque viuendum inſtruunt. Timotheo ſcribit qualis debeat eſſe Epiſcopus lectionem, & exhortationem ei commendat; ſed ad conſumatum modum dicendi verba, & opera requiruntur. Quod ſi erret Epiſcopus, non valet excuſatio ſui vocatus, neque ſi pereat ouis dicere, inuitus peccaui, neque inſcitiam prætexere poteſt; quia adminiſtrationē ſuſcepiſti, & idoneum te eſſe profeſſus es, & ſponte ſuſcepiſti. Saul, & Heli etiā a Deo vocati ſunt, ſed propter peccata pœnas dederunt. Imò, & Moyſes etiam ſi iugū gubernandi recu-

recuſauit, & cum ingenti dolore ſuſcepit, ſed non propterea excuſationem habuit a peccato, quod peccauit circa aquam, immo admirandus vir poſt tot labores in pœnam nō eſt potitus terra promiſſionis. Ita neque tu excuſaris etiam ſi alieno ſtudio fias Epiſcopus. Quia nemo audet mederi ſi neſciat medicinam; nemo pollicetur ædificaturum ſi non ſit Architectus, neque excuſaretur ſi cadat domus etiam ſi ad ędificandum vocatus ſit; reſpondebit iudex, quis te coegit onus ſupra vires ſuſcipere? Qui vnum oſtendit puſillum expedit ei, vt demergatur in profundum, ergo magis puniendi, qui populos perdunt. Neque poteſt excuſari prælatus ignorantia peccātium, quia delegatus eſt, vt aliorum ignorantiam emendet. Non poteſt dicere tubam non exaudiui, bellum non prouidi, nam adhoc ſedet Epiſcopus vt tuba canens alijs pronunciet mala futura, alioqui ſanguis animę perditæ de manu ſpeculatoris requiretur. Sufficiant dicta etiam ijs, qui animo admodum duri ſunt, & ſe facile aliorum oratione perſuaderi nō patiuntur, negotium eſſe timendum & tantam rei magnitudinem emetiendam, & fugiendam. Sed quamuis iſta duros ſuadeant, & infirmos, vt non acceptent, at firmi, & valentes poſt gratiam acceptam non debent animo deijci, neque ſpem ſalutis in alio collocare, niſi in eo, quod nihil committatur tanto munere indignum. Illi maxime puniendi, qui poſt honorem ambitione obtentum per ignauiam, vel malitiam, vel impetitiam eo non recte vtūtur

EX PONTIFICALE.

INTERROGATIONES IN Conſecratione Epiſcopi,

QVIBVS EXAMINATVR IVXTA ANTIQVAM patrum Inſtitutionem.

1 VIs ea quę ex diuinis ſcripturis intelligis plebē cui ordinandus es, & verbis docere, & exemplis?

2 Vis orthodoxas traditiones patrum, ac decretales Sanctæ, & Apoſtolicæ Sedis cōſtitutiones veneranter ſuſcipere, docere ac ſeruare?

3 Vis fidem, ac ſubiectionem B. Petro, & ſucceſſoribus eius, atque obedientiam exhibere?

4 Vis mores tuos ab omni malo tēperare, & ad omne bonū commutare?

Vis caſtitatem, & ſobrietatem cuſtodire?

Vis ſemper in diuinis eſſe negotiis mancipatus, & a terrenis negotiis, vel lucris turpibus alienus?

Vis humilitatem, & pacientiam cuſtodire?

Vis pauperibus, & peregrinis, & indigentibus omnibus eſſe affabilis, & miſericors?

Accipe Euangelium, & vade prædica populo commiſſō.

Ex dictis videtur ſequi non licere deſiderare Epiſcopatum cum ſit res

adeo

adeo difficilis. Sed nihilominus ſecundũ verã doctrinam diſtinguendum eſt. Certum eſt de ſe non eſſe malũ, quia in aliquo caſu poteſt eſſe bonum. Certum eſt etiam iuxta varietatem deſiderantis poſſe fieri bonum, aut malum. Nam indigno non licet id deſiderare, quia contra iuſtitiã, & charitatem, & noceret populo. Neque digno licet inordinate Epiſcopatum appetere, hoc eſt propter temporalia tanquam propter finem, quia talis in pręparatione animi paratus eſt male adminiſtrare officiũ ad obtinenda temporalia. Vnde eſſet ambitio, auaritia, vel præſumptio ſecundum D. Thom. Immo licet ſalus animarum deſideretur ſi tamen minus intenſe, & principaliter quàm tẽporalia eſt deformitas, & nimium deſiderium. Quia non appetitur præcipue, quod præcipuum, & maius, ac præſtantius eſt, & quia plerumque homines abutuntur temporalibus. Hæc ſunt certa dubium tamen, an liceat digno recto ordine deſiderare Epiſcopatum hoc eſt appetendo ſalutem animarum, tamquam finem, & temporalia, tanquam media, & motiua excitantia. Ex vna parte videtur, quod liceat. Quia licitum eſt digno Epiſcopatum acceptare, & retinere, ergo etiam appetere. Nam actus interior iudicatur ex actu exteriori. Sed contra eſt quod Chriſtus Dominus reprehendit Phariſæos amantes primas Cathedras. Et ex illo nemo ſibi ſumat honorem, ſed qui vocatur a Deo tanquam Aaron. Et hæc eſt communis ſententia doctorum, vt plurimum eſſe illicitum, niſi in caſu neceſſitatis, ita S. Thomas Caieta. Siluẽſt. Abulen. Soto. Et Pet. Soto lectione 3. de inſti. Sacer. vbi aſſerit regulariter talem appetitum deliberatum eſſe mortale peccatum. Quia ſponte ſe ponere in magno periculo ſalutis relicto ſtatu ſecuriori eſt grauiter offendere ſeipſum, ſed appetentes Epiſcopatum, ſine neceſſitate volunt ſe conijcere in magnum ſalutis periculum, quia ſe ingerere volunt in obligationes Epiſcopi grauiſſimas, & multas quas omnes difficillimum eſt implere, vtpote verbo, & exemplo ducẽ ſe præbere in omni genere virtutum, & ſanctitatis, & multa pati ab improbis quos corrigere tenetur, & eſſe mediatorem inter Deum, & homines, ita vt orationibus, & meritis ſæpe reddat Deum populo placatũ. Item relinquit ſecurius nempe Deo vacare, quod ſecurius eſt quam immiſcere ſe in negotijs publicis, ergo male facit, vtpote anteponens periculoſum, & ſibi inutile magis ſecuro, & ſibi meliori. Ita etiam tenuit grauis Theologus Salmantinus in materia de ſtatibus dicens, quamuis non ſit iudicandum peccare mortaliter eum qui certo ſtatuit recte adminiſtrare Epiſcopatum, & ob nullam cauſam diſcedere a debito officio, licet deſideret opes, & commoda; nihilominus, vt in plurimum loquendo, qui appetunt, & procurant Epiſcopatus, vt modo ſit, credendum eſt eſſe in peccato mortali. Quia tanta cupiditas eſt indicium tales pro fine habere temporalia. Et ex euentu cognoſcitur, nam qui tam audenter appetunt, male adminiſtrant, & omnia referunt ad quęſtũ, quod eſt ſignum ad hoc principaliter intentionem direxiſſe. Dionyſ. Cartuſ. c. 8. de Conuer. pec. ait vehementer declinare eccleſiam, & multos præſidentes, & ſubditos damnari, quia inexercitati, & iuuenes ad prælaturas ſe ingerũt, & promouentur. At vero in caſu neceſſitatis poteſt eſſe laudabile deſiderium Epiſcopatus, vt ſi non inueniretur, qui vellet eſſe Epiſcopus propter vitæ pericula. Qua ratione Diu. Grego. intelligit illud, qui Epiſcopatum

P. Leon. D. Nau.

Valẽt. in materia de ſtatibus.

tũ deſiderat bonum opus deſiderat. Item ſi non inueniretur dignus, aut ſi indignus eſſet præficiendus, quia bonum commune anteponendum eſt particulari; Itẽ ex Spiritus ſancti inſpiratione,& reuelatione. Item ex præcepto ſuperioris, vel coacte, in ijs caſibus poſſet eſſe licitum. Ad contrarium reſpondetur, quod eſt diuerſa ratio. Nam qui acceptat, aut retinet vocatus, vt dictum eſt, poteſt ſine temeritate admittere, quia præceptũ ſuperioris eſt ſignificatio diuinæ voluntatis,& talis poteſt adiutorium Dei ſibi polliceri non autem, qui appetit antequam eligatur. Tales D. Chryſo. grauiſſimis verbis damnat, Quicumq; deſiderauerit primatum in terra inueniet confuſionem in cęlo; Nec inter ſeruos Chriſti computabitur, qui de primatu tractauerit. Quoniã non qui maior fuerit in honore ille eſt iuſtior, ſed qui fuerit iuſtior ille eſt maior. Conuerſatio ergo melior eſt, deſideranda non dignior gradus. Confirmatur hoc exemplo plurimorum ſanctorum, qui Epiſcopatum fugerunt quantum potuerunt, vt Ambroſ. Auguſt. Gregor. Bernar. D. Thom. S. Felix Presbiter, & Martyr. Celeſtinus Papa V. Et noſtra ætate non deſunt viri eximiæ virtutis illos imitantes. Quod neceſſarium eſt ad perfectum clericũ, niſi velit omnibus peccatis ſeruire (vt ait Chryſo. Et ad optimum ſtatum cleri conſeruandum immo, & totius populi Chriſtiani eſt medium conuenientiſſimum onera epiſcopalia propter obedientiam, vel charitatem ſuſcipere,& non ex ambitione, quod miſericors Dominus pro ſua clementia præſtare dignetur per Ieſum Chriſtum Do. N. qui cum patre, & Spiritu ſancto viuit, & regnat in ſæcula ſæculorum.

Azor. 2. p. lib. 3. c. 17.

d. 4. de cret.

Vid Bernar. epiſ. 42. ad Henricũ Archiepiſcopũ.

F. D. Soto.

D. Ferd. Toledo.

F. Ioan. Hurtado.

Pat. Rib.

F I N I S.

P. FRANCISCVS VANTVS CORRIGEBAT.

INDEX LIBRORVM,

& capitum præcipuorum huius operis.

INſtitutionis Cleri neceſſitas.
De Optima Clericorum educatione. Lib. I. folio 1
De Exordijs Clericorũ prima lib. pars. ibid.
De vocatione ad Clericatum. ibid.
De fine in Clerum recipiendi. 3
De primis literis. 6
De latina lingua, & Rhetorica. 7
De Ratione bene viuendi ſcholarium, ſecunda libri pars. 10
De Studijs Philoſophiæ, ac Theologiæ, & diſciplinarum inferiorum, tertia libri pars. 16
Ad bene audiendum. 17
Modus recte arguendi, & reſpondendi. 21
De Ratione ſtudij ſolitarij extra Scholas. 26
Præcepta ad recte ſciendum. 27
De inferioribus diſciplinis. 33
De Clericorum electione ad ordines Eccleſiæ. Lib. II. 36
De requiſitis ex Concilio Trident. 39
De ſcientia Sacerdotis, & proxima præparatione ad ordines. 41
Epitome Catechiſmi Conc. Triden. 44
Symbolum fidei. 45
De Sacramentis. 52
De Præceptis Decalogi. 70
De Oratione. 79
Epitome Inſtructionis Sacerdotum Card. Tol. 87
De Sacerdote eiuſque poteſtatibus, & officijs in genere. 88
Impedimenta officiorum Sacerdotalium. ibid.
De Excommunicatione. ibid.
De ſuſpenſione. 95. 96
De Interdicto. 99
De Irregularitate. ibid.
De Iuriſdictionis defectu. 101
De impedimento recti vſus Sacerdotij. ibid.
De diſpoſitione ad officia Sacerdotalia. 102
De Officijs Sacerdotis in ſpecie. ibid.
De officio diuino. 103
De Sacrificio Miſſæ. ibid.
De Sacramentorum Pœnitentiæ, & matrimonij adminiſtratione ex Toleto quædam. 106
Circa Pœnitentiæ Sacramentum, eiuſque miniſtrũ Confeſſionem, atque materiam in cõmuni. 107
Circa materiam in ſpecie, quæ ſunt peccata contra Dei mandata, & Eccleſiæ, & ſeptem vitijs. 111
Circa Sacramentum Matrimonij. 111
Materia forma, & impedimenta. 112
De optima Clericorum Inſtitutione Lib. III. 120
Scripturæ veteris, ac noui Teſtamenti de Dei Miniſtris. 122
Doctrina Clericorum ex ſanctis patribus. 124
Ex D. Hieronymo. ibid.
Ex D. Ambroſio. 123
Ex D. Auguſtino. 131
Ex D. Io. Chryſoſtomo. 138
Ex D. Gregorio. 138
Ex D. Bernardo. ibid.
Canones Eccleſiaſticæ diſciplinæ, ex Iure Canonico. 145
Nomen, & diuerſitas Clericorum. 146
De electione, & examine Clericorum. 147
De ordinatione Clericorum. 152
De Officijs Clericorum. 153
De vita, & conuerſatione Clericorum iuxta Apoſtolicam regulam explicatam in decreto. 162
De lapſibus Clericorum reparandis. 172
Canones ſanctorum Apoſtolorum ex D. Clemente. 174
Reformatio Cleri facta in Concilio Trident. 178
De Epiſcopis. 180
De Parochis, & alijs Clericis. 184
Exhortatio ad Parochos ex Pontificali. 189
Sententia Theologorum Scholaſticorum de Eccleſiæ ordinibus, ex emptione & cælibatu. Secunda lib pars. 191
Inſtitutum Clericorum. 198
Inſtitutio generalis Clericorum. 199
Inſtitutio Parochorum. 204
Reſponſio ad obiectiones contra prædictam Inſtitutionem. 207
Tertia Pars libri de modo functionum clericaliũ 214
Modus functionum erga Deum. ibid.
Modus functionum erga proximos. 221
Concionandi Methodus. 222
Modus adminiſtrandi Sacramenta. 239
Canones Pœnitentiales. 244
Modus iuuandi morientes. 250
Modus officiorum erga ſe. 259
De optimo ſtatu Clericorum conſeruando. Lib. IV. 260
De bona & mala Epiſcoporum electione ex Concilijs & ſanctis Patribus. 261
De muneribus Epiſcopalibus ex D. Io. Chryſoſtomi in ſex lib. de Sacerdotio in Epitomem contractis. 263

FINIS.

Errata ſic corrige.

P.	C.	L.	Errores	Correctio
2	1	42	vocati.	vocari a Deo
8	1	29	Cenſoris	Cenſorij
12	1	35	impugnandam	impugnanda ſunt.
12	2	27	viro docto adde	videantur
ibid.			vltima pertractanda	pertractata
16	1	13	aloqui fractus	aliqui fructus
17	2	33	dele predictam	
ibid.		43	Namutalis	Nam talis
20	1	24	conſeruationes	conſeruatrices
20	2	16	tum ſatisfecerit	cum ſatisfecerit
21	1	38	Manſius	Mancius. ſic legendum
			vbi unque ponitur hoc nomen proprium.	
21	2	44	manifeſtis.	manifeſte
22	2	29	dele intelligitur.	
23	1	13	ſecundum	duplex
ibid.		22	vt defendis	quod defendis
ibid.		43	conſecutionem	conſequentie
24	1	2	ſi non reſpondetur	ſi non reſpondet
25	1	26	argumentandi	argumentanti
27	2		in margine in fine ſuã	ſuari. in opuſcu.
28	1	39	in ſcriptis	in ſcripturis ſanctis.
29	1	17	& celi	vt celi & elementa
ibid.	2	9	vrbani.	vt boni efficiamur
30	2	41	principia alias	principia alia.
31	1	45	mobilia res	mobile
33	2	17	conciliorum & ſanctorum dele &.	
ibid.	2	25	vt ſupradicti	vt ſancti.
35	2		linea vltima operibus	operis.
37	2	46	altora	altiora
39	1	43	concilijs & ſupradictis	concilijs & ſanctis:
ibid.		44	ſupradicta	ſancta ſynodus
41	2	38	Item.	Idem
44	1	2	ſupradictis	ſanctis patribus.
45	1	15	ſupradicte	ſancte ſcripture
48	2	11	eadem perſone	eidem perſone
49	1	36	anime	noſtre
53	1	22	vita humana adde natiuitate augmento	
60	1	38	& chriſti aliam	& propter alias cauſas
61	2	48	dele ſub	
63	1	vlt.	vt remittuntur	vt remittantur
ibid.	2	29	probat	probatur
ibid.		44	enumeranda ſunt adde etiam. praua deſideria	

P.	C.	L.	Errores	Correctio
				atque circunſtantie
66	2	11	monſtrat	miniſtrat
67	1	43	perfectionis vite	perfectioris vite
ibid.	2	vlt.	habes	habe
68	2	39	accedere adde ſed quia	
70	2	14	prius	potius inſpiciem &
71	1	19	& iube adde quod vis	
ibid.	2	30	nec eorum	nec ſanctorũ & reliqa
72	1	17	diuinorum	diuinarum rerum
ibid.	2	16	fundate	fundatas.
80	1	15	publicamus	publicanus
61	1	2	vite poſtulata	rite poſtulata
ibid.	2	34	& ſequentibus At hec omnia opere redemptio-	
			nis melius preſtitit. Nam per baptiſmũ naſcimur, &c.	
ibid.		38	Item non adde ſolum in proſperis &c.	
82	1	8	fratres illi dele illi	
ibid.		40	in corpore	in eo opere
ibid.	2	37	obedierunt	obediunt
84	2	21	impijs	in pijs mentibus
87	1	6	animalis:	amalis
88	1	5	ei nocere	eis nocere
ibid.		35.	conferendo	conferenda
89	1	3	omnibus	cõmunibus fideliũ &c.
90	2	19	cum ipſos	cum ipſis
92	1	35	communiones	ad communionem.
93	2	7	dele & enormibus ſe immiſcentibus	
ibid.	2	29	iata	lata &c.
95	1	43	conſcientias	conſcientiam.
ibid.	2	9	liberes	libres
98	1	40	degradatius ſi	degradatus niſi.
ibid.	2	10	ciuitatis adde &	
99	1	37	ſpirituale	ſpeciale
100	1	16	carens manus	carens manu
ibid.	1	40	miniſter Chriſti	clericus
101	2	3	in occulta adde diſpenſandi	
108	2	30	reſeruari dele non.	
109	1	33	venire poſſit	veniri poſſit
ibid.	2	12	vix poſſet	vix poſſe
110	1	16	neceſſitate formali	de neceſſitate ſacramẽti
ibid.		19	dele ſunt nec de rigoroſo precepto.	
111	2	43	cum ſupradicta	cum ſanctis
112	1	20	fidem & gratias.	fidem & gratiam.

BIBLIOTECA
IN ROMA